BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
G
73
NAPOLI

# SPICILEGIVM
## EVANGELICVM
A. R. P. F.
IVNIPERI PARASCANDOLI
A NEAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

# SPICILEGII EVANGELICI

## EX SANCTORVM PATRVM GRAVISSIMORVMQ; SCRIPTORVM

MESSE COLLECTI; PER OMNES QVADRAGESIMÆ DIES DISTRIBVTI, Concionatoribus, Sacræq; Scripturæ Profeſſoribus profuturi.

## PARS PRIMA


AVCTORE

A. R. P. FR. IVNIPERO PARASCANDOLO

A NEAPOLI ORDINIS MINOR: STRICTIOR. OBSER.

Prouinciæ Neapolis Sac. Th. Lectore, Concionatore, ac Generali Diffinitore.

Pertinet ad Conventum S.tae Mariae Carmeli S. Antiani.



NEAPOLI, Ex Typographia Honophrii Sauii. MDCXLVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

76.

Digitized by Google

[illegible]

REVERENDISSIMO PATRI

# FR. IOANNI A NEAPOLI TOTIVS ORDINIS

SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI

GENERALI MINISTRO,

AC VIGILANTISSIMO PRÆSVLI.

QVoties animi tui magnitudinem ( Reuerendiſſime Pater)longè latèque diffuſam,vultus tui venuſtatem imperio dignam,dexteritatẽ tuam in arduis exantlandis ſępenumero probatam,ſapientiæ tuæ fulgorem prorſus nulli non clarum,zeli tui rigorem deliquia & ſi minima auerruncãtem,charitatis tuæ ardorem quoslibet adurentem,comitatis tuæ immenſitatem nec miſellos dedignantem,ac deniq; dignitatis tuæ celſitudinem in noſtro Seraphico Ordine ſupremam(dum non ex contortulà hominũ prouidentia,neque ex ſuperſtitioſa Cœlorum reuolutione, aut ex occulta fabulantium fortuna;ſed communicata cęlitus mente , communi voto,Generalatus es inſignitus honore: ex quo iure optimo illud tibi aptari poteſt elogium,quod Mardochæo aſcriptũ fuit: *Hoc honore dignus eſt, quemcunquè Deus* , & Sanctus Pater Franciſcus *honorare voluerit* ) meam in mentem redigo, toties hoc tibi Spicilegium dicare formido,vereorq; ne animus tuus magnis aſſuetus parua faſtidiat . Verùm non munera,ſed animũ in muneribus ſpectari dum optimè noſco. Vndè Ouid. *Eſther c.6.*

*Nec quæ de parua pauper Dijs libat acerra,*
*Thura minus,grandi quàm data lance valent.* *Ad quendam ſine nomine.*

Et Gregorius, *Ante Dei oculos nunquam vacua eſt manus á munere,ſi fuerit arca cordis repleta bona voluntate* : Qui etiam de Abel,& eius muneribus hunc fatur in modum: *Ex dantis quip-* *hom. 5. in Matth.* *lib. 22. moral. c. 8.*

*pe*

*pe corde,id quod datur, accipitur; idcircò non Abel ex muneribus, ſed ex Abel munera oblata placuerunt:* nequaquam meus deficit animus,immò gliſcit,& præfatũ Spicilegium tibi offert, dicat, & conſecrat: certus omninò, quòd non tã muneris magnitudinem,quàm animi alacritatem,ac promptitudinem ſis inſpecturus. Accipe igitur quod,te agri cultore,creuit: qualecunque ſit, tibi debetur,quia in agro excreuit tuo. Tuæ ſunt hæ lucubrationes,quia à filio,vel (vt aptius dicam) ab inutili ſeruo oblatæ. Rude opus eſt,& impolitum,minimè exaſciatum, quod tibi exhibeo,fateor quidem,ſed hoc ab hac oblatione me minimè reuocauit; nam altare ex lapidibus impolitis extructũ Deo placuiſſe,non ignoro: mea itaq; vota nullo pacto ſpernere poteris, quæ vice thuris nomini tuo ſacrare geſtio; quãdoquidem Miniſter illius es, qui non reſpuit duo minuta pauperis viduæ: quapropter dum ego cũ literarũ Mecænatẽ Hieronymo dico: *Hæc* (*ſuper cap. Marc. 12.*) *paupercula me,& ſimiles mei ſignat,qui mitto quod poſſum,et deſidero,quod non poſſum,tibi offerre;* tu cũ Plauto reſpondeas, obſecro: (*mercat. 1. ſc. 5. ver. 29.*) *Honoris cauſa quidquid eſt,quod dabitur,gratum habebo.* Vale.

Paternitatis tuæ Reuerendiſſimæ

Seruus ex minoribus minimus

Fr. Iuniperus Paraſcandolus à Neap.

# AD LECTOREM BENEVOLVM.

DEmiraberis forſan (Amice Lector) ſi hac noſtra tempe-
ſtate, ad quam; quia ſedula meſſorum, eruditiſſimorum,
nempe Scriptorum manus, arrepto falcis calamo, affluen-
tiſſimam ex Sanctis Patribus meſſem iam collegit; ſignatiſ-
ſimè ſpectare videtur illuſtre illud Iſaiæ vaticinium, *Reple-* cap. 11
*ta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes*, Spi-
cilegium irrepſerit iſtud: verùm omnis deſinat admiratio-
nis anſa; nàm meſſoris nulla adeò ſolers eſt manus, vt eam
inter demetendum aliqua non effugiat ſpica: quapropter
licèt Eccleſiaſtici agri ſegetes iam meſsuiſſe Scriptores agnoſcam, ego nihilo- cap. 2
minus poſt ipſos gradiens, vt altera Ruth, *Collegi ſpicas poſt terga metentium*,
quæ fortè non tàm à meſſoribus neglectæ, quàm de induſtria prætermiſſæ ſunt,
vt mihi poſt ipſos ad colligendum aliquid eſſet. Quam etiam ob cauſam rude, &
impolitum hoc opus, Spicilegium (quod ſpicarum collectionem ſonat) nun-
cupandum exiſtimaui, vt rem ex nomine percipias. Accipe ergo, Beneuole
Lector, Spicilegium hoc, quod non ſine laboribus collectum tibi prętēdo: & non
ob aliud ſanè, niſi, vt quoties ex plenis aliorum horreis te exaturatũ agnoueris,
animi cauſa, illud inſpicias; ſciens quòd nulla tàm deſpecta, & derelicta eſt ſpi-
ca, vt eam ſolicita charitatis manus non colligat, & in Boozi area non reponat,
vt congregetur in horrea Domini. Si quid igitur boni in eo reperies, Deo adſcri-
be, ſin minus, Spicilegii memento. Vnum tantùm te rogo, vt tu eum Booz noſtri
temporis meſſores moneas: *De veſtris quoque manipulis proijcite de induſtria,
& remanere permittite*, vt ego cum Ruth, *abſque rubore colligam, & colligen-
tem nemo corripiat*: non vt ſecundam Spicilegii partem componam, cùm
iam compoſita Typis mandanda exiſtat; ſed vt tua benignitate illectus, aliquid
aliud, Deo fauente, tibi offerre poſſim, cui ex animo felicitatem exopto. Vale.

Digitized by Google

IMPRIMATVR.

Gregorius Peccerillus Vic. Gen. Neap.

Fr. Ioſeph de Rubeis Ord. Min. Conu. Eminentiſs. Card. Filamarini Theologus.

# FR. IOANNES A NEAPOLI

TOTIVS ORDINIS SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI GENERALIS MINISTER; ET SERVVS.

Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri Iunipero à Neapoli eiuſdem Ordinis, Prouinciæ verò noſtræ Reformatæ Terræ Laboris Sacræ Theologiæ Lectori, Concionatori, & Diffinitori Generali ſalutem.

Cum iuxtà Apoſtolicas,& Ordinis Noſtri Conſtitutiones reuiſum, & approbatum fuerit,quoddam opus à te collectum, cuius titulus eſt, *SPICILEGIVM EVANGELICVM*; Tenore præſentium cum ſalutaris obedientiæ merito facultatem tibi elargimur,quatenus,ſeruatis ſeruandis,Typis mandare poſſis. Vale in Domino,quem pro nobis orare memento. Datum Romæ die 28. Iulii *1646.*

Fr. Ioannes à Neapoli Miniſter Generalis.

Reuerendiſsimi Patris Fratris Ioannis à Neapoli totius Ordinis Sanctiſsimi Patris noſtri Franciſci Generalis Miniſtri iuſſionibus parere cupiens, opus hoc,cuius nuncupatio,*SPICILEGIVM EVANGELICVM*,ab Adm.Reu.P.F.Iunipero à Neapoli S.T.Lectore,Cõcionatore celeberrimo,ac Generali Diffinitore cõpoſitum percurri,& nil niſi ſumma ingenii dexteritate, ac incõparabili eruditione,tàm in eruendis germanis Sacræ Scripturæ ſenſibus, quàm in ſcholaſticis difficultatibus enucleandis,elaboratum reperi: quamobrem præclarũ hoc opus nullius maculæ ſuſpectum,ſed multis Sanctorum Patrum, ac Philoſophorum eruditionibus refertum ad publicam fidelium vtilitatem Typis mandandum ſentio, vt quò præclara, ac celebris Auctoris vox per conciones non peruenit, hoc ibi perſtrepens, & legentibus, & docentibus ſit profuturum. Datum in Conuentu noſtro Sanctæ Crucis Neap. anno 1647.die primo menſis Septẽbris.

Fr. Michael à Neap. Prouinciæ Reformatæ Terræ Laboris Sacræ Theologiæ Lector Generalis.

Ex

EX Commiſsione Reuerendiſſimi Patris noſtri totius Ordinis Minorum Generalis Miniſtri, *SPICILEGIVM EVANGELICVM*, Reu. Adm. Patris Fratris Iuniperi a Neapoli Reformatæ Prouinciæ Terræ Laboris S.T. Lectoris, Concionatoris clariſsimi, & eiuſdem Ordinis Definitoris Generalis attentè perluſtraui. In quo, præter Catholicam, nulliquè legi repugnantem doctrinam, ad mores componendos, & penum literariam ditandam, opportunè accomodatum; aduertere licuit, Auctorem libri potius inter præcipuos Eccleſiaſtici agri meſſores, quàm inter gregales ſpicarum lectores adnumerandum: tāto .n. acumine inquirit, tanta eruditione conueſtit, tanta efficacia theologicos, moraleſquè conceptus ingerit, vt non nouum opus ex veteri compagine; ſed de theſauro ſuo noua producat, & vetera. Probo igitur hoc Spicilegium, & communi Euangelicorum operariorum commodo edi poſſe, cenſeo. In Monaſterio Regali Sanctæ Claræ Neapolis die 15. Iulii 1647.

*Ita cenſeo ego Fr. SANCTORVS DE MELFI præfati Monaſterij Guardianus, Romanaq; Reformatæ Prouinciæ Theologus.*

ILLVSTRISSIME, ET EXCELLENTISSIME DOMINE.

PErlegi te iubente præfatum librum, qui inſcribitur, Spicilegium Euangelicum, à Reu. P. Fr. Iunipero à Neapoli Ord. Minorū ſtrictioris Obſeruantiæ conſcriptum, & nihil in eo reperi, quod bonis moribus, aut Regiæ iuriſdictioni aduerſetur; immò teſtor illum eſſe valdè eruditum; & dignum, vt Typis tradatur, quapropter cenſeo illum poſſe imprimi; & ità refero veſtræ Excellentiæ, cui incolumitatem, & exaltationem à Deo precor. Neapoli ex domo die primo Septembris 1646.

Veſtræ Excellentiæ obſequentiſsimus

Bartholomæus Chioccarellus.

Viſa ſupradicta Relatione IMPRIMATVR.

**Zufia Reg. Caſanate Reg. Sanfelicius Reg. Caracciolus Reg. Capycius Latro Reg.**

Vidit Don Benedictus Trelles Regius Conſiliarius Delegatus per Suam Excellentiam pro reuiſione librorum.

b D.IO.

# D. IO. PETRI MASSARII

S. SEDIS APOST. PROTHONOTARII V. I. D.
Sacræquè Theol. Profeſſi Oratinen. & Neap.

ELOGIVM.

# A. R. P. FRATRI IVNIPERO

PARASCANDOLO A NEAPOLI,

Seraphicę Religionis Sancti Franciſci ſtrictioris Obſeruantiæ, Prouinciæ Terræ Laboris Concionatori clariſſimo, Sac. Theol. Lectori, ac Generali Diffinitori.

Quem
Gen. 2. 15. Neapolitana Patria, *Vrbs perfecti decoris, & gaudium*
*Vniuerſæ terræ*, luci dedit,
Vt inter numeroſam D. FRANCISCI ſobolem ſua diuitem paupertate,
Sua ſterilitate fecundam eſſet IVNIPERVS,
Tanquam lignum, ideſt arbor IVNIPERA, quod plantatum eſt
Secus decurſus aquarum, ideſt ſecus diuinorum eloquiorum fluenta,
Vt maturum SPICILEGII fructum afferret.
Gen. 27. *Ecce redolet, odor filij FRANCISCI, ſicut odor agri pleni,*
*Cui benedixit Dominus.*
O felix Pater, felix ò Patre Patria Neapolis,
Quæ creet hunc melius? Quis melius hanc doceat?
Gaudet quippè tantum promeruiſſe Patrem,
Quem
Commendat genus, decuſquè Generis, ac Maiores
PARASCANDOLÆ FAMILIÆ, quod auguſtiùs eminet,
Senectute viget, antiquitate floret, & in hac Vrbe
Micantiùs ſcintillat.
Nitebat enim olim Leonardus Andreas Paraſcandolus, quem commendat
Partum ab ſe, generi, Patriæ, æuoq; ſuo nomen.
Quos fructus in Orbe tulerit, teſtantur annales, &
Tria Monaſteria S. ANDREÆ Ordinis EREMITARVM S. AVGVSTINI
Ab eo extructum, & exornatum ære ſuo, vt MARIAM
FILIAM, cum tribus aliis Dei obſequiis deuinciret. Sequè ipſas
Sub ſuaui Religionis iugo in eodem loco Cœleſtis Sponſi
Famulatui manciparunt.
Aliud Theatinæ Religionis Cler. Reg. Xenodochium, vbi ſanctè vixit
P. D. MARCVS PARASCANDOLVS eiuſdē Leonardi Andreæ filius, & ſacri
Theatinæi cœtus Sacerdos, & Theologus præclariſſimus,
Quem
CLEMENS VIII. & alii ſucceſſores Pontifices Summi Generalem
Om-

Omnium ſanctimonialium Viſitatorem creauere, quo in munere
Tàm ſuam Familiam, & Cler. Reg. Ordinem, quàm Chriſtianam
Religionem opere, & verbo illuſtrauit.
Vltimum D. Pauli eiuſdem Theatinæ Religionis Monaſterium,
In quo P. D. Innocentius Paraſcandolus aggregatus, inſigni paternæ domus,
Ac Marii fratris prædefuncti opulentia retineri non potuit,
Quin eodem Religionis veſtigio, quo P. D. Marcus
Abiectus eſſe, & pauper in domo Domini eligeret,
Vbi Paternas, & Germanas Marii
Opes inter infimas habens, ac tenuiores naturæ dotes
Adnumerans, Monaſterio S. Andreæ tradidit.
Quod liquidò conſtat ex peruulgatæ traditionis vetuſta
Præſcriptione, & aliis retinendæ antiquitatis Sacramentis,
Quæ in Archiuiis aſſeruantur perenni tantæ Familiæ.
Cenſu, ad omne æuum duraturo.
Non ex redempto relationis lingua, aut calamo,
Qui quamlibet fucatis verborum imaginibus
Fingit nobilitatis ſpeciem veri adſtipulatione repreſentant.
O quam *graues hiatus patitur aliena gratiæ commiſſa credulitas.* *Arnol. lib. 1. epiſt. 1.*
Gratulare tibi ipſi Neapolis Parens,
Quòd frueris tàm præclara Familia, quæ tàm bonitati,
Scientiæ, quàm ſapientiæ, quàm pietati adoleuit ingenio.
Iàm nunc, & tunc pro publicis ſudabat, et algebat negotiis.
Nè timeas fulmina, non ſæuit Iuppiter,
Vbi regnat Apollo P. IVNIPERVS PARASCANDOLVS
Longa Auorum ſerie in Te natus inclytus,
Qui prærupta virtutum iuga præpropero gradu conſcendit,
Hauſtos ſapientiæ latices vberius in alios tranſmiſit, & tranſmittit.
Ideo Concionator deſtinatus inaudito rerum curſu
Gloriæ verticem aſcendit. Quare IVNIPERE
*Sum ſuperbiam,* *Hor. lib. 3.*
*Quæſitam meritis.*
*Nàm in virtute rectè gloriari, & ſuperbire quis poteſt.* *Plat. de amic.*
Neque enim exiſtimo, Te quidminus feciſſe à magnis Patribus.
Efficax, ac robuſtum dicendi genus tuum,
Intima audientium corda depaſcitur.
Flumen illud dicendum, & fulmen eſt,
Quo nihil maius piis, nil vtilius impiis,
Quibus lucidum efformaſti SPICILEGIVM.
Appendiſti in eo omnia armorum genera,
Ne quis metu detrectet pugnam.
Propoſuiſti illud gratiſſimum bonis, ac doctis,
Vtile vulpibus doloſis, vt illas irretires hoc tuo tanquam rete SPICILEGIO.
Ipſe ſimplex, & fraudis ignarus, poſitus in Seraphicæ
Religionis agro, ex alto tibi manarunt
Olympo maiori impetu diuina fluenta.
Et præclaræ illæ dotes, quæ tot tuæ Religionis Patres dignos gloria fecere, *Claud.*
*In Te cuncta fluunt, & quæ diuiſa beatos efficiunt, collecta tenes.*

## IN LAVDES A. R. P. F.

# IVNIPERI PARASCANDOLI

## N E A P O L I T A N I

Minorum D. Franciſci ſeuerioris Obſeruantiæ nobiliſſimi Concionatoris, Sacræ Theologiæ Lectoris, ac inſuper Generalis Definitoris.

## C A R M E N

## BARTHOLOMAEI CACACII NEAPOLITANI,

Gaditana etiam Ciuitate donati, & Academici Hiſpalenſis.

*O Tua Latijs æquanda togis,*
*Æquãda ſagis ſtemmata Latijs*
*Dignè memoret qua Iunipere*
*Fama citatis vecta quadrigis?*
*Te Campana videre plagæ*
*Scelera ſacro damnantem ore,*
*Et Ciceronis riſêre decus,*
*Riſere graue iubar Hortenſi.*
*Non vana loquor, veteris tantùm*
*Tibi decedit laurea lingua,*
*Quantùm cedit ſaliunca roſis,*
*Olea quantùm bacca ſalicti.*
*Et nè Solis fulmina roſtris*
*Vibrata forent, fulmina libris*
*Condis, vt omnes, cùm fata volent,*
*Etiam functus, ſcelerum turmas*
*Latè ſternas, damneſquè neci.*
*Generis tamen hæc pietas omnes*
*Per cognatos ſanguine fulſit:*
*Videt Innocuum Theatina ædes*
*Calcantem auri diuitis onera;*
*Quis Leonardum canat Andreiam*
*Studio Diuum ſemper anhelum?*
*Hic veſtalibus edidit ædis*
*Mænia pictis conſita ſtellis;*
*Tecla vbi Paraſcandola fertur*
*Præſes turbis ſacra Virgineis,*
*Et Franciſca, & Maria nata.*
*Claudia poſt has militat Creſ*

*Quot nec, fuerant ſuperis vouit.*
*Te Leonardi, te quoquè ſobolem*
*Fama renarret, Marce, perennis,*
*Quem Theatina ſacra familia*
*Videre tua fata colentem,*
*Normamquè olim, & iura tueri*
*Ordinis, alta imperio Roma*
*Iuſſum, & ritum benè Chriſtiadùm*
*Ad priſca patrum tempora vertere.*
*Sed iam tanto pondere laudum*
*Laxata Erato fila remittit.*

# EIVSDEM

## EPIGRAMMA.

*Deſine Pieria crinem tibi cingere Lauro,*
*Nùnc alia crines intege, Muſa, iuba.*
*Iunipero ſacri mutetur laurea Pindi,*
*Vicit hic Hæme tuas, vicit hic Hebre comas.*

# PARAGRAPHORVM IN OPERE EXPENSORVM

## LIBATIO.


Fer.IV.Cinerum.

§.1. A Vitijs,non ab eſcis abſtinentia,verum ieiunium cenſeri debet.

§.2.Virtuti, non magis, quàm quomodo operienda ſit virtus, incumbendum eſt iuſtis.

§.3.Cœleſti ſpreta felicitate, terrena tãtum infelicitati oculum, mentemque figere conatur mundanus.

§.4.Zelo magno Zelatur Deus humanum cor,& quare?

Fer.V.poſt cineres.

§.1.Honor ſequitur fugientem, ſequẽtem verò fugit.

§.2.Honoris onus quàm graue?

§.3.Mundi inuitatorium multi, Chriſti autem pauciſſimi ſequuntur.

§.4.Suorum prædicat virtutes virtutum Auctor.

Fer. VI. poſt cineres.

§.1.Quàm Deo ſit inuiſa diſcordia?

§.2.Paternitatis titulum quanti faciat Deus?

§.3.Iniuſtis, quàm vtilis ſit iuſtorum ſocietas.

§.4.Virtutum omnium culmen eſt inimicorum dilectio.

Dom. prima.

§.1.Propenſiones, moreſquè parentum in filijs plerumq; reperiri ſolent.

§.2.Sceleſtus nullus eſt,qui proprij ſceleris ſocios habere non expetet.

§.3.Periculoſa virtutũ tinea inanis gloria, quæ ex ipſis virtutibus oritur, ipſaſq; deſtruit.

§.4.Semel in tẽtatione vincenti inſidias iterũ moliri ſuperbus formidat inimicus,nè dum denuò vincitur, pudore denuò afficiatur.

Fer.2.Dom.primæ.

§.1.Quis nam iuſtus magis pro Cœlo, an iniuſtus propter infernum deſudet, expenditur.

§.2.Magnum ſalutis argumentum diuina eſt benedictio, cùm ſemel à Deo benedictus maledici nequeat.

§.3.Compendioſa ad Cœlum via eleemoſyna eſt.

§.4.Inter ipſos extremi iudicij rigores, etiam diuina elucebit pietas,quæ ſicut miſericordia dilatabit, iuſtitiæ ſic extenuabit effectus.

Fer.3.Dom.Primæ.

§.1.Clara nimis cùm ſit virtus, præcone non indiget, vt clareſcat, ſed quò magis ob humilitatem abſconditur, eò magis ſplendeſcere conſueuit.

§.2.Ea eſt virtutis præſtantia, quòd ab hoſte,etiam in hoſte viſa,non poteſt, non laudari.

§.3 Virtutum nulla nobis, ſed omnis Deo virtutum auctori tribuẽda eſt laus.

§.4.Et egentium petitiones, & egeſtates ipſas diuina ſolet præcurrere pietas.

Fer.4.Dom.primæ.

§.1.Verus ille cenſeri debet magiſter, qui manu potiùs,quàm lingua docet,& quod ore profert, facto prodit.

§.2.Maiores inter minas, maximaq; inter ſupplicia,diuinus ſemper cõſueuit miteſcere rigor.

§.3.Mira improbi cenſura probi eſt vita, cùm virtus qualibet oppoſitum ſibi vitium mirabiliter reprehendat.

§.4.Nouerca virtutum,vitiorumq; mater otioſitas,otioſum ſic eneruat,vt diabolo reſiſtere nequeat.

Fer.5.Dom. primæ.

§.1.Egreſſus diuini Verbi incarnatio di-

*ci meritò poteſt, quia in ipſa per amoris vim à ſe Deus quodammodò exiiſſe videbatur.*

§.2.*E priſtinæ vilitatis finibus humana egreſſa eſt natura, quando ad diuini ſuppoſiti aſſumpta eſt vnitatem.*

§.3.*Citò obtenta ingrata eſt gratia, ſecùs autem admodùm grata, quæ multũ optatur.*

§.4.*Priorum merita poſteris, genitorumq́; virtutes genitis quàm vtiles ſint, atque proficuę, expenditur.*

Fer. 6. Dom. primæ.

§.1.*Quia interni non tantùm, verùm etiam externi quodammodò peccatoris ob culpam cæcutiunt oculi, cæcus iure vocari poteſt; & debet peccator.*

§.2.*Ex tot languentium cateruis vix curabatur vnus, vt quàm inter peccatorum turmas exiguus ſit iuſtorum numerus oſtendatur.*

§.3.*Quocunque pretioſo theſauro, pretioſiores cùm ſint ærumnæ, nõ eas abijcere, ſed fortitèr ne fugiant amplexari debemus.*

§.4.*Virtutis qui ingreditur ſtadium indeſinentèr procedere, immò vſque ad metam gigantum greſſibus currere ſemper debet.*

Dominica ſecunda.

§.1.*A terrenis omnibus ſe euellere debet, qui perfecta Dei contemplatione, & aliquali eius viſione, hic frui optat.*

§.2.*Ex alio ſeculo ad ſuas laudes canendas iuſtos accerſit Saluator, quia ſi Deus hominum vitia tegit, virtuteſq́; detegit; homo è contrario, proximi ſemper relicta virtute, quod in eo minus laudabile putat, prędicat, & extollit.*

§.3.*Impiger eſt, qui amat, quia operoſus cùm ſit amor, quietis impatientem reddit amantem.*

§.4.*Non poteſt non inſanire, qui amat, cùm verus Dei amor extaſim pariat, & inſaniam.*

Fer. 2. Dom. ſecundæ.

§.1.*Curſus ad mortem cùm ſit præſens vita, mors eſt potiùs dicenda, quàm vita.*

§.2.*Excelſi animi eſt benefacere: verùm ingratos beneficijs afficere, Dei res eſt, non hominis.*

§.3.*Laneis pedibus, ac lentis paſſibus diuina iuſtitia ad vindictam graditur.*

§.4.*Afflictio iuſtorum coticula, quo virtutis gradu præditus ſit virtuoſus, oſtendit.*

Fer. 3. Dom. ſecundæ.

§.1.*Inexplebilis fera hypocritarum ambitio, quæ inani gloria nũquam ſaturata, in quouis opere popularem plauſum ingurgitare conatur.*

§.2.*Solitaria res eſt ambitio, quæ in omnibus primatum affectans, æquales admittere ſemper eſt dedignata.*

§.3.*Cùm ſeruitus in dominatione, & dominatio in ſeruitute ſit, ſeruus potiùs, quàm dominus vocari debet Prælatus.*

§.4.*Rectum ad aſcenſum iter, deſcenſus; & mirabilis ad exaltationem gradus humilitas eſt.*

Fer. 4. Dom. ſecundæ.

§.1.*Adeò horrenda eſt mortis facies, vt Chriſto Domino excepto, non ſit, qui eam non formidet.*

§.2.*Importuna ambitio, nec tempori parcens, nec loco ſemper inter ſacratiora validiùs inſurgere conſueuit.*

§.3.*Quia in ignominiam ruit, qui virtuti tanquàm baſi non innititur honor, virtus propterea prius eſt quærenda, quàm honor.*

§.4.*Quàm laborioſa ſit via, & anguſtus Cœli aditus, expenditur.*

Fer. 5. Dom. ſecundæ.

§.1.*Tentationum tentatio gula cenſeri meritò debet, quia ſæpè vincit, & rarò vincitur.*

§.2.*Cęcus mundus, qui nihil aliud, niſi diuitias intuetur, nihili faciendo pauperes, diuites honore proſequitur: Deus è contrario nequaquàm*

cen-

*cenſus,ſed uirtutes conſiderans,non ſuperbas diuitias,ſed humilem paupertatem honorat.*

§.3.*Lingua diuitis iſtius præ cæteris mēbris ardet,quia ſemper peccati inſtrumentum maioris punitionis ſolet eſſe obiectum.*

§.4.*Diuite nemo miſerabilior,conditione eius nulla miſerior,dum diuitijs ipſis ſuprà modum torquetur, & angitur.*

Fer.6.Dom.ſecundæ.

§.1.*Quàm ſedulò hominum cuſtodia inuigilant Sancti Angeli, tam in eorum victoria ouantes tripudiant.*

§.2.*Beneficijs à Deo auctus ingratus, ijſdem contra ipſum inſurgit, & pugnat.*

§.3.*Vltimum peccatoris pharmacum verecundia eſt,quo ſi minimè conualeſcit, prorſus immedicabilis cenſendus eſt.*

§.4.*Tali beneuolentia, & amore erga ſubditos,flagrare debet, qui præeſt, quòd ipſorum pater cenſeri debet, non Dominus.*

Dom. tertia.

§.1.*Alienam ob felicitatem, & laudem inuidus,quàm torquetur infelix, oſtenditur.*

§.2.*Inter maiora honorum culmina, laudumq́; præconia ſemper Chriſti Domini fulſit humilitas.*

§.3.*Fœda adeò, & horrenda peccati eſt facies,quòd Deo nedum deteſtabilis eſt; verùm etiam ipſimet Diabolo faſtidium quandoque parit,& nauſeam.*

§.4.*Accerrimus virtutum hoſtis Diabolus eſt.*

Fer.2.Dom.tertiæ.

§.1.*Nunquàm honoris eſt expers,qui Deū honorat: quia ſi Deus ſui cōtemptores contemnit, ſui cultores honore proſequitur.*

§.2.*Ad quam erga pauperes largitatem tàm iuſtus teneatur, quàm pauper, expenditur.*

§.3.*Iure optimo norma cēſeri poteſt Principum vita, cùm eam adamuſſim ſectari ſtudeant ciues.*

§.4.*Adeò in Diaboli gymnaſio proficere ſolent peccatores, vt quādoque magiſtrum in ſceleribus vincere,ac ſuperare videantur.*

Fer.3.Dom.tertiæ.

§.1.*Maxima hominis pœna verecundia eſt, & importabile ei videri ſolet ſupplicium pudore ſuffundi.*

§.2.*Ex iuſtorum conſortio nequiores,execrabilioresq́; apparere ſolent iniuſti.*

§.3.*Virtutum quàm magnificus remunerator Altiſſimus?*

§.4.*Firmus dignitatis clauus beneuolentia eſt,ſine quo haud diuturna erūt imperia.*

Fer.4.Dom.tertiæ.

§.1.*Improborum eſt proprium cunctos ſuo pede metiri.*

§.2.*Eò multorum Principum, ac Prælatorum peruenit inſania,vt magis proprias,quàm Dei leges Zelentur.*

§.3.*Serpit vitium,& non ſecus, ac peſtis in proximū quemque graſſari ſolet.*

§.4.*Peccatores ſatis rationabiliter mentecapti nuncupari,oſtenditur.*

Fer.5.Dom.tertiæ.

§.1.*Neceſſitatibus vt conſulat proximorum, quàm ſolicita, ac præpropera charitas?*

§.2.*Dæminum in directum adducūt ærumnæ,& à Dæmone ad Dominum currere facit afflictio.*

§.3.*Quia publicis mortalium indigentijs non conſulere verecundatur (ſi fas eſt dicere) Deus, proptereà non violentèr eſt expetenda gratia, ſed tātùm proponenda occaſio.*

§.4.*Acriter flagellatur in mente, dum in facie laudatur humilis.*

# SPICILEGIVM EVANGELICVM

PER OMNES QVADRAGESIMÆ DIES DISTRIBVTVM,

**Ex Sanctorum Patrum, grauiſſimorumquè Scriptorum Meſſe collectum.**

# FERIA IV. CINERVM.

**Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Matth. 6.**

## §. I.

***A vitijs, non ab eſcis abſtinentia, verum ieiunium cenſeri debet.***

Ieiunium duplex.

1 IEiuniũ omnes Sãcti Patres, ſacræq; ſcripturæ expoſitores in corporale, & ſpirituale diuidunt: illud eſt abſtinẽtia ab eſcis pro certo, & determinato tempore; hoc autem abſtinentia à vitiis, quæ nullum habet præſcriptum tempus: ità inter cæteros Chryſoſtomus hom. 15. ex cap. Matt. 6. *Ieiunium corporale eſt, & ſpirituale: corporale ieiunium eſt abſtinentia à cibis: ſpirituale ieiunium eſt abſtinere à peccatis: nàm ſicut caro delectatur manducando, ſic ſpiritus delectatur peccando.* Quod ſpirituale ieiunium fortè cognouit Ariſtides, qui interrogatus à Themiſtocle, in quo ſumma boni Iudicis conſiſteret laus: an in ſcire, & præſcire hoſtium cõſilia? Reſpondit: *Et iſthuc ò Themiſtocles faciendum eſt; ſed in primis, oportet habere manus abſtinentes, atque hæc egregij Ducis laus eſt*: Ità Plut. in eius vita: atq; infert ipſe: *Quo ſermone, notauit Themiſtoclis rapacitatẽ, et oſtendit à publico bono abſtinendũ eſſe hominibus*: Hactenus Plutar. Quo ex conſilio, clarè patet, manus vocaſſe abſtinẽtes, ac penè a rapacitate ieiunantes, vt boni Iudicis manus eſſe dicantur. Quòd & clariùs Iuuenalis docuit, loquens de ira, de qua ſic ait: *Crediderim genus eſſe cibi*; cuius ex ſententia ſic infero: ſi ira genus eſt cibi, ergò ab ipſa abſtinere, genus eſt ieiunii: audi Bernardum ſerm. de Quadrageſima: *Si gula ſola peccauit, ſola quoque ad ieiunium ſufficit, ſi verò peccauerunt cætera membra, quarè non ieiunant? ieiunet igitur oculus, qui depradatus eſt animam: ieiunet lingua à detractione: ieiunent manus ab illicitis abſtinendo: à vitijs anima ieiunet omnibus*: patentiùs, ac ſi diceret: bonum eſt equidèm corporale ieiunium: bona ab eſcis abſtinentia; melior tamen à vitiis, hæc eſt ſumma ieiunii noſtri perfectio, à vitiis, à peccatis, atque ab illicitis omnibus ieiunare. De quo autem ieiunio loquatur hic Saluator, cum dicit, *Cum ieiunatis, &c.* ipſemet explicat, dum ſubiungit, *Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes; exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes*: in quibus verbis, non ſolum ieiunium nobis proponens, verum etiam à iactantia, inani gloria, & ab omnibus aliis vitiis abſtinentiã mãdans: oſtendit de ieiunio, nedum corporali, verum etiam ſpirituali, loqui, cũ dicit, *Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, &c.* ſic Chryſologus ſerm. 7. ſuper dicta Saluatoris verba, *Ergò ieiunium, quod contra vitia prima virtus eſt, nobis in arce pectoris collocetur*, ac ſi manifeſtiùs diceret: amplectamur fratres ieiunium corporale, ſed multò magis ſpirituale: abſtineamus ab eſcis, ſed ieiunemus pariter & à vitiis, ꝙ verũ primum, atq; perfectũ dici debet ieiuniũ.

*Chryſoſt.* — Abſtinentia manuum. — *Plutar.* — *Bernard.* — Ieiunium totius corporis. — *Chryſol.* — Ieiunium efficax virtus contra vitia.



Digitized by Google

Cur Chriſtus in deſerto ieiunauit.

Matth. c. 4.

2 Huius ieiunii perfectionem, verbis quidèm, ſed multò magis exemplo docuit Saluator, qui quadraginta diebus ieiunare volens; ſeceſſit in deſertū, vt D. fatetur Matt. cap. 4. *Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, & cum ieiunaſſet, &c.* Sed cur Domine (dicere ſi licebit) ieiunas? & in deſerto ieiunas? cur non in Ciuitatibus, in frequentijſque populorum? obſtruere nonnè debes maledicentium ora, quæ ſic petulanter laxantur, *Quarè cum peccatoribus, & publicanis manducat Magiſter veſter?* nonnè Magiſter cum ſis cęleſtis, mundum inſtruere debes, ieiuniumque docere? Cur ergò in deſerto ieiunas? Rem conſiderauit hanc D. Antonius de Padua ſer. in Dominica prima Quadrageſimæ dicens; ſuo exemplo mundum docere voluiſſe, ideò in deſerto ieiunaſſe: ſed quos docuit, ſi à nemine videbatur? Quem erudire poterat, ſi pro tūc omnes fugiebat diſcipulos? ità ſanè dicit Sanctus præfatus: fugiens homines, homines erudiebat, & in deſerto ieiunans, verum ieiunium oſtendebat, quod quidem nedum in abſtinentia ab eſcis, verum etiam à peccatis conſiſtit: fugit ergò in deſertū, tacitè nobis dicens: ſi ego à quo longè eſt omne peccatum, vt ieiunem in deſertum fugio; vos, qui non eſtis ſine periculo, vt perfectè ieiunetis; occaſiones omnes peccandi fugite: aliter autem ieiunium verum nō iudicabo. Audi Antonium loco citato: *Hoc igitur ieiunium, proculdubio Chriſtus voluit obſeruare; ſi enim ſolum ieiunium corporale obſeruare voluiſſet; non oportebat conſortium omniū fugere: hoc ieiunio ieiunauit Moyſes, & Elias.* Percipe tu nunc, qui ieiunas, & inter vitia continuò volutaris: vide, quodnam verum ſit, perfectumq; ieiunium, & quomodò ieiunare debeas, ex hoc cęleſti Magiſtro collige.

S. Anton. de Padua.

Noctibus ieiunare quid ſit.

Matth. 4.

3 Sed magna mihi ex verbis Euangeliſtæ, Chriſti ieiunium deſcribentis, occurrit difficultas, & eſt: Cur de noctibus mentionem facere voluerit, dicendo, *Cum ieiunaſſet quadraginta diebus, et quadraginta noctibus?* Quis neſcit die ieiunantem, ieiunare etiam et nocte? ſi enim ieiunium die obſeruari debet naturali, & die, & nocte ieiunare debemus: ad quid ergo dicit, *Cum ieiunaſſet Quadraginta diebus, & quadraginta noctibus?* Sed optimè ſic Chriſti ieiunium expreſſit Euangeliſta. Certum eſt enim malè agentes expectare tenebras, ne opera eorum arguantur; ſic ait ipſe Saluator, *Qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* *Ioannis* 3. Si ergo peccatores, omneſquè malè agentes in noctibus præcipuè malas explent voluntates; meritò dicatur, vt benè agentium explicetur ieiunium; die ieiunandum eſſe, & nocte, ad diſtinctionem malè agentium, qui à vitiis die ieiunant, ne eorum arguantur opera: noctibus autem à vitiis non ieiunant: propterea die, noctuq; cæleſtē noſtrum ieiunaſſe Magiſtrum Diuus aſſerit Euangeliſta, vt quiſnā verè ieiunet ſuo doceret exemplo; audi prædictum Antonium loco proximè citato, *Multi autem ſunt, qui in die non in nocte ieiunant, nolunt enim in luce malè facere, nè opera eorum arguantur; ſed in occulto malitias operātur, de quibus dicitur per Ezechielem: Ecce vides fili hominis, quæ ſeniores Iſrael faciunt in tenebris, vnuſquiſque in abſcondito cubilis ſui, dicunt enim non videt Dominus.* O quam clarum ieiunantium, & non ieiunantium exemplum! ieiunant equidèm, Chriſtum, qui imitantur diebus, ac noctibus à peccatis ſemper abſtinentes, quod verum, immò cęleſte eſt cenſendum ieiunium. Non ſic peccatores, qui ieiunant quidem à vitiis, ſed in die tantum. O quam malum, quamque execrabile ieiunium: in die ieiunare, in noctibus peccare! in luce à vitijs abſtinere, in tenebris inter vitia volutari! *Non tale ieiunium elegi (dicit Dominus)* per Iſaiam cap. 58. Meritò ergò ad veri ieiunij oſtenſionem Euangeliſtā ſic ait: *Cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.*

Ant. de Padua.

Quod ieiunium docuit nos Chriſtus.

Ad Tit. c. 3

4 Cęleſtem hanc doctrinam, de vero nempè ieiunio diuinitùs nobis traditam teſtatur Apoſtolus ad Tit. cap. 3. cum dicit, *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo.* Miſericordia Dei non modica fuit dicit Paulus, de vero nos erudire ieiunio; ipſe enim pręcipiendo docet, atque docendo præcipit, *vt ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus*, non tantum dicit, *ſobriè*, quod ad abſtinentiam pertinet ciborum, ſed addidit, *iuſtè*,

*ſtè,*

*ſtè,& piè*, ac ſi diceret: benignitas Dei fuit,nos verum docere ieiunium, quod non tàm in ſobrietate ſitum eſt ferculorum, quàm in abſtinentia ab omni culpa: ideò nobis non tantum ſobriè viuere ſufficit;ſed etiam iuſtè,& piè,neceſſe eſt viuere,vt verè ieiunantes dicamur,quem verborum ordinem D. obſeruauit Anſelmus ibidem, cum dicit, *Sobriè,& iuſtè,& piè viuamus, ſobriè quãtum ad nos,iuſtè erga proximum, & piè erga Deum: hanc abſtinentiam in tempore præſentis vitæ,velut in quadrageſima debemus omnes ſeruare. Ieiunium enim magnũ, & generale eſt abſtinere ab erroribus, & illicitis ſæculi voluptatibus ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus,quaſi abſtinentiã quadrageſimæ obſeruãtes.* Cęleſtis profectò doctrina,diuinus ordo,ſobriè nedũ, ſed iuſtè, & piè viuere, vt verè ieiunari dicatur.

*Anſelmus.*

5 Huc Phariſaicum adduco ieiunium, de quo ipſi gloriabantur, dicentes; *Quare nos Phariſæi ieiunamus frequenter,diſcipuli autem tui non ieiunant?* Matt. 9.vbi D. ait Paſchaſius falſo Apoſtolos accuſari, cum eorum vita nihil aliud, quàm continuum fuerit ieiunium, ita ipſe lib.5.ſuper idem. Toſtatus autem quæſt. 22. ibidem, accuſationem hanc conſiderans dicit: *Diſcipuli Chriſti non deficiebant in ieiunijs legis, ſiuè neceſſarijs; ſed ſolum in ieiunijs deuotionis,& ſpecialiter in illis, quæ obſeruabant diſcipuli Ioannis, & Phariſæorum.* Quod ſi verum (vt puto) eſt, verum etiam erit Phariſęos ſępè,diſcipulos autem Chriſti raro ieiunaſſe;quomodo ergo verum cenſebitur, quod D.fatetur Paſchaſius,quòd tota diſcipulorum vita nihil aliud quàm cõtinuum fuerit ieiunium? Sed certè acutiùs ſi res conſiderabitur,ità prorſus inuenietur; nàm ſi verum ieiunium a vitijs eſt abſtinentia; ab illis continuò abſtinentes, continuò ieiunantes cenſeri debent: optimè ergo dicat Paſchaſius: *Eorum vita non aliud quam cõtinuum ieiunium fuit*:ſecus autem de Phariſęis dicẽdum,quia & ſi ab eſcis continuò abſtinerent, vitia autem minimè fugiebant: ideò de ieiunio iactari iuſtè non poterãt. Iure igitur optimo interrogationi huic reſpondit Saluator (vt ait Matt.) *Nemo mittit vinũ nouum in vtres veteres, ſed vinum nouum in vtres nouos, & ambo conſeruãtur.* Manifeſtius ac ſi diceret: ſicut vinum nouũ in veteri perditur vtre, cõſeruatur autẽ in nouo; ſimiliter & ieiuniũ in veteri homine,in vitijs nẽpe inueterato perditur, ieiunijque ſaporem minimè habet,in nouo autem ideſt in renouato, vt ait Paulus ad Teſſ. 3. *Expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum*: veri ieiunij perfectionem conſeruat: tacitè (ni fallor) contra Phariſęos inferens: cur de ieiunio gloriamini? abſtinentiam veſtram in medium cur profertis? ciborũ parſimoniam, ferculorumque vilitatem cur iactatis, ſi opiparè, quotidie vitiorum epulis ſaturamini? non eſt hoc verum ieiunium,ſed potius illud,quo mei ieiunant diſcipuli à vitijs abſtinendo: hæc ipſorum ſumma ieiunij eſt perfectio. Rem optimè declarauit Carthuſ. ibidẽ art.18.cum ait: *Ioannis, & Phariſæorum Diſcipuli, quamuis corporaliter ieiunarent, parum tamen interius profecerunt,quoniam gratia innouationis dictæ non erant repleti, tali ergo infructuoſo ieiunio noluit Chriſtus ſuos ieiunare; præſertim cum corporalis exercitatio ad modica proſit*: Nota quæſo verba illa: *Tali infructuoſo ieiunio*,& videbis, quod nam verum cẽſeri debeat ieiunium,ſi infructuoſa eſt ab eſcis, non à vitijs abſtinentia.

*Apoſtolorum vita perpetuum ieiunium.*
*Matth. c. 9.*
*D. Paſchaſ.*
*Toſtat.*
*Paſchaſius.*
*Phariſaicum ieiunium.*
*Matth.*
*Ad Theſ. 3.*
*Carthuſ.*

6 Conſimili infructuoſo ieiunio Phariſęus ieiunauit ille,qui de ſe ſic aiebat: *Gratias tibi ago Domine, quia non ſum ſicut cęteri,etc. ieiuno bis in Sabatho*,vt de eo Lucas teſtatur c. 18. Publicanus autem nihil tale dicebat, ſed pectus ſuum percutiendo tantum,aiebat: *Deus propitius eſto mihi peccatori*: Quis horum tibi perfectius, ieiunaſſe videtur? ſi Phariſęum dices,erras certè, nàm ipſe ſcrutator cordium Deus pro publicano concluſit: *Diſceſſit hic iuſtificatus ab illo*. Et Hieronymus lib.26. Comment. in Iſai. dicit: publicanum verè, Phariſęum non verè ieiunaſſe; quod vt facilius percipias; Dominum per Iſaiam lege c. 58. de ieiunio ſic loquentem: *Nunquid tale eſt ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? nunquid iſtud vocabis ieiunium? nonnè hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? diſſolue colligationes impietatis.* Quæ verba ſubtiliter ſi conſiderabis, & præcipuè illa: *Hoc eſt ieiunium, quod elegi? diſſolue colligationes impietatis*: facilè percipies Phariſęum non verè ieiunaſ-

*Luc. c. 18.*
*Iſai. c. 58.*

ſe: quia & ſi carnem abſtinentia maceraret, impietatem nihilominùs continuò fouebat: quia quamuis corpus rigoris inædia exteriùs affligeret, intus tamen vitiorum ferculis veſcebatur. Sic

*Hieronym.*

Hierony. loco citato, de peccatoribus in genere, de Phariſęo autem in ſpecie, loquitur, dicens, *Hi enim aluntur cibis impietatis, & vino iniquitatis inebriantur, huiuſmodi epulis ſaturatus Phariſęus inter cætera verba ſuperbiæ, bis in Sabatho ſe ieiunare iactabat*. Audiſti Phariſęũ corpore ieiunantem, non ſpiritu; audi nunc Publicanum, ſpiritu ieiunantem, non corpore; percutiebat pectus ſuum, peccata intus clauſa, quaſi ſeueriſſimus Iudex, caſtigabat, veterem hominem expoliabat cum actibus ſuis: hoc eſt ieiunium, quod elegit Dominus; diſſolue colligationes impietatis. Ità pro Publicano loquitur Euſebius Emiſſ. Dominica prima ſuper illa verba: *Non occides. Hi ſunt illi cibi, à quibus vtrunque Teſtamẽtum præcipit abſtinere; qui ergo carnẽ ieiuniis macerat, niſi interius ab iſtis cibis ieiuniũ cuſtodiat, non benè ieiunat*: Ieiunemus igitur corpore, ieiunemus & mente: non vt Phariſęus, qui malè ieiunans reijcitur; ſed vt Publicanus, qui benè ieiunans laudatur. Vndè meritò cõcludit S. Zeno. ſer. de ieiunio, *Iudaicum ieiunium abijciens Dominus dicit: non ad iudicia, neque ad lites ieiunetis, in his enim ieiuniorum diebus, quã plurimi vacant, vt magis videantur. Idcircò corporis ſubtrahere cibum, & noxiis calumniarum dapibus animam ſaginent, & ob hoc ſolum eſuriunt à cibis, vt litibus ſatientur, hãc ergo abijciens ieiunii formam, non tale ieiunium elegi, dicit Dominus*; hæc ipſe.

*Corpore, & non mente ieiunare Phariſaicũ eſt.*

*Euſeb. Emiſſ.*

*S. Zeno.*

*Ninivitarũ ieiunium malè ieiunantes arguit.*

*Matth. 12.*

7 Nunc facilè percipi poterit: cur tantum laudãtur in ſcripturis, quinimmò ab ipſo Deo viri Niniuitę, qui volens ſcribas, Phariſęoſquè ſigna petentes arguere, ſic dicit: *Viri Niniuitæ ſurgẽt in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam*; vt habetur Matt. 12. ſed cur nõ eam cõdemnabunt Apoſtoli, quibus ſedendi, iudicandiquè concedetur facultas: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael*? cur non Martyres? cur non alij? quod Niniuitis peccatoribus talis iudicãdi cõcedetur poteſtas: *Viri Niniuitæ ſurgẽt in iudicio cũ generatione iſta, & condemnabunt eam*; cui difficultati ſatisfacit Chryſoſtomus ſerm. 1. de ieiunio, cum dicit, meritò à Niniuitis iudicari, quia de ieiunio inter cætera tunc agebatur, & ipſi propter Ionæ verba vero ieiunio ieiunauerunt; *Prædicauerunt cum ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maximo vſque ad minimum: homines, & iumenta non guſtauerunt quicquam*: ità habetur Ionæ 3. iſti autem non Ionam, ſed Ionæ Dominum audiẽtes, & à ſupremo edocti magiſtro vero ieiunio ieiunare nolebant: ieiunabant quidem corporaliter, non autem ſpiritualiter: abſtinentia erat in ore, non à concupiſcentijs; iudicentur ergò, & meritò à Niniuitis, quorum exemplo vti noluerunt. Sic Chryſoſtomus de Niniuitarum loquens Ieiunio: *Erat autem ieiunium non vulgare: ſed abſtinentia quidem à cibis abſtinentia à peccatis*. Perfectam vidiſti Niniuitarum abſtinentiam ab eſcis, & à vitijs ſimul: Phariſæorum nunc audi ieiunium, de quo ipſemet loquitur Chryſoſtomus hom. 3. ad populum, *Ieiunauerunt Iudæi, & nihil plus egerunt, ſed culpati abierunt*: quæ Chryſoſtomi verba ſi perpendes, & præcipuè illa, *nihil plus egerunt*, videbis, quod excepto oris ieiunio, abſtinentia excepta ciborum nihil plus egerunt, à vitijs non abſtinuerunt, à peccatis non ſe longè fecerunt, propterea non iudicare, ſed iudicari dicuntur, & non ab alijs, quã à Niniuitis perfectè ieiunantibus, quorum exemplo vti noluerunt.

*Ionæ 3.*

*Chryſoſt.*

*Chryſoſt.*

8 Non modica tandem in re hac, de qua agimus eſt difficultas, cur inter tot Iobi diuina præconia tantum de ieiunio nõ laudatur, cum ipſe ſit ille, qui inter conuiuantes quotidiè filios ſolus ieiunabat, atquè buccella tantum ſe ſuſtentari ſinebat; proprio dicens ore: *Si comedi buccellam meam ſolus, & comedit pupillus ex ea*; de hac ergo abſtinentia cur non laudatur? hoc cur non commendatur ieiunium, ſi cęteræ laudantur virtutes? Rem conſiderans Origenes lib. 1. in Iob. dicit ipſum de abſtinentia maximè laudari, immò ſuprà cæteras virtutes, ſummè hãc à Domino commẽdari: ſed vbi corporis maceratio? vbi abſtinentia? ieiunium vbi à Domino laudetur, non reperies, niſi oculos ad veri ieiunii ſummam declinaueris: nàm ſi verum ieiunium abſtinentia eſt à vi-

tiis;

tijs, Iobi lege laudes, & ieiunium in cō-
cluſione reperies: dixit, enim, Deus:
*Iob 1. et 2.* *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob,*
*quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſim-*
*plex, & rectus, ac timens Deum, & recedens*
*ab omni opere malo*; ſic habetur Iob 1. &
2. Ab omni recedit opere malo, à vitiis
abſtinet omnibus; meritò, vt verè ieiu-
nans de ſumma abſtinentia laudatur,
quæ in concluſione pro fine, pro termi-
no, pro virtutum omnium complemen-
to ponitur: *Abſtinēs ab omni opere malo;*
*Orig.* ità Origenes loco citato: *Sic itaquè ſuper*
*omnes cæteras virtutes, præcipuam eius vir-*
**Iob quomodò perfectiſſimè ieiunauit.** *tutem in concluſione demonſtrans, Dei cul-*
*torem illum fuiſſe oſtendit, atquè ab omni re*
*mala abſtinentem*: in concluſione Iobi à
vitiis ponatur abſtinentia, in fine ieiu-
nium; quia ſi finis habet rationem opti-
mi, optimum dici debet hoc Iob ieiu-
nium, hæc à vitiis abſtinentia.

9 . Immò non ſine ratione quærit
idē Origenes loco ſuperius citato: cur
in Quadrageſimalibus diebus Iob vita
ab Eccleſia proponatur, atquè legatur
*Orig. quo ſup.* (mos ſic erat tempore ipſius) vnde loco
citato dicit: *Similiter autem in Conuentu*
*Eccleſiæ in diebus ſanctis legitur paſſio Iob:*
*in diebus ieiunii, in diebus abſtinentiæ, in*
*diebus, in quibus in ieiunio, & abſtinentia,*
*ſanctam Domini noſtri Ieſu Chriſti paſſio-*
*nem ſectamur, vt terribilem eius paſſionem*
*tranſeuntes ad beatam eius reſurrectionem*
*venire mereamur*; hæc ipſe: rationem au-
tem huius rei aſſignat, dicens: ſi verum
ieiunium non conſiſtit in abſtinentia
ab eſcis, ſed à vitiis: in tempore ieiunii
Iob proponatur, abſtinens ab omni
opere malo, vt vera ieiunii norma a ie-
**Iob vita veri ieiunij norma fuit.** iunātibus videatur. *Meritò ergo* (dicit ip-
ſe) *nunc in diebus ſanctificationis, in diebus*
*ieiunii, beati Iob paſſio legitur, meditatur,*
*atquè ſcrutatur*; ac ſi diceret: Iob aſpicite
ieiunantes, Iob conſiderate abſtinētes,
Hic veri ieiunii norma eſt, & exemplum
ipſum imitari debetis, vt verè ieiunan-
tes dici poſſitis.

**Ieiunium cæteras virtutes comites habeat.** 10 Hoc tandem verum, perfectum-
què ieiunium, docet etiam Sancta Ma-
ter Eccleſia hac die clamans cum Ioe-
le c. 2. *Sanctificate ieiunium, vocate cætum:*
*Ioel c. 2.* Sanctificare ieiunium ſignificans, nihil
aliud eſſe, quàm vocare cętum cætera-
rum virtutum, quia ſi ſola relinquatur
corporis abſtinentia, nequaquam verū,
perfectumque ieiunium dici poterit:
Bernardus de oratione, & ieiunio ſerm. *Bern.*
4. *Sanctificate ieiunium, vocate cætum:*
*Quid eſt autem cætum vocare? vnitatem ſer-*
*uare, diligere pacem, cæteraſque virtutes.*
Sic noſtrum ſanctificabitur ieiunium:
ſic noſtra Deo erit grata abſtinentia.

## Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans. Matt 6.

### §. II.

*Virtuti, non magis, quam quomodo operienda ſit virtus, incumbendum eſt iuſtis.*

1 MIra equidèm connexio,
ieiunii, vnctionis capitis,
atquè faciei lotionis eſt
iſta. *Tu autem cum ieiunas*
*vnge caput tuum, & faciem tuam laua*:
mira equidem connexio: ſed mirabile
prorſus, atquè diuinum ſacramentum
verbis his iuſtis proponitur: myſterium
hoc magnum dico, in virtute, & operi-
mento virtutis; videlicèt, quòd non mi-
nus ieiunio, atquè virtuti, quàm quo-
modo uirtutem ipſam operire debe-
ant, ne omnium oculis pateat; ſed tan-
tum Patri illi, qui eſt in abſcondito ſit
incumbendum: quid enim mercatori
prodeſt diuitas acquirere, acquiſitas
domi reponere, ſi repoſitas poſtea per
feneſtras proiiciat? quid aliud eſt uir-
tus, niſi theſaurus? *Habemus quidem the-*
*ſaurum iſtum in vaſis fictilibus*: ita teſtatur
Paulus 2. Corint. 4. qui paulatim ne- *2. Corin. 4.*
dum, ut dixit regius ille Vates Pſal. 83. *Pſal. 83.*
*Ibunt de virtute in virtute*; ſed cum ma-
gno labore, atquè ſudore acquiritur; ità
Virgilius,

*Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,*
*Difficilemquè aditum primum ſpectantibus offert.*

Quid prodeſt theſaurum hunc tanto
ſudore acquiſitum per otis feneſtram,

*Chryſoſt.*

atquè iactātię proiicere? ità dixit Chryſoſt. hom. 5. in cap. Geneſeos primum *Gloria vana quandoquidem à nobis auolare facit etiam, quæ nos habere putamus, ſic Phariſæus ille Publicano minor factus eſt, eo quod linguæ ſuæ imperare non potuit; ſed per illam, ſicut per feneſtram aliquam omnes diuitias ſuas effudit*, Quam prodigalitatem, uel (ut melius dicam) ſtultitiam prohibere uolens Saluator; operimentum præcipit nobis, ut quæramus uirtuti, cum dicit: *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua;* ac ſi untione, atquè lotione operiẽdum noſtrum ieiunium aſſeueraret. Audi Chryſoſtomum ſuper modò dicta uerba, in catena citatum: *Simplex autem interprætatio huius eſt, quoniam per aggregationem intelligenda ſunt iſta, ſicut cætera antedicta; tanquam ſi dicat ſic longe te facere debes ab oſtentatione ieiunii tui, vt ſi poſſet fieri (quod tamen non decet) ea etiam facias, quæ ex aduerſo luxuriæ, & epulationis videntur eſſe indicia:* perſpice nunc uirtutem, & operimentum uirtutis, quomodo præcipiatur a Chriſto.

Vana gloria eſt feneſtra per quã partæ merces effunduntur

Ieiunium abſcondendum.

2 Fallor, ſi huc non ſpectat, quod de Adam ſacra narrat hiſtoria, quòd uix creatus, ſpiritum uix uitæ recipiens in uoluptatis Paradiſo fuit collocatus, *Plantauerat Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem, quem formauerat.* Gen. 2. Rationem autem, cur in tali loco conſtitutus fuerit Adam ſubiungit ipſamet ſcriptura, dicens; *Poſuit eum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum:* ſed à quo cuſtodiebat, ſi cunctas feras ad nutum obedientes uidebat? à quo cuſtodiebat, fur ſi non erat, latro ſi non inuadebat? hominem ſi præter ipſum, alium in mundo non agnoſcebat? ad quid ergo diligentia? ad quid cuſtodia? ſed ò mira diuinæ ſapientiæ altitudo, quæ aliud literæ cortice, & aliud ſpiritus medulla ſignificat! mandabat quidèm circa Paradiſum diligentiam, & circa locum illum vigilantiam, ſed non minus circa uirtutem præcipiebat cuſtodiam, Adæ, quaſi diceret: uide ò homo, ſi ego operationem cuſtodiæ, & cuſtodiam operationi indiuiſibiliter coniungo, indiuiduas has, ſi uoco ſocias, ex hoc collige, tibi minimè licere, uirtuti, non cuſtodię inuigilare; operimento incumbere; pulcrè nimis rem confirmauit hanc Ambroſius lib. de Paradiſo c. 4. cum dixit: *Non idem eſt operari, & cuſtodire, in opere enim quidam virtutis proceſſus eſt; in cuſtodia quædam conſummatio operis, deprehenditur; eo quod quaſi conſummata cuſtodiat: hæc duo ab homine requiruntur, & vt operibus noua pariat, & parta cuſtodiat: Vltimò quæſo* nota uerba hæc: *Duo ab homine requiruntur, vt noua pariat, & parta cuſtodiat:* Et uidebis quòd unum ſine altero nõ ſufficit, opus ſine cuſtodia certè deperditur; ideò hæc duo ab homine requiruntur, uirtus nempè, & uirtutis operimentum, ut iuncta conſeruentur, nam aliter conſeruari nequeunt.

*Geneſ. 2.*

*Ambroſ.*

Virtus paranda, & cuſtodienda.

3 Hæc Eliſeo Elias ſignificare uoluit, quando petente illo, ut duplex fieret in eo ſpiritus ſuus, *Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus* 4. Reg. 2. Rem difficilem poſtulaſſe reſpondit Elias: difficilẽ quidèm, quia ſufficere poterat ei ſi fuiſſet, ſicut magiſter eius; promiſit tamen, ſi ſe aſcendentem uidiſſet, *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti*: læta prorſus promiſſio: ſed rem attende: ſublato per turbinem Elia, clamante diſcipulo: *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & Auriga eius*, cecidit Eliæ pallium, & ſtatim leuatur ab Eliſeo: *Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* O res prorſus miranda! petit Eliſeus duplicem Eliæ ſpiritum, & conceditur ei pallium! *Leuauit pallium eius, quod ceciderat.* Quæ connexio promiſſionis, & euentus? quæ, inquam, ſpiritus, & pallii proportio, quòd petenti ſpiritum, concedatur pallium? ſed mira quidem cõnexio diuina prorſus: ſciebat utiquè Elias uirtutem eſſe tegendam, & minus uirtuti, quàm operimento uirtutis eſſe incumbendum; & quia Eliſeus uirtutem tantum, non pallium quærebat, & ſpiritum, & pallium ei præbere debebat; Audi Nicolaum de Lyra, rem acutè perpendentem: *Non à caſu cecidit Eliæ pallium; ſed ex diuina ordinatione, vt Eliſeus ipſo operiretur, quia ſpiritus Elię requieſcebat ſuper eum.* Audiſti cauſſam, cur petenti ſpiritum, conceditur, & pallium, ut pallio ſpiritum, uirtutemque operiret.

*4. Reg. 2.*

*Lyranus.*

Eliæ pallium ſpiritus operimentum.

4 Ad rem etiam noſtram, ni fallor, non parum facit, quod de filio prodi-

go,

go, ſepè me legiſſe memini: hic enim ad patrem rediens, peccatum ſuum nix il-

*Luc. c. 15.* lum uidens, conſitebatur dicens: *Pater paecaui in Cèlum, & coràm te iàm non ſum dignus vocari filius tuus;* ſed quod ille, in reditu, atquè filii confeſſione egerit, declarat Euangeliſta: *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum.* Patrem filii egeſtati prouidere, nõ miror; nec enim tenerrima Patris uiſcera filium tanta in egeſtate depreſſum ferre poterant;

*Chryſolog.* ſic dixit Chryſologus ſer. 3. de filio prodigo, *Suſtulit filii crimina, qui non ſuſtulit nuditatem; hinc eſt, quod à ſeruis ante veſtiri filium voluit, quàm videri;* ſed miror ſatis, quinimmò obſtupeſco, Patris clamantis, celeritatem conſiderans: *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum:* ad quid tãta celeritas? ſatis nonnè erat dicere: proferte ſtolã, & induite illum; cur etiam citò filium induendum eſſe proclamat, dicens: *Citò proferte ſtolam primam:* ſed ò myſterium ingens! de virtute hic agebatur, confitebatur crimina, deteſtabatur vitia, nouam filius ſectari incipiebat vitam; dicens: *Peccaui in Cælum, et coràm te, iàm non ſum dignus vocari filius tuus,* Virtus ſine operimento (ac ſi diceret Pater) ſtare non poteſt; quæritur virtus? quæratur pallium, quo tegatur; ideò dixit: *Citò proferte ſtolam primam, et induite illum;* ne omnium oculis virtus hæc clareſcat, ſed Soli innoteſcat Patri. Decipior ſi huc non ſpectat ſententia Calliſti Placentini. Enarrat.

**Prodigi ſtola pœnitentiæ pallium fuit.** 15. hac de re ſic loquentis: *Hac omnia iubet Deus miniſtris Eccleſiæ, vt erga eos, qui ad fidem, pænitentiamquè conuertuntur, fiant; primò induant ſtola: eſt enim ſtola indumentum, quo homo totus operitur.* Peccatoris pænitentię figura eſt hæc, de qua cum agitur, ſtatim, de ſtola, de pallio, dequè indumento cogitandum eſt, quo virtus hæc operiatur, vt Patri tantum pateat illi, qui eſt in abſcondito.

5 Optimè rem hanc, quomodo videlicet, & virtus, & indumentum ſimul virtutis ſit quærendum, intellexit mulier illa, quæ in Euangelio peccatrix deſcribitur: ipſa namque pœnitentiam cũ agere, venenumque peccati foras euomere vellet, ad pedes cucurrit Saluatoris, ibique prima pœnitentiæ, nouæque vitę fundamenta iecit, lacrymis rigans, capilliſque tergens Saluatoris plantas, ſic dicit D. Lucas cap. 7. *Lacrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat.* *Luc. c. 7.* Sed quid eſt hoc, ò mulier? quid agis? rem fortè non conſideras, lacrymis rigas Saluatoris pedes? optimè, ſed cur capillis, non linteaminibus, vel lineis, vel ſericis abſtergis? An tali laboras egeſtate, quòd omnia iſta tibi prorſus deficiant? minimè quidem, nam aliàs, ſcio vnguentum te tanti pretij effudiſſe, quòd dixerunt diſcipuli, & præcipuè Proditor, *Poterat enim vnguentum iſtud venundari multò, & dari pauperibus,* Matt. 26. cur tantam nunc egeſtatem prodis? quod capillis tergere ſit neceſſe? Me non latet multos dixiſſe, hoc ideò factum eſſe, vt ſingula peccati inſtrumenta in pœnitentiæ media verteret, & quæ capillis inhoneſtos antea conſtringebat, iiſdem nunc honeſtatis ſibi copularet auctorem. Attamen inter

*Euſeb. Emiſſen.* cætera Sãctorum Patrum rationes, cur capillis terſerit, vna mihi, Euſebij Emiſſeni ſententia, maximè arridet, qui feria

**Magdalenæ capilli abſterſorium, & tegumentum.** 5. poſt Dominica paſſionis, ſic ait, *Eaſdem lacrymas capillis tergendo, ne viderentur abſcondit, ſe vtique de illis non eſſe oſtendit, qui omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus de quibus Dominus ait, quia receperunt mercedem ſuam.* O miram mulieris ſapientiam, quæ virtutem quęrebat, ſed operimentum non dimittebat! lacrymabatur quidem, ſed quo pallio lacrymæ abſconderẽtur inuenit! Diſcriminabat crines, eoſque ſuper Saluatoris pedes extendebat, ne lacrymæ ſubtus emiſſæ viderentur, quod quidem aliter efficere minimè potuiſſet.

6 Secus autem Phariſæum illum à D. Luca c. 18. deſcriptum feciſſe reperio, qui in domo Dei, ſuas enarrans vir- *Luc. c. 18.*

tutes aiebat: *Gratias tibi ago Domine, quia non ſum ſicuti cæteri, iniuſti, raptores, adulteri, &c. ieiuno bis in Sabatho, decimas do omnium, quæ poſſideo,* & cum tot, tantaſq; enumeraret virtutes prorſus inuiſus diſceſſit; è contrario verò Publicanus, nihil tale dicebat, ſed tantùm, *Deus propitius eſto mihi peccatori,* & ſubiungit Euangeliſta, *Diſceſſit hic iuſtificatus ab illo.* Nec mirum ſi inuiſus ille, & charus Deo, hic Publicanus deſcribatur; quia ſicut virtutem ille notam facere non erubuit, ſic pœnitentiam iſte abſcondere benè nouit: Carthuſianus ibidẽ, *Mi-* *Carthuſ.*

*rum*

Phariſæi vanitas.

*rum alicui poteſt videri,cur,et vndè,et quomodo iſte Phariſæus fuit ſuperbus, qui bona ſua Deo adſcripſit tanquam datori , & ei gratias egit,tamen mente ad ſeipſum reflectebatur videri cupiens , & laudari, immò de ſua gratiarum actione vanitatem concepit.*Non ſic Publicanus, qui ſciens virtutem tegere, nouit & modū, quo Dei præconio laudaretur.

Phariſæus cur ſtans orauerit.

7 Sed ſiſto magis in rē hac, modūque Phariſæi orandi deſcriptum perpēdens cū eodem quæro Carthuſiano loco citato. Cur non flexis genibus, ſed ſtans orare voluit? *Phariſæus autem ſtans orabat,* hac,ni fallor,de cauſa,vt inter cæteros ſolus ipſe eminentior videretur,& vt cunctorum oculos in ſe trāſferendo,cunctis etiam ſuam palàm faceret orationē, ità Carthuſianus: *Stans cum magis debuerat ſe in terram proſternere, ſeù genua flectere ad reuerentiam Maieſtatis diuinæ ; ſed ſtetit, vt ab alijs videretur.* Sicut ait de talibus Chriſtus : *amant in ſynagogis & in angulis platearum ſtantes orare, vt ſic remotius videantur.* Hæc procul dubio tota reprobationis iſtius cauſa: quia virtutem operire non nouit.

Luc.c.18.

Carthuſ.

8 Sed longè aliter à Phariſæo iſto agebat mulier illa, quæ ſanguinis fluxum patiens,vt D. ait Lucas cap. 8. Ad ſalutis medicum inter fluctuantes, ne comprimentes dicam, populòs, retrò accedens , veſtimenti eius fimbriā tangere cupiebat,intra ſe dicens , *Si tetigero fimbriam tantum veſtimenti eius ſalua ero,* cuius rei miratur Chryſologus ſerm. 35. quòd non anteponi, ſed retrò accedere voluerit. Si ſalutem ab ipſo poſcebat, cur ad terga, non ad faciem confugit Saluatoris? ſed non ſine magno conſilio,hoc factū eſſe putat Chryſologus cum dicit, *Acceſſit retrò, vt turba declinaret oculos,non Chriſti vitaret aſpectum, à populis neſciri voluit,non à Chriſto, geſtiuit non Deum latere, ſed homines*: hæc ipſe: Vbi mulieris conſidera prudentiā, cæleſtem intellige philoſophiam : cupiebat ſalutem, ſed modum quærendi ſciebat;nouerat,qua fide eſſet accedendum,ſed benè ſtuduit oculos declinare turbarum, cum optimè cognoſceret, quòd non magis virtuti , quàm operimento virtutis ſit incumbendum.

Luc.c.8.

Iuſtus homines non Deū latere ſatagit.

Chryſolog.

9 Quod non mediocriter etiam intellexit Sācta Iudith , quæ vt ſacra narrat hiſtoria,poſt viri ſui obitum , *ſecretum ſibi fecit cubiculum,in quo clauſa cum puellis ſuis morabatur, ieiunans omnibus diebus præter Sabatha,oranſque aſſiduè,* ſic in eius lib. cap. 8. vbi inter cætera, notādum puto illud, *Fecit ſibi ſecretum cubiculum:* ac ſi ſatis minimè fuiſſet in cubiculo orare,vltrà procedere voluit, ſecretum ſibi faciendo cubiculum: ſciebat vtpotè quanta ſedulitate virtus eſſet operienda;ideò non in cubiculo tātùm,ſed in ſecreto orare voluit,vt protſus omnium oculos fugere videretur: ſciebat , quòd poſtea dicturus erat Chryſoſtomus, *Eſt autem oratio, quaſi quoddam ſpirituale tributum, quod anima offert Deo de viſceribus ſuis, quantò ergo glorioſior eſt,tantò cautior eſt ſeruanda, ne propter homines facta, vileſcat*. Hæc ille in catena ſuper cap. Matt. 6. cuius rei præſcia ipſa,fecit ſibi ſecretum cubiculum,vbi clauſa cum puellis ſuis morabatur orans,& ieiunans. Meritò ergo laudata, cæleſtiſque Patris oculis meritò ſemper grata.

Iudith c. 8.

Chryſoſt.

Orationis tributum Deo ſecretò præſtandum

10 Super omnes autem creaturas veritatem hanc intellexit Domina noſtra Virgo nempè Beata virtutum omnium Magiſtra,quæ ſemper toto ingenio,totoq; conatu proprias ſtuduit celare laudes,ac operire virtutes;ſit inter cætera multa pro nunc admirabile illud factum , omni certè ſtupore dignū, quòd propter ſuam grauiditatem , nimis anxium videns Ioſephum Sponſum non propter hoc reconditum reuelauit myſterium ; creſcebant dies , creſcebat & ſponſi anxietas,intumeſcebat ſemper virgineus vterus , augebatur quotidiè Ioſephi dolor,qui vſquè eo peruenit , vt ipſam, non ſinè vtriuſquè honoris periculo,dimittere cogitaret;cuius tandem miſertus miſerorum Pater per Angelum patefecit,quod Virgo totis viribus abſcondebat, *Hæc eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens,Ioſeph fili Dauid,noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt,de Spiritu Sancto eſt.* Sed cur, ò Virgo Beata ! ſponſum ſi adeo videbas anxium,adeò dolentem, rem non indicabas? myſterium non declarabas? Dubitabas fortè, quod rei nouitate fides tibi non præſtaretur,vt opinabatur

Matth. 1.

Chry-

Digitized by Google

*Chryſoſt.* *B. Virginis mira, in ſecreto cuſtodiẽdo ſolertia.*

Chryſoſtomus hom. 4. in Matth. *Si viriũ turbatum videbat, cur tantum mœrorem ſermone non abſtulit?* (reſpondetq; ipſe) *Propterea Virgo id, quod audierat, & ſentiebat abſcondit, neq. enim ſibi, vllo modo à Sponſo credendum putauit, ſi ad eum rem nimis nouam, ſuſpectamq; deferret.* Sed certè, qui tuam agnoſcebat ſanctitatem, falsũ quid te nũciare, ſuſpicari nullatenus poterat. Cur ergo dicta non dicis? & tibi nunciata non nuncias? an quia Sacramentum Regis abſcondere bonũ eſſe, optimè noſti? ità prorſus; quia laudes operire, virtutes celare, cęleſtia dona, diuinaq; munera, ſupra vires. quia tegere ſatagebat, myſterium propterea ſilebat abſcõditum. Meum non eſt hoc, quod dico, ſed D. Bonauenturæ in meditationibus pro die Lunæ cap. 7. ſic aientis: *Ioſeph vir eius cum eſſet iuſtus, patienter hãc magnam pertranſibat iniuriam: non enim vindicans, ſed pietate victus, volebat eam occultè dimittere; ſed Domina pertranſiuit abſq. vlla perturbatione: perpendebat enim, & videbat ipſum turbatum, & de hoc ipſa turbabatur; humiliter tñ tacebat, & occultabat Dei donũ, potiùs volebat reputari vilit, quàm propalare de ſe aliquid, quod ad iactantiam putaretur pertinere.* O humilitatis exemplum! ò pietatis magiſterium verè magnum! tribulationes non timet, perſecutiones nõ fugit, de honoris iactura non dubitat: quicquid agit, quicquid cogitat Virgo Beata, totum ad humilitatem pertinet; Laudes vt fugiat, virtutes, vt operiat, diuinaq; dona, vt celet, verè virtutum omniũ Magiſtra, q̃ operari, & cuſtodire optimè nouit. *Bonau.*

# Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, &c. Theſaurizate vobis theſauros in Cœlo, &c. Matth. 6.

## §. III.

*Cœleſti ſpreta fœlicitate, terrenæ tantum infœlicitati oculum, mentemq. figere conatur mundanus.*

1 PRoprium mundanorum eſt vitium, relicto Cœlo, oculos ſemper declinare in terram: ita Regius teſtatur Vates. *Pſal. 16.*
Pſal. 16. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, patẽtiùs; ac ſi diceret: talis eſt mundanorum cęcitas, talis ſtultitia, ꝙ relicta cœleſti fœlicitate toto conatu terrena quærunt ſemper, & amant: ità Bernardinus Senenſis, tom. 1. Dominica in Ramis ſerm. 49. art. 2. cap. 1. *Excæcat enim intelligentia, cùm intellectus à Deo ſe auertens flectitur ad terrena, & propter inordinatum affectum: oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*: Mira prorsùs cœcitas! mira ſtultitia, quæ oculos ſurſum leuare nõ nouit! quam videns Saluator Spem, atq; mentem ſurſum erigere docet; cùm dicit: *Nolite theſaurizare theſauros in terra, theſaurizate autem vobis theſauros in Cœlo.* ac ſi diceret: leuate oculos, erigite ſpem; ibiq; figite corda, vbi vera, non ficta ſunt gaudia: ità in eius perſona loquitur Auguſt. de vera Religione, cùm dicit. *Nolite quærere, quæ videntur, ſed quæ non videntur; quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur æterna: dicitur namq. vobis. nolite diligere, mundum, neq; ea, quæ ſunt in mundo*: hæc ipſe: quam quidem doctrinam mundanos ſpreuiſſe, multis in locis Sacra teſtatur pagina, vt mòx videbimus.

*Humana cęcitas, dum oculos à Deo ad terrena deflectit.*

*Bernard. Senenſis.*

*Auguſtinus*

2 Sit autem in primis pro re hac ſatis commoda probatio; quod Matth. de homine illo peregrè proficiſcente commemorat, qui ante diſceſſum vocatis ſeruis, eiſq; bona ſua largiri non eſt dedignatus; *Et vni dedit quinque talenta,* *Matt. c. 25.*

*alij autem duo, alij verò vnum.* Quid indè. *Abijt qui quinq; talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque. Qui autem duo acceperat, lucratus eſt alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam Domini ſui:* ità de ipſis loquitur præfatus Matthæus cap. 25. Ego autem diſcrimen videns, diſparitatemq; inter eos agnoſcens; nàm laborantibus primis, quieſcit vltimus; lucrātibus illis, nouiſſimus iſte fodiens in terram abſcondit pecuniam Domini ſui. Priorum laborem nō miror, ſciens iuſtos laboribus multis, & ſudoribus magnis gloriam promereri; vltimi obſtupeſco ſatuitate! qui terram ſcindendo laborat, laborando deſudat, & dum laboribus conteritur, lucrum omne deperdit! moriar, ſi mundanos hic non ſignabat, quos alijs addictos non video, niſi, vt terram fodiant, terrā aſpiciant, terrena ſemper, contemptis cœleſtibus concupiſcant. Audi Gregorium verba illa perpendentem: *Fodit in Terram. Iniuſti autem (ait ipſe) quantò longiùs ab æternæ patriæ hæreditate diuiſi ſūt, tantò in terra altiùs fundamenta cogitationis figunt.* Proh, nefas, elongantur à Cœlo, & hærent terræ, negligunt cœleſtia, & ad mundana aſpirant, æternæ patriæ hæreditate neglectà, oculos ſemper declinant in terram!

*Gregorius.* Quò mundani à Cælo elongantur, eò ad terrā accedunt.

3 Talis prorſùs eſt infœlix mundanorum conditio, cuius figuram ſecum iugiter ferebat mulier illa, quæ ſpiritū habens infirmitatis annis decem, & octo, adeò erat inclinata, vt ſurſum reſpicere nullatenus valeret: ità de ea loquitur Luc. cap. 13. *Ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem, & octo: & erat inclinata, nec omninò poterat ſurſum reſpicere:* magna reuera infirmitas, quæ mulierem ſic inclinabat! infelix non patum mulier, quæ Cœlum ſuſpicere non valens, oculos terræ iugiter figere conabatur! ſed quænam infirmitas iſta, ſic grauās, & deprimēs, vt ſurſum oculos leuare non patiatur? magna certè, & periculoſa; ſed mundanorum languorem, nè dementiam dicam, exprimebat; cum non minus cupiditatum pondere grauentur iſti, quàm infirmitatis ſpiritu inclinaretur illa; nec Cœlum magis ſuſpicere valent hi, quā illa, de qua dicitur. *Erat inclinata, nec poterat ſurſū reſpicere.* Greg. lib. 2. in Euāg. ho. 31. *Omnis peccator terrena cogitās, cœleſtia nō requirens, ſurſū reſpicere nō valet: quia dū deſideria inferiora ſequitur, à mētis ſua rectitudine curuatur. Ad corda veſtra, cariſſimi, redite. Quia, qui ad cœleſte deſiderium non conſurgit, quaſi mulier inclinata ſurſum reſpicere nequaquam poteſt.* O ſatis periculoſa infirmitas, ſed myſterioſa magis! quæ dum mulierem prægrauat, peccatorum onera declarat; prægrauatam autem terræ dum adeò inclinat, vt ſurſum reſpicere, neqnaquā poſſit, curuatum terræ peccatorum deſiderium, ſic exprimit, quòd ſurſum oculos, mentemq; erigere minimè finit! meritò ergò dicatur, *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.*

*Luc. c. 13.*

*Gregorius.* Peccatorū pōdere grauati cœlum non poſſunt aſpicere.

4 O quam clarè mundanorū hanc agnouit dementiam Adoleſcens ille, qui ad Patrem rediens, clamabat: *Pater peccaui in Cœlum, & coram te! Luca 15.* Sed quid dicis, ò pœnitens? quid loqueris, conſidera: coram Deo te peccaſſe ſatis iuſtè confiteris, quia eius oculum fugere haud potuiſti, vt alius teſtatur pœnitens, verbis illis; *Quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in Cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in Infernum, ades. ſi ſumpſero pennas meas dilúculo, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Pſ. 138. ergo coràm illo te peccaſſe rectè confiteris: Ad quid ergo addis: *Peccaui in Cœlum?* Si peccatum auerſio eſt à Deo, & cōuerſio ad creaturas: ſatis erat cum pœnitente Dauid dicere: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Pſ. 50. Sed tamen quid diceret ſatis nouit: integram proponere confeſſionem nō ignorauit, & cum iam eſſet in ſe reuerſus, quod pro terrenis cupiditatibus Patrem relinquens cœleſtem, terræ oculos fixerat agnoſcebat. Bellè rem hanc explicauit Euſebius Emiſſenus Sabbato poſt ſecūdam Dominicam. In prodigi perſona ſic dicens: *Pater peccaui in Cœlum: plus enim diligens terram, quàm Cœlum:* quia videlicet cœleſti ſpreta fœlicitate, terrena pertinaciter concupiui: quia oculos ſic declinaui in terram, vt cœlum ſuſpicere amplius non valerem: ideò in me reuerſus hanc āgnoſcens fatuitatem iuſtè in Cœlum me peccaſſe confiteor.

*Luc. c. 15.*

*Pſal. 138.*

*Pſal. 50.*

*Euſebius Emiſſ.* Peccator plus terram quā Cœlum diligit.

5 Oſi

5 O ſi in ſe reuerſus ſimiliter feciſſet, & fatuitatem hanc, vt prodigus iſte, Epulo ille agnouiſſet, de quo loquitur

*Luc.c.16.*

Lucas c. 16. non ſerò oculos ad Cælum leuaſſet! poſt mortem enim, & poſt inferni ſepulturam, oculos ſubleuaſſe narrat Euangeliſta. *Eleuans oculos ſuos cum eſſet in tormentis*; ſed cur putas oculos tunc ſubleuaſſe? certè non ob aliud, niſi quia in pœnis diſcere cępit, quod in delicijs minimè agnouit: in ſe enim tunc reuerſus oculos, quos ſemper in terram declinauerat, ſurſum leuare decreuit, ſed nimis quidèm ſerò, quia tunc pænitentię tempus non erat, pœnę tantum reſtabant, & cruciatus: ità ſolito ingenij

*Chryſolog.*

acumine fatetur Chryſologus ſer. 3. de diuite, & Lazaro. *Surſum leuat oculos ſuos, quos ſemper depreſſit in terram; diues, quos oculos leuas, ipſi ſunt accuſatores tui,*

**Intellectus in pœnis illuminatur.**

ac ſi manifeſtius diceret: oculos nunc leuare pudoris eſt, nō honoris; nec enim nunc ipſos ſubleuares ſi in terram prius ipſos non depreſſiſſes: meritò ergò tuam fatuitatem ipſos dum eleuas, accuſas.

6 Et ſic certè oculos in terram declinant peccatores, pertinaciter terræ ſic figunt, vt diuina requiratur potentia non humana, illos, vt eleuet, & ſurſum aſpicere faciat, non deorſum. Ad cuius rei apertam probationē de Chriſti comprehenſoribus me legiſſe memini, quòd ab eo interrogati, quem quærerent, ipſius audito nomine, retrorſum abierunt, & in terram ceciderunt; ſic narrat D. Ioannes c. 18. *Vt autem dixit*

*Ioan.c.18.*

*ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt:* Quam rem non parum miratur Auguſtinus, & dicit: ſi Chriſtum quærebant, inuentum, cur non comprehendebant? ſi ad hoc, cum tanto labore venerant, cur poſtea cum ſe eis ſpontè offerret, ipſum nedum nō tenebant, ſed, vt ab eo tenēdi eſsēt, fugiebant? *Abierunt retrorſum, & ceciderūt.* Sed proh miſera mundanorum conditio! quibus, & ſi ſpontè ſe offerat Deus, & ſi Cœlū vltrò eis largiatur & præmia, Deo ipſi, Cœloquè relicto retrorſum currunt, terrena quærūt

*Auguſt.*

**In terram cadūt cęleſtia deſerentes.**

ſemper, & amant. Sic Auguſtinus citatus in Catena. *Retrò redeunt, & in terram cadunt, quoniam deſerentes Cæleſtia, terrena deſiderant*, hęc ipſe.

7 Sed, quod magis ad rem noſtram facit, eſt modus, quo cecidiſſe deſcribūtur. *Abierunt retrorſum, & ceciderunt:* vbi multi expoſitores dicunt: *retroſum*, hoc eſt, reſupinatos ad Cęlum fuiſſe: ſed cur non in faciem ceciderunt? de Apoſtolis in Chriſti domini transfiguratione dicit Matt. c. 17. *Ceciderunt in faciem ſuam.* Valdè enim diſſimilis eſt iſtorum cadēdi modus; ſed non vacat myſterio:

*Matt.c.17.*

multos enim dixiſſe me non latet, electos à reprobis, in hoc pręcipuè differre, quòd proſtrati quandoquè illi in faciem cadentes, faciliùs, citiuſquè reſurgunt: iſti verò retrorſum cadentes tardiùs, difficiliuſquè ſe erigunt. Qua prætermiſſa expoſitione, maximè mihi Bernardini Senenſis opinio arridet, qui

*Bernard. de Senis.*

tom. 1. ſer. 51. dicit: electos ſic Cęlum ſemper aſpicere, vt ſit etiā nonnunquā neceſſe, illos in terram vertere: clariùs vt loquar contemplationi, ſic ſunt iuſti addicti, vt ad proximorum ſalutem ſint quandoquè excitādi: ſic etiam Ambroſius tom. 5. in cap. Apoc. 8. cum dicit:

*Ambroſ.*

**Iuſti ob charitatem in terram deſcendunt.**

*Sancti in Cælum quodammodò conſcendūt, cum eos amor diuinus ad cæleſtia eleuat, cadunt in terram, cum eos amor proximorum ad ima retrahit.* itaque iuſtos aliquādo cogere eſt neceſſe, vt terrā aſpiciant proximorum videlicet vtilitati, vt conſulant: ſecus autem de mundanis dicendum; hi namque cœleſti prorsùs neglecta fœlicitate, ſic oculos ſuos in terram iugiter, pertinaciterque declinare ſtatuerunt, vt Cœlum aſpicere nequaquam poſſint, niſi ad hoc retrorſum à Deo ſint proſtrati, vt ſic ſaltem coacti illud ſuſpiciant, quod ſpontè videre minimè voluerunt. Audi Bernardinum

*Bernard. de Sen.*

loco cit. *Ceciderunt ergo retrorſum, ac reſupinati fuerunt ad Cælum, vt ſaltem agnoſcant virtutem deſuper eſſe vertētem:* Ecce quomodò diuina eſt virtus, quę peccatores ad Cœlum vertit, ipſos Cęlum ſuſpicere facit, quod de ſe prorſus minimè facerent.

8 Ex his facilè percipi poteſt, de inſcientia cur reprehendatur Petrus, cum diceret. *Domine, bonū eſt nos hic eſſe: ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, et Eliæ vnum*; Matt. 17.

*Matt.c.17.*

De quo, & Luc. c. 9. *Non enim ſciebat quid diceret*: eius tamèn ſi conſiderentur verba, quarè de inſciētia reprehendatur nō apparet; quia ſi Saluatorem Dominum

*Luc.c.9.*



Digitized by Google

vocabat,ipſe ſuo ſic confitetur ore. *Vos*
*Ioan.c. 13.* *me vocatis Magiſter, & Domine: & benè*
*dicitis: ſum etenim.* Ioannis 13. ſi bonum
ibi eſſe addebat; beatitudinem eſſe ſta-
tum omnium bonorum ſignificabar;
ſi de tabernaculorum conſtructione co-
gitabar, Dei volunrati ſe conſormem
oſtendere videbatur, cum ipſe in Cœlis
diuerſas habear manſiones; *In domo Pa-*
*Ioan. 14.* *tris mei manſiones multæ ſunt.* Ioannis 14.
ſi taudem concludit tibi vnum, Moyſi
vnum, & Eliæ vnum; differentiam glorię
accidentalis inſinuat, dicente Paulo
*1. Cor. 15.* prima Corint. 15. *Sicut ſtella differt à ſtel-*
*la in claritate, ſic erit & reſurrectio mor-*
*tuorum.* Si ergo ſic profundè loquitur;
inſcientiæ cur arguitur? dicente Luca.
*Non enim ſciebat quid diceret.* Acutiùs
tamen rem ſi conſiderabimus: ipſum
rectè de imperitia reprehenſum re-
periemus cum diceret; *Faciamus hic,*
vbi mundanorum eſt locus, vbi oculos
figere peccatorum eſt proprium, non
iuſtorum: meritò inſcientia notatur; cū
*Gregorius.* quid diceret neſciret. Gregorij fuit hęc
ſententia lib. 8. moral. c. 8. ſic dicentis:
**Ignorat qui in terra tabernaculum figit.** *Petrus verè reprehenditur, quia necdum*
*mentis perfectione roboratus veritatis cla-*
*ritate cognita, in terra figere tabernaculum*
*conatur. Iuſti hic ſe conſtruere negligunt,*
*vbi peregrinos ſe, & hoſpites nouerūt.* Hęc
tota reprehenſionis cauſſa, hæc tota in-
ſcientiæ nota, quia in terra coſtruere
volebat, & quia terrę ſedem, mentemq;
figere cogitabat.

9 Quam quidem inſcientiæ notam
ſceleſtus non effugit Cain, qui vix na-
to filio Ciuitatem in eius nomine cō-
*Geneſ. c. 4.* ſtruxit, ſacra dicente pagina. *Cognouit*
*Cain vxorem ſuam, quæ concepit, & pepe-*
*rit Enoch: & ædificauit Ciuitatem, vocauit-*
*què nomen eius ex nomine filij ſui Enoch.*
Geneſ. 4. ſed audi quæſo cæleſtem, non
humanam ignorantiæ iſtius correptio-
nem! cùm iàm in perfectam perueniſ-
ſet ætatem Enoch, taliter à Deo tranſ-
latus deſcribitur, vt ab omni humano,
terrenoq́ue conſortio alienus prorsùs
*Geneſ. c. 5.* videretur. *Ambulauit Enoch cum Deo, &*
*non apparuit, quia tulit illum Deus*, ità Ge-
neſ. c. 5. obſtupeſco non parum mira iu-
ſti iſtius translatione, iuſtus nónne erat
Abraham, Iſaäc, & Noë? tranſlati ta-
men haùd deſcribuntur: an fortaſsè tali
iuſto dignus non erat mundus? ſit ità:
ſed transferatur Abraham Deo charus,
transſerantur & alij, quibus dignus non
erat mundus. At certè relictis cunctis
ſolus transſerri debebat Enoch, vt hac
ſua tranſlatione ignorantia reprehen-
deretur Caini, qui vix nato filio Enoch
ei nomen impoſuit, quod non aliud, quā
dedicationem ſonat; ac ſi ab ipſo nati-
uitatis exordio terræ eum dedicatum
putaret: & quia terræ opinabatur addi-
ctū, in eius nomine Ciuitatem conſtru-
xit, ac ſi ille cœleſti fœlicitate neglecta,
terrenis ſemper eſſet inhæſurus; ſed cer-
tè nil mirum, ſi hæc apud ſe cogitabat,
quia ſicut ipſe terræ ſemper addictus,
de cæleſtibus non cogitabat, ſic iuſtum
Enoch acturum pro certo tenebàt; quā
volens Deus corrigere inſaniam, Enoch
ſecum ambulare fecit, cœleſtia ſemper
ſpectare; & tandem de mundo ſubla-
tum, cœleſtem adhuc viuentem (ſi fas
eſt dicere) ciuem oſtendere voluit,
non terrenum. Gregorium amabò per- *Gregor.*
curre, Cainum hac de ignorantia re-
prehendentem lib. 8. moral. vbi inter
cætera hæc habet: *Enoch quippè dedica-* **Dedicationem in hoc mundo iniqui celebrant.**
*tio dicitur, iniqui ergò ſe in primordijs de-*
*dicant, quia in hac vita, quæ ante eſt, cordis*
*radicem plantant, vt hic ad totum flore-*
*ant, & à ſequenti Patria funditùs areſcāt.*
Sit ità de te, ò Cain, non de filio: fige tu,
qui de terra es, terræ radices; nàm
Enoch, cùm pro cæleſti ſit productus
Patria, cęleſtia ſemper, non terrena
ſpectabit: pro tuo deſeruiat domicilio
Ciuitas, quam condidiſti; nàm prò
Enoch, iuſtiſquè omnibus, aliam pa-
rauit, qui tranſtulit Enoch.

10 Optimè mundanorum hanc, &
præcipuè Caini intellexit ſatuitatem
Abraham ille mundo tàm celebris, qui
licet diuitijs repleretur multis; vt habe-
tur Geneſ. 24. *Seruum ſuum Abraham Do-* *Geneſ. 24.*
*minus benedixit, & dedit ei oues, & boues,*
*& argentum, & aurum, ſeruos, & ancillas,*
*Camelos, & Aſinos.* Nullam tamen tot
inter diuitias Ciuitatem cōſtruxit, nul-
lam prorſus domum; ſed in caſulis ſem-
per, vt peregrinus, in papilionibus autē,
vt miles hoſpitabatur; ſic de eo fatetur
D. Paulus ad Hebreos c. 11. *Fide demo-* *Hebr. c. 11.*
*ratus eſt Abraham in terra repromiſſionis,*
*tanquam in aliena, in caſulis habitando.*
Qua de re diligens fui ſępè ego ſcruta-
tor: cur inter tot diuitias, domos non

con-

Digitized by Google

conſtruxit Abraham? Palatia cur non ędificauit quòd potius in Caſulis, Papilionibuſq; habitare conſueuit? At certè quid ageret benè nouit, vtpotè cum ſciret radices terræ mundanos figere, non iuſtos: à cœleſti Ciuitate exulantes peccatores, Ciuitates in terra conſtruere non ſanctos; ideò inter tantas diuitias domum noluit poſſidere, nec locũ:

*Gregorius.* Iuſti in terra non ædificant.

ſic de eo Magnus fatetur Gregorius ſuper locum Pauli proximè citatum. *Atteſtante Paulo, Abraham in Caſulis habitabat, quia habentem fundatam Ciuitatem, quam ſupernus Artifex conſtruxit, expectat.* Vide iuſti ſapientiam, prudentiam vide, qui non in terra, ſed in cœlo, vbi Electorum eſt locus firmę domus fundamẽta iecit: ex quo exemplo occaſionem ſumpſit Chry'oſtomus hom. 52. in cap. Gen. 24. Mundanos diuites acriter reprehendendi, cum dicit.

*Chryſoſt.*

*Audite diuites, qui tot quotidiè emitis prædia, & balnea, & ſplendidas domos ædificatis: videte in quibus diuitiæ iuſti fuerint conſtitutæ, nuſquam ager, nuſquam domos, ſed oues, & vituli, & aſinæ, & ſerui, & ancillæ*: ac ſi manifeſtiùs diceret: Cur terræ deſideria immittitis, ò mundani? Diſcite ab Abraham; percipite à iuſto; peregrinos vos hic, ſuo exemplo, non Ciues cognoſcite: ſurſum tandem leuate oculos, quos in terram declinare ſtatuiſtis: reſpicite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.

## Vbi, & theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit. Matth. 6.

### §. IV.

*Zelo magno zelatur Deus humanum cor, & quare.*

*Matth. 6.*

1 SVbtilis ille Chryſologus de terrenorum cura deſpiciẽda. ſer. 22. Verba hæc conſiderãs Saluatoris. *Theſaurizate vobis theſauros in Cœlo*; miratur nimis, cur in Cœlo noſtrum theſaurũ collocari mandet, non in terris? Si noſtris non indiget diuitijs, Regio canente Vate Pſ. 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorũ meorum non indiges*: noſtros ergo cur in Cœlis collocari iubet theſauros? an fortè, quia ſciebat, rapiendi corda vim habere theſauros? ſic certè ipſemet explanare non dedignatur, cum ſequitur: *Vbi enim eſt theſaurus tuus; ibi et cor tuũ erit*. In Cœlis igitur reponatur theſaurus, vt ibi etiã collocetur & Cor. Chryſologi verba ſunt hæc, qui loco citato dicit: *Mitte, et præmitte, ò homo theſaurum tuum in Cœlos, ne cœleſtem animum demergas in terram*. Ex quibus verbis colligitur, quòd cordis noſtri zelo theſaurum poſcit in Cœlo. Corda ergo zelatur Deus, non nummos: ſic cõcludit Chryſologus ſerm. 25. *Domine tu vidiſti, quia in theſauris tota fides, tota ſpes in ſacculis ſit auaris: et ideò imputribiles in Cœlo ſacculos vis parari, vt qui te non ſequitur ad Cœlum, ſequatur ſaltem ſacculos ſuos*. O magnus cordis noſtri amor! Zelus ò verè magnus, vt corda Deus poſſideat noſtra, noſtras ſurſum diuitias collocari iubet!

*Pſal. 15.*

*Chryſolog.*

Theſaurus in cœlo magnes cordis humani.

2 Tali quidem cordis noſtri zelo tenetur Deus, vt illud creatis manibus contrectari nedùm; verum etiam, nec modicè vnquam quidem tangi penitùs ſit paſſus. Ad huius rei probationem dictum Dauidis adduco Pſal. 32. qui de cordis humani efformatione ſic loquitur. *Qui finxit ſigillatim corda eorũ, qui intelligit oĩa opera eorũ*. Quod quidẽ dictũ ſatis difficile intellectu exiſtimo, illis præcipuè, qui ſcripturas percurrentes Iob legerunt dicentem: *Manus tuæ Domine fecerunt me, et plaſmauerunt me totũ in circuitu*. Ita in eius lib. cap. 10. Magna prorſus difficultas, ſed ex magna contrarietate cõſurgit, cum Dauid de cordis tantùm efformatione loquatur: Iob autem de tota perfecta, atque integra hominis plaſmatione ſermonẽ habeat, cũ dicit. *Manus tuæ Domine fecerunt me, et plaſmauerunt me totum in circuitu*. Cui ergo fidem præſtabimus, cui adhærebimus, varia ſic fatentibus, vt vnus Cor à Deo formatum dicat; alter verò eius manus totum hominem efformaſſe aſſerat? Aſt tamen ambo verum, cum dicant, ambobus fidem præſtare neceſse eſt: immò ſi ſubtilius res conſideretur, idem prorſus, vtrumq. dixiſſe reperietur:

*Pſalm. 32.*

*Iob c. 10.*

tur:

Hebræorũ opinio de hominis efformatione.

tur:nam & Iob totum hominem à Deo plaſmatum aſſerit, & Dauid de principaliori parte loquendo, partem pro toto aſſumpſiſſe nulli dubium eſt. Verum non ignoro opinionem fuiſſe Hebræorum, quòd in hominis efformatione Angelorum ſit Deus vſus miniſterio, qui de terra componentes membra ſingula, corpus totum, corde excepto, efformauere; quod ſi verum ſit, an non, minimè diſputo; verum tamen ſcio, de cordis ſolummodò efformatione mentionem fieri per Dauid dicentem: *Qui finxit ſigillatim corda eorum.* Quorũ verborum, & ſi germana ſit expoſitio, per cor corpus totum intelligi debere, vt proximè diximus: Hebræorum tamen opinionem ſequi ſi liceret, procul dubio dicerem, quòd adeò humanum zelatur cor ille, qui fecit, vt etiam ſi Angelico eſſet vſus miniſterio, in corporis plaſmatione, in cordis tamen efformatione, omni alio prorſus interdicto opere, ſolus ipſe cor efformare voluiſſet, ne Angelicis manibus penitus tãgeretur.

*Agellium.* Humani cordis Artifex ſolus Deus.

Audi Agellium ſuper citatum locum Dauidis. *Finxit ſigillatim, ſeù ſeorſum efformauit corda eorum, nullo videlicet adiumento, aut ſubminiſtrantium, aut adiuuantium Angelorum.* hæc Agellius: ac ſi in Dei perſona diceret: procul creatura omnis ab hac abſiſtat creatione, manus ſubtrahat Angelus, cum humanum efformatur cor; quia illud alijs contrectari manibus non permitto, niſi diuinis.

3 Nunc autem de ipſius cordis formatione ſermonem habens, vlterius procedo; figuramq; cordis conſiderãs, audire mallem, quàm dicere; cur cœleſtis ille figulus perfectè ſphericum, vt Cœlum, vel perfectè longum, vt hominem, illud non effinxerit? ſed ſurſum latum, deorſum verò ad acumen tendere fecit; ſed cęteras hac de re, vt omittam rationes, vna mihi D. Antonij de Padua maximè placet, qui Dominica 13. poſt Trinit. dicit: Cor ſurſum dilatari, deorſum verò reſtringi opus diuinæ ſapientiæ fuiſſe, vt ſic cũ verſus Cœlum totum eleuaretur, terram autem in puncto ſolummodò tangeret, totum ſibi dicari velle ſignificaret non terræ: præfatus Antonius loco citato. *Cor non eſt magnũ, nec eius forma eſt longa, ſed declinat modicum ad rotunditatem, & eius extremitas eſt ſtricta, & acuta. O homo tui cordis diſpoſitio, & forma informat te, qualiter debes diligere Dominum Deum tuum:* ac ſi ipſa cordis diſpoſitio ſic clamaret: è terra ò cęci euellite corda, illa ſurſũ leuate, Deoq; dicate, non mundo, cum in efformatione ipſa illa ſic diſpoſita videatis; Presbyteros nonne quotidiè auditis clamãtes; ſurſum corda? quibus reſpondere debetis: habemus ad Dominum. Sic ſuadet Bernardinus Senenſis ſer. 1. de altitudine, & latitudine cordis. *Fecit Deus hominem rectum, vt ſecurè reſpondeat ad exhortãtis Presbyteri voces, ſurſum corda, habemus ad Dominum.*

*Anton. de Padua.*

Cordis forma q̃ Deus ſit diligẽdus oſtendit.

*Bernardin. Senenſis.*

4 Huc etiam reuoco, quod de ſe Saluator ait; *Et ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum.* Io. 12. De qua hic loquatur exaltatione ſolet controuerti: communiter tamen Sacræ Scripturæ Expoſitores dicunt, de exaltatione per Crucem debere intelligi: cur autem in ea exaltari voluerit, ſcio Theologorum eſſe reſponſum, vt paterna expleretur voluntas, quæ cũ ſic decreuiſſet, ſic fieri oportebat: neceſſarium ergo erat, non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, non conſequentis, ſed cõſequentiæ, vt ſic fieret; tamen ſi exaltationis iſtius alia eſſet aſſignanda ratio, illa certè, & non alia aſſignari deberet, cordis noſtri zelus; ſic Bernardinus Senenſis tom. 4. de Aſcenſione Domini ſer. 5. art. 1. c. 3. *Propter hoc aſcendit Chriſtus, vt cor hominis ad ſuam dilectionem ſubleuaret.* talis eſt diuinus cordis noſtri amor, talis zelus, quòd nihil terrenum, nihil patitur mundanum: ſubleuatur ergo, vt ſubleuetur & cor; exaltatur ipſe à terra, vt eleuetur ab ea & illud.

*Ioan. c. 12.*

*Bernardin. Senenſis.* Vt ad ſe corda hominũ traheret. Crucẽ aſcẽdit Saluator.

5 His autẽ, vt reor, de cauſis Aquilæ, Auibuſq; pr̨edalibus cõparari ſolet Saluator, ſacra de eo dicente pagina. *Sicut Aquila prouocans pullos ſuos ad volandũ, & ſuper ipſos volitans.* Deuter. 32. Nàm ſi Accipitri cor captæ prædæ in eſcam tribuitur; ſic & ipſe humanę naturę capta iam præda, cor ſibi non alteri offerri patitur. Audi Rupertum Holchot ſuper librum Sapientiæ. *Auis generoſa, cũ diù volauerit, et prædam ſuam cum ceperit, requirit cor prædæ ſuæ pro mercede; ſic Chriſtus generoſus ille Falco, qui pro te ſua præda capienda, volauit à Cœlo ad Virginis*

*Deut. c. 32.*

*Rupertus Holchot,* Deus cordiũ Auceps.

*vterum;*

*vterum; de Virginis vtero ad patibulum, de patibulo ad infernum, de inferno ad mundum, de mundo ad Cælum; & ideò ſibi vendicat totum cor; parare ergo debemus cor noſtrum ei, ſicut Aui prædali paratur cor prædæ ſuæ:* ſic ipſe: Ex quibus omnibus videre iã licet, quanto Deus cordis noſtri teneatur zelo.

6 Cauſſam autem quare ſic humanum zeletur cor, eam eſſe præcipuam puto, quia cum ſolus ipſe cordis ſit Dominus, tyrannicum non patitur dominium. Legalẽ doctrinam eſſe norunt experti, proprietatem, & poſſeſſionem taliter inter ſe diſtingui, vt. *Proprietati cum poſſeſſione nihil ſit commune.* Qua præmiſſa legis doctrina; de prædeſtinatis, proprietatem, & poſſeſſionem reperiri nulli dubiũ eſt. Proprietas vtiquè ſemper eſt Dei; cum vera ſit Theologorum ſententia: Prædeſtinatum, vt prædeſtinatum in ſenſu reduplicatiuo, non poſſe damnari, vt ipſemet docuit Saluator, loquẽs de ouibus ſuis: *Ego cognoſco eas, & nemo rapiet eas de manu mea.* Ioannis 10. Poſſeſſio autem prędeſtinati, quandoquè Dei eſt: Diaboli etiam aliquandò: exiſtentis enim in gratia, Dei eſt; in peccato verò diaboli: (ſecundum præſentem, loquor, iuſtitiam) & quòd verè diabolus corda poſſideat peccatorum, audi Ioannem Saluatoris deſcribentem proditionem. *Cum diabolus miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas c.* 13. vbi ſi benè animaduertis, non ſine cauſſa, ipſum dixiſſe reperies: cùm diabolus miſiſſet in cor, dum dicere potuiſſet, cum diabolus tentaſſet, inſtigaſſet, ſuggeſſiſſet; quia benè agnoſcebat ille, qui de Saluatoris pectore, cœleſti veluti è fonte diuinam auſerat ſapientiam, poſſeſſionem à pedis dici poſitione, noueratquè itidem per primam tentationem, aliud diabolum minimè quęrere, niſi humano cordi pedẽ ſuggeſtionis infigere, cui ſi locus datur, ſi per conſenſum aſſentitur, tunc pedem (vt ità dicam) cordi figendo, cordis Dominũ vocari ſe iactat; & quia diabolicis ſuggeſtionibus locum iàm dederat Iudas, quia Dominum iàm tradere decreuerat, meritò proditio per hęc poſitiſſima deſcribitur verba. *Cum diabolus miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* Quia iàm eius cordi pedem immittendo diabolus, eius etiàm poſſeſſor euaſerat. Perbellè Gregorius ſuper citata Ioan. verba totum confirmauit diſcurſum his verbis. *Reprobi quidèm, corda ſua non habent, quia ea diabolus poſſidet: vnde de proditore dicitur. Cum diabolus miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* Ex qua ſententia licet videre peccatorum corda diabolum poſſidere: & ſi per poſſeſſionem dominium poſtea acquiritur, vt habetur l. nulli §. finali ff. de acquirendo rerum dominio; Poſſeſſorem, & Dominum iure ſe peccatorum proclamat diabolus.

Ioan. 10.

Ioan. 13.

*Gregorius.*

Cordis noſtri tyrannidem affectat diabolus.

7 Ex hac ergo tyrannica poſſeſſione, dominioquè vſurpato; zelandi (ſi fas eſt dicere) occaſionem capit cordium Deus, & diabolicum dominium euertendi. *Quæ enim participatio* (ait Paulus 2. Corint. 6.) *Iuſtitiæ cum iniquitate? quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſti ad Belial?* Si Deus ipſe eſt Dominus, quomodo cordis humani diabolicum patietur dominium? Hinc eſt, quòd in peccatoris conuerſione, nihil prius ſatagit Deus, niſi, vt diabolico prorſus excluſo dominio; ſolus ipſe Dominus videatur. Quod innuiſſe videtur Dauid verbis illis in Patris æterni perſona prolatis. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum* Pſalm. 109. Ac ſi filio Pater diceret: ſuper inimicos pedes quum ponis Dominum te per pedum poſitionem declaras: primum ergò, quod in peccatoris conuerſione facere debes, eſt, vt pedes ſuper peccatores immittendo tuum omnibus palàm facias dominiũ; & tunc canent Angeli, omneſquè iuſti. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Pſalm. 109. quia expoliato diabolo tua remanet poſſeſſio, dominiumquè remanet tuum.

2. Cor. 6.

Pœnitentes ſcabellum pedum Chriſti, & quare. *Pſal.* 109.

*Pſ.* 109.

8 Mirè veritatem hanc, mulier illa percepit, quę bis Dominum vngẽs, primò pedes, deindè caput vnxiſſe deſcribitur; de prima enim vnctione loquitur Luc. c. 7. *Ecce Mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix, ſtans retrò ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare, &c. & vnguento vngebat.* De ſecunda verò Matt. c. 26. *Cùm autem eſſet Ieſus in Bethania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* Aliquos noui dixiſſe, aliam fuiſſe hanc mulierem ab illa,

*Luc. c.* 7.

*Matt. c.* 26.

quæ

quæ Domini pedes vnxit, communior, veriorquè tamen cùm ſit opinio, eandem, & pedes, & caput Domini vnxiſſe, maxima inſurgit difficultas: cur primò pedes, & deindè caput, & non primò caput, & poſtea pedes vngere voluerit? quod non ſine conſilio feciſſe, putandum eſt, ego tamen aliud myſterium pro nunc non agnoſco, niſi, quòd ex D. Ambroſio percepi dicente, quòd ad pedes, vt peccatrix, ad caput autem, vt iuſta cucurrit; & dicere (ni fallor) volebat, quod agnoſcẽs Magdalena peccatores ſub nequiſſimi hoſtis dominio iàm teneri, vt illud effugeret, ad pedes Domini confugit, ſub illius plantis vltrò ſe ſtrauit, vt ſaltem tunc, ſub Saluatoris conſtituta pedibus, mutaret dominium, vitaret tyrannidem: ſic pro prima

*D. Auguſt.*

vnctione loquitur D. Auguſtinus ſer. 23. lib. 50. homiliarum. *Acceſſit ergo non ad caput Domins, ſed ad pedes, & quæ diù, malè ambulauerat, veſtigia recta quærebat.*

**Magdalena cur ad Chriſti pedes cucurrit.**

In vltima taudem Cena, ſe iuſtificatam intelligens, ſub Dei dominio ſe iàm recognoſcens, nõ ampliùs ad pedes cum peccatoribus, ſed ad caput cum iuſtis currere decreuit. Ambroſius loco citato Luce c. 7. *Hanc ergo mulierem induceit Sanctus Matthæus ſuper caput Chriſti effundentem vnguentum, & ideò fortè uoluit dicere peccatricem; nam peccatrix ſecundum Lucam, ſupra Chriſti pedes effudit*; ſic ipſe: vnde mirari non debemus, ſi prius ad Saluatoris pedes, quàm ad caput currere voluerit hec docta Chriſti diſcipula.

*Ambroſ.*

**Peccator ad pedes: iuſtus ad caput Saluatoris currit.**

9 Ex his facilè colligo, de Magdalena cur ſeptem demonia eſſe eiecta teſtetur Lucas c. 8. *De qua ſeptem dæmonia exierant*: Multorum ſententiam eſſe benè noui, per ſeptem demonia, ſeptẽ capitalia vitia debere intelligi: me tamen non latet; vnicam rem duorum dominio ſubeſſe ſimul, vt rem repugnantem, legem minimè permittere: ita habetur l. *ſicut certò*, §. ſi *vobis vehiculum*. Quod docuit etiam Saluator, cùm dixit: *Duobus Dominis ſeruiri non poteſt.* Matt. 6. ex qua doctrina licet inferre, quod acquirente vno dominium, neceſſe eſt, vt alter eo priuetur, ità ſecundum iura ſe habent res: audi nunc, cur de Magdalena ſeptem dicantur eiecta demonia? erat quidem ipſa ſub dæmonis poteſtate cùm in peccato exiſteret, ſed ad dominum poſtea currens, ſub eius pedibus ſe collocando, alium poſſeſſorem recognouit, & dominum: & quia duos ſimul habere non poterat dominos, excluſo demone, ſub domini poteſtate remanſit. Sic teſtatur Calixtus Placẽtinus enarr. 39. his verbis. *Humi proſtrata, ſub ſcabello iacens, ad pedes inclinata, a pedibus illis beatis hauſit remediũ*; ſed quod remedium, dico ego fortè è demonis effugiẽdi dominio? ità quidem: vnde concludit citatus Calixtus. *Impleta ſunt, quæ de ea fuerant iamdiù pronũciata per Habacuc 3. egredietur diabolus ante pedes eius; immo ſeptem dæmonia, de ea, ante pedes Domini ſunt egreſſa.* Nullus miretur, ſi de Magdalena demonia eiecta dicantur, cum ad domini pedes cicutrit, quia ſi ſe Dominicis collocauit ſub plantis; dicere iure poterat Euangeliſta, quòd ingrediente Domino, exiuit demon. *De qua ſeptem dæmonia exierant.*

*Luc. c. 8.*

*Matt. 6.*

**Ante Domini pedes fugiunt dæmones.**

**De Magdalena quãdo ſeptem Demonia eiecta dicãtur?**

FERIA

Digitized by Google

# FERIA V. POST CINERES.

## Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, &c. Matth. 8. Dignus eſt enim, vt hoc illi præſtes. Luc. 7.

### §. I.

*Honor ſequitur fugientem, ſequentem verò fugit.*

*Ariſtot.*

1 EST, & non: benè docuit Peripateticorum Magiſter Ariſtot. duo eſſe contradictoria; inter contradictoria autem non dari medium, communis eſt Philoſophorum ſententia, quod cum ità ſit, maximam inter Matthęum, & Lucam reperio contradictionem, ille enim de Centurionis loquens humilitate, ſic ipſum dixiſſe ait: *Domine non ſum dignus*: hic verò ſeniores introducens Iudęorũ pro Centurione loquentes, ſic eſſe affatos, reſtatur. *Dignus eſt enim*, ſi, *eſt*, & *non*, duo ſunt contradictoria; inter quæ non eſt dare medium, vt paulò ſuperiùs dictum eſt. Quis contradictionem non vocabit iſtã, *Non ſum dignus*; & *Dignus eſt enim*? Quod medium dabimus? Quam harum Cẽturionis nè, an Iudęorum veram dicemus aſſertionem? Sed certè ſi vtramq; veram aſſeremus, non à vero deuiare videbimur; quia ſi acutè conſiderabitur, & contradictio non reperietur, & myſterium magnum in eis latere, non latebit: omitto illud de humilitate; cuius proprium eſt inter honorum culmina, ſic ima petere ſemper, vt quantò magis erigitur, tantò ipſa ſe propria opinione deijciat. De Abrahã ſacra narrat hiſtoria: quòd inter Sidera collocatus, ſe puluerem, cineremq: vocabat. *Loquar ad Dominum, cum ſim pului,& cinis*: Geneſ. cap. 18. Sic poſſem de Centurionis humilitate philoſophari. Aliud tamen video myſterium, aliud quidem ſub cortice literæ abſcondi video ſacramentum; illud eſt, vnico vt concludam verbo, honoris proprietas, quæ talis eſt, fugientem ſequi, ſequentẽ fugere; & quia honorem fugiebat Centurio, dicens: *Domine non ſum dignus*, honor ipſum, totis ſequebatur viribus, clamante mundo: *Dignus eſt enim*: Mea non eſt hæc ſententia, ſed Chryſoſtomi, qui hom. 38. ad Populum, rationem aſſignans, quare Centurio iſte tanto fuerit decoratus honore, dicit: *Centurio dicebat: non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: & propterea dignus factus, & admirationi ſuper omnes Iudæos habitus eſt*: patentiùs, ac ſi diceret: tota Centurionis iſtius honoris, dignitatiſq; cauſa; fuga fuit: & quia ſe indignũ putabat, dignus factus eſt, cùm honoris proprium ſit, fugientem ſequi, ſequẽtem fugere: Qua de cauſſa vmbræ comparari ſolet, quia ſicut iſta fugientes ſequitur, ſequentes fugit: ſic, & honor, appetitores deſerẽs, appetit contemptores; mea non ſunt hæc verba, ſed Chryſoſtomi hom. 39. ad Populum dicentis: *Honores non quærentem honorant, ambientes verò aſpernantur.* Quod clariùs ait Hieronymus in epiſt. 27. ad Euſtochium, de Paulæ humilitate, ſic dicens: *Fugiendo gloriam, gloriam merebatur: quia virtutem, quaſi vmbra ſequitur; & appetitores, ſui deſerens, appetit contemptores;* hęc ipſe: Ex quibus, honoris proprietatem clarè licet videre, quæ eſt, fugientes ſequi, ſequentes fugere, & aſpernari.

*Geneſ. c. 18.*

Centurio ſe indignũ vocãdo dignũ reddebat.

*Chryſoſt.*

*Chryſoſt.*

Honor fugientem ſequitur, ſequẽtẽ fugit, vt vmbra corpus.

*Hieronym.*

2 Vtrumq; eſt videre in Abſalone, & Dauide, quorũ primus humanæ gloriæ cupidus honores totis viribus, totoq; ſequebatur ingenio, ciues amplexabatur, virorum Iſrael corda ſollicitabat, ſe magna daturum promittebat, iiſq; minimè contentus, fecit ſibi currus, & Equites 2 Reg. 15. *Miſit autem exploratores in vniuerſas tribus Iſrael, dicẽs: ſtatim, vt audietis clangorem buccinæ, dicite, regnauit Abſalom in Hebron.* Hic autẽ humillimus, nempè Dauid filij audiens elationem, ſpreta omni regali pompa, vt magis humilitatem ſeruaret, ſuis pedibus fugere decreuit. *Et ait Dauid ſer-*



Digitized by Google

*uis ſuis,qui erant cum eo in Ieruſalem : ſurgite,fugiamus*: Sed rei conſidera euentũ:
quis eorum ſit ab honore quæſitus ? regali quis conſtitutus in throno ? Audi
2.*Reg.c.*18 ſcripturam cap.18. *Tulit Ioab tres lanceas in manu ſua , et fixit eas in corde Abſalom:et tulerũt Abſalom,et proiecerunt eũ in foueam grandem , et comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum nimis*.
Certè vidiſti,qui ſe erigebat,quomodo ſit deiectus, & qui ſublime , regiumque quærebat ſolium, in quàm profunda fouea ſit ſepultus ? Quid autem de Dauid? audi ſcripturam:*Surrexit ergo Rex, et ſedit in porta : venitq; vniuerſa multitudo coràm Rege*.Sic nè ſurgit, erigitur, et ſubleuatur Dauid,qui regali ſpreta põpa , relicto ſolio cum paucis ſocijs fugiebat ? immò quia fugiebat , quæritur & erigitur : cum talis ſit honoris proprietas,fugientes ſequi , ſequẽtes fugere:& quia Abſalòm honores vt velociùs ſequeretur fecerat ſibi Currus, & Equites , honores perſequens,ad ipſos peruenire non potuit : Dauid autem, quia honores toto fugiebat conatu, dicens: *Surgite , fugiamus* : ab honore quæſitus, immò captus,præficitur,erigitur, regaliq; conſtituitur in throno:Acutè nimis
*Chryſoſt.* Fugiendo, captatur Gloria.
hoc intellexit Chryſoſtomus hom.39. ad Populum,cum dixit:*Extulerat ſe Abſalon,ſed non Dauid*:[*quis glorioſus factus?*] *non nè hic priore longè ſublimior ? Gloriam enim aliter aſſequi non licet , niſi gloriam fugiendo.Nàm donec quidem eam ſectemur, nos fugit: cum autem eam fugimus , nos ipſa ſequitur. Si vis ergo eſſe glorioſus , gloriam noli concupiſcere*.hęc ille. Cõſidera quæſo tu nunc, & vide,quomodò apperitores ſui honor deſerens , appetat contẽptores.

3 Optimè hanc primam honoris proprietatem , quæ eſt fugientes ſequi, percepit Ioſeph ille totius Ægypti Dominus , qui ſemel , atq; iterum de proprio loquens principatu ſemper illum
*Geneſ.c.*37. ſomniatis rebus comparabat . *Vidi per ſomnium, quaſi Solem , & Lunam , & Stellas vndecim , adorare me* . Geneſ.37. *Putabam nos ligare manipulos:manipulũq; meum ſtare , veſtroſq; manipulos circumſtantes adorare meum* . Gen.ibidem. Per quæ ſomnia , & ſi diuina monſtraretur promotio ; ſomnia tamen ipſa oracula fuiſſe,certitudineſq; diuinas præter Patres id aſſerentes,rei probauit euentus. Quare ergo rem adeò veram , ſomnia vocat, viſioneſq; fatetur nocturnas, dicens : *vidi per ſomnium* ? quid enim
ſomnio vaniùs? Diuina, è contra , quid ſtabiliùs promiſſione?Quæ ergo connexio promiſſionis , & ſomnij , quòd dicat,*vidi per ſomnium*? An proprietatem ſciebat honoris?quæ alia certè non eſt, niſi aſpernantem magnificare , odio ſe proſequentem,amare, & fugientem,vt comprehendat, totis ſequi conatibus ? Ità certè: ac propterea, ſomnium principatum vocabat , quia dum illum nocturnam exiſtimabat viſionem , & dum totius Ægypti aſpernabatur dominiũ , ad illud eleuabatur , & ad præcipiendũ à ſpreto conſtituebatur honore: Greg. hom.21.in Ezech. *Certè ſomnium , quod de profectu ſuo viderat , fratribus narrans, ab ijſdẽ fratribus Iſmaëlitis venditus eſt, & in Ægyptũ ductus , mira omnipotentis Domini diſpenſatione eidem Ægypto prælatus eſt*, Spernat igitur Ioſeph principatum, ſomnium vocet , viſionem appellet nocturnam , illum perſequantur fratres , paucis vendant nummis , miſeramque redigant in ſeruitutem , quia magis , ac magis ſpreti honoris incenſus ardor illum erigit ſemper , & ſubleuat ; cum talis ſit honoris proprietas : contemptores ſui ſemper appetere.

Ioſeph. honores ſpernẽdo,ad honores eleuãbatur.

*Gregorius.* Honor ſpretus ſpernentem extollit.

5 Ex quibus exemplis inferre non timeo nimium proprię exaltationis genus eſſe alios honorare,ac pro alijs gloriam quærere non pro ſe; quia cùm honoris ſit proprium fugientes ſequi,dum gloriam pro alijs quærimus , nos ipſos gloriæ declaramus ſpretores , quam quidem ſpernentes mirifico modo illam erga nos conciliamus . Veritatem hanc docuit Paulus ad Romanos 12. vbi de honore loquens ſic dicit: *Honore inuicem præuenientes*, ac ſi diceret : nedũ proximum humilitatis cauſa honore præuenire debes, vt humilitatem ſecteris,vt pacem cum illo habeas,& vt perpetuò ſocietatem conſerues : verum ẽt honores ſi quærere fas eſſet,ſi illos omni ſtudio appetere liceret; (quod quidẽ non ſuadeo;) breuiorem viam ad illos conſequendos non inuenires, niſi alios honorando ; quia honore proximum præueniendo te ipſum omni honore dignum

Exaltationis genus eſt alios honorare.

*Ad Rom. c.*12.

Digitized by Google

dignum redderes: ſic certè magnificatus eſt Abraham, de quo tot extant diuina præconia, atq; promiſſa. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Geneſ. 22. Magna promiſſio, honor certè magnus: ſed audi ipſum, honore Loth præuenientem. *Ecce vniuerſa terra coram te eſt: recede à me obſecro: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.* Gen. 13. ò mira Patriarchæ ſapientia! humilitas prorſùs ò magna! ipſe ſenior, ipſe ſanctior, Deo ipſe charior, ſiniſtram eligendo, dexteram iuniori præbendo, illum honore afficit, honore pręuenit! Quid mirum ſi à Deo poſt hæc laudetur, extollatur, & ſublimetur? dicente Scriptura. *Dixit Dominus ad Abraham, poſtquam diuiſus eſt ab eo Loth: leua oculos tuos, & vide, à loco in quo nunc es ad, Aquilonem & meridiem, ad Orientem & Occidentem. Omnem terram, quam concupiſcis tibi dabo, & ſemini tuo in ſempiternum.* Si honores fugerat, & ſi Loth honore præuenerat, dicendo: *Si tu dexteram elegeris, ego ſiniſtram tenebo.* Rē conſiderauit hanc Chryſoſtom. ho. 33. *Vos rogauerim, vt ſitis imitatores Patriarchæ, vt nunquam concupiſcatis primatus; ſed obtemperate B. Paulo, honore inuicem præuenientes, vt per ea, quibus alijs cedimus, ipſi maiori fruamur honore, & per ea, quibus alios præferimus, ipſi in ſummum honorem euehamur.* hæc ipſe: tu autem verba illa conſidera: *Per ea, quibus alios præferimus, ipſi in ſummum honorem euehamur,* & breuiſſimam inuenies ad honores viam, alios honorando, & pro aliis gloriam quærendo.

*Geneſ. c. 22*

*Geneſ. c. 13.*

*Chryſoſt.*

Honore alios pręuenire eſt quęſtū honoris facere.

5 Ex dictis ſatis prima patet honoris proprietas, quæ eſt fugiētes ſequi: ſicuti vſurpato prouerbio dici ſolet:

*Sæpè viris maior gloria ſpreta redit.*

Secunda verò, quòd ſcilicet, vt vmbra, ſequentes fugiat, patebit ex multis; & præcipuè ex eo, quod de filijs Zebedæi Matth. deſcribit cap. 20. qui vt primos gradus honoris cupiebant; ſic primas poſtulaſſe ſedes teſtatur Euangeliſta, his verbis. *Dic, vt ſedeant duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in Regno tuo:* Sed quid ad tale, tantumq; quæſitum, humilitatis Magiſter? audi ipſum: *Neſcitis quid petatis:* Sed quo modo, Domine, neſciunt quid petant, qui primas ſedes, primorumq; honorū venantur culmina? Nonnè, & ipſe in patris dextera ſedere deſcriberis à Dauide dicente: *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis?* Pſal. 109. Nonnè in Regis dextera charior ſemper, in ſiniſtra autem proximè collocatur accedens? cur ergo dicis: *Neſcitis quid petatis?* Attamen iuſtè illos reprehendis; q̃a honoris proprietatē non agnoſcebant: nam honorem quærendo, ab illo elongabantur, & quantò ad honorem accedere putabant, tantò ab illo ſe recedere nō agnoſcebāt; talis cū ſit honoris proprietas, ſequētes totis viribus declinare. Quā rem egregiè declarauit Auctor operis imperfecti, hom. 33. in Matth. ſic loquens. *Deſiderium primatus ex iactantia naſcitur cordis: primatus enim fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe odit.* Fallimini certè, fallimini, ò diſcipuli (Auctor, dicit, operis imperfecti) honores ſequendo, dignitates ambiendo, primatum deſiderando: non eſt hæc ad honoris, & ad dignitatum culmina cōueniens via, primatum quærendo, honorem petendo, cum huius proprium ſit, aſpernantē quęrere, quærentem aſpernari ſemper, & fugere.

*Matt. c. 20.*

*Pſ. 109.*

Primarū ſediū petendo confeſsū Iacobus, & Ioannes honoris proprietatem non agnoſcebāt.

*Imperfectus*

Honor fugientem deſiderat.

6 Nunc autem nimis obſcuri Saluatoris dicti in hoc eodem loco recordor, quando videlicet petente primatū matre, à diſcipulis quæſiuit Magiſter: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* & reſpondētibus illis: *Poſſumus:* ſubdidit ipſe: *Calicem quidem meum bibetis; ſedere autem ad dexteram, vel ſiniſtram meam, non eſt meum dare vobis:* Quę verba quotiès mente reuoluo, toties non poſſum non dicere: cuius erit, ò Domine, ſi tuū non erit? nonnè tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob? nonnè tu ille es, qui manus aperiendo, imples omne animal benedictione? tu tandem ſi ille es, qui cum Patte, & Spiritu Sancto vnus es Deus, vnus es Dominus; tuum quomodo nō eſt: quod dicis: *Non eſt meum dare vobis?* Sed difficultatem, vt faciliùs percipias; Audi, quod eſt illud, quod Deus ipſe facere nequit;

nihil certè, niſi quod contradictionem,
& repugnantiam implicat ex parte rei:
cætera cuncta prorsùs nutui ſubijciun-
tur diuino. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe*
Pſal. 148. *mandauit, & creata ſunt.* Pſ. 148. ergo tā-
tum, quod ex parte rei repugnat, à Deo
ſieri nequit, aliud minime. Nunc ſingu-
la redemptoris verba conſidera, & vi-
Contrà honoris naturam eſt ambientes ſequi. debis, quòd non ſimpliciter dixit: *Sedere*
*ad dexteram, vel ſiniſtram meam, non eſt*
*meum dare:* cum ipſe cunctorum ſit Do-
minus, qui humiliat, & ſubleuat, paupe-
rem facit, & ditat, ſed ſubiunxit: *Vobis,*
ac ſi diceret: meum eſt quidem hono-
res conferre, primatus concedere, di-
gnitates tribuere, cum abſolutus ſim
Dominus: ſed non vobis, ambientibus,
atquè elatis, cum quodammodo con-
trà honoris naturam ſit, quærentem ſe,
quærere, ſequentem ſe, ſequi: ideò non
ſimpliciter, non eſſe meum aſſero; ſed
vobis deſiderantibus, petentibus, atq;
quærentibus: ſic Deum cum ipſis lo-
Ericius. quentem introducit Ericius ibidem.
*Non eſt meum dare vobis, hoc eſt, non eſt*
Ambiẽtibus honorem Deus non tribuit. *meum dare illud ſuperbis, & elatis, quod*
*adhuc erant: ſi ergo illud, vultis accipere,*
*nolite eſſe, quod eſtis, ideſt, elati; quia tales*
*indigni ſunt accipere.* Honoris nunc per-
ſpice naturam, proprietatem vide, ſe-
quentes quàm fugiat, ambientes quàm
aſpernetur, vt (penè Deus ipſe, ne con-
trà honoris naturam agat) dicere coga-
tur. *Non eſt meum dare vobis.*

7 Demùm, quàm honores inſe-
quẽtes ſe fugiãt, dicere poteſt Eua cun-
ctorum viuẽtium Mater, quæ poſt pec-
Geneſ. c. 3. catum inter cęteras pœnas audiuit. *Sub*
*uiri poteſtate eris, ipſe dominabitur tui:* Vbi
non modica mihi occurrit difficultas
cur ſub viri poteſtate ſit conſtituta? mul-
tos dixiſſe, conſcius ſum; propterea id
eſſe factum, quia ſub alterius regimine
collocari debet, qui ſe gubernare non
Chryſoſt. nouit: ità inter cęteros Chryſoſtomus
hom. 17. ex cap. Gen. 3. *Quia te non co-*
*gnouiſti imperare, diſce benè regi;* hęc ip-
ſe. Sed ſi ità eſt, cur ei prius regendi erat
conceſſa poteſtas? cur prius Adę par
facta erat in regimine, cùm paulò antè
vtriquè à domino dictum legamus: *Do-*
Geneſ. c. 1. *minamini piſcibus maris, volatilibus Cæli,*
*animantibus terræ?* Gen. 1. cui difficultati
occurrit Chryſoſt. loco proximè citato:
dicens: Euam in honore parem Adæ eſ-
ſe creatam; propter peccatum tamen
diſparem eſſe factam: ſic Deum cùm ea
loquentem introducit, verbis iſtis: *Ab* Chryſoſt.
*initio honore parem te formaui, & eiuſdem*
*dignitatis in omnibus participem, & ſicut*
*Adæ, ita tibi, omnium principatũ concredi-*
*di: quia abuſa es honore, ſubijcio te uiro, ut*
*illum Dominũ agnoſcas.* faciliùs, quod, ut
percipias; pomi eſum, pręceptiquè
tranſgreſſionem conſidera, quiſnam
prior comederit Eua, an Adam? & Euã
procul dubio reperies; ſic dicit ſcriptu-
*ra: Vidẽs, quod eſset pulchrum oculis, aſpe-* Geneſ. 3.
*ctuquè delectabile: tulit de fructu illius, &*
*comedit: deditquè uiro ſuo, qui comedit.* Ge-
neſ. 3. ergo prior ipſa, velociorquè ad
comedendum fuit: ſed cur hoc? Adæ
cur non expectauit eſum? rationem
ex ſerpentis ſuggeſtione elicit Moyſes Moyſes
Burcepha lib. de Paradiſo, ſic dicens: Burcepha.
*Quæret aliquis, cur non uocauit Adamum,*
*ut is prior ederet? nimirum transformari ip-* De vetito pomo, cur ante Adam Eua comedit?
*ſa prior cupiebat in Deum, uirumquè ſuum*
*diuinitate anteuenire, qui humanitate præ-*
*ceſſerat:* hęc ergo tota in comedendo
ſollicitudinis cauſſa, hęc prioritatis
origo; vt ipſa prior in Deum trãsforma-
retur, & vt virum ſuum diuinitate præ-
cederet. Nunc diuinę ſententię intelli-
ge myſterium, & videbis quàm honor
appetitores ſui contemnat. *Mulieri au-*
*tem dixit Deus: ſub uiri poteſtate eris, ipſe*
*dominabitur tui:* manifeſtiùs ac ſi dice-
ret: quis te decepit? quis te faſcinauit, ò
Eua, ne ueritatem intelligeres? erras
certè ſi putas, quòd honorem quæren-
do, honorem ſis aſſequutura: immò hæc
uilitatis, non dignitatis; depreſsionis,
non eleuationis; ſubiectionis, non prę-
cedentię, uia eſt; ideò tibi dico. *Sub uiri*
*poteſtate eris, ipſe dominabitur tui:* ſic cum Burcepha.
Eua Deum loquentem, introducit Bar-
cepha loco citato, *Optaſti quidem caput* Subiectione punitur, qui affectat imperium.
*eſſe uiri tui, imperioquè in illum potiri; atq;*
*ideò de arbore pro ſerpentis conſilio, prior*
*edisti: at ille contra in te imperium exerce-*
*bit, tibiquè pro capite erit:* Eccine tota fuit
ſollicitudinis cauſſa, ut pręeſſes, & ut
primas ſic obtineres: ſcias certè uilita-
tis hoc eſſe principium, ſubiectioniſq;
cauſſam, cum hęc ſit honoris propriet-
tas: inſequentes totis uiribus fugere,
totoquè eos declinare conatu.

Nam,

## Nam, & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus Matth. 8.

### §. II.

*Honoris onus quàm graue.*

1 SApientiſſimum ſe vndequaquè declarat ſanctus iſte Cēturio de ſeruo ſi loquitur, ſuum quia ęgrotat, ſuum vocat quia iacet. *Seruus meus, quia iacet; nàm ſi tuus eſſet, Domine, nō iaceret.* Sic in eius perſona Chryſologus: ſi de Chriſto, altè confitetur nimis, Verbi virtutē cum imploret, dicendo: *tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus:* vbi Hieronymus. *Vltra corporis tegimen, latentem uidit diuinitatem.* ſi de ſe humillimè, ut fas eſt, ſentit; dominica receptione indignum ſe aſſerēdo. *Non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* Si de ſua tādem poteſtate, ſermonē habet, myſteriosè non parum, certè loquitur, cum dicit: *Nam, & ego homo ſum ſub poteſtate cōſtitutus.* De Pilato legiſſe me memini, quòd tacente in eius cōſpectu Saluatore: de ſua poteſtate ſic dixerit. *An neſcis quia poteſtatē habeo crucifigere tē? & poteſtatem habeo dimittere te?* Ioan. 19. ergo Pilatus aliter de ſua, quàm Cēturio loquitur poteſtate: Hic ſe ſub poteſtate confitetur: poteſtatē ille habere ſe iactat. Vndè tāta loquēdi diuerſitas? an quia, quàm ineptè ille, tàm ſapiēter loquitur iſte? procul dubio ità: nàm doctiſsimus iſte Cēturio acutiùs, quàm ille, honorem conſiderans quāti ſit oneris: vt Seneſius ait. *Fœlicitas enim onus quoddam eſſe creditur plumbo grauiùs, eum ergo ſubuertit, ac deprimit, qui id humeris impoſuerit,* ſe non poteſtatē habere, ſed ſub poteſtate dicit eſſe conſtitutum: ſicut equo magnam ſarcinam deferenti, loqui, ſi liceret, ſarcinam ſe non habere, ſed ſub ſarcina ſe ſitum diceret; ſic & ipſe, quod non agnouit Pilatus, agnoſcens, ſub graui honoris ſarcina ſe conſtitutum fatetur. vndè de honoribus in genere ſic loquitur D. Laurentius Iuſtinianus, de regimine Prælatorum, cap. 16. *Grande prorſus onus, negotium multorum vigiliarum, pauendumquè myſterium eſt gubernatio animarum.* Quicquid dicat Pilatus, quicquid ſentiant ignaui, ſarcina cum ſit poteſtas, onus cū ſit honor: non poteſtatem habere; ſed ſub poteſtate rectè ſe confitetur ſanctus, doctuſquè iſte Cēturio: Atqui ſi Scaligeri ſententiam Cæſar iuſtè laudauit, quia coronam imperialem, tribulationem, ſarcinamquè vocauit dicendo: *O nobilem potius, quàm fęlicem coronam, plenam curis, et periculis, ac miſerijs multis! quàm agnoſcens non ambiat modò, ſed nec oblatam vltrà recipiat.* lib. 1. c. 26. Centurionem iſtum quis dignè laudabit? qui honoris onus agnoſcens, illud breui ſermone declarat, cùm dicit: *Homo ſum ſub poteſtate cōſtitutus:* cuius ex verbis ſumpta dicendi materia, de honoris onere, noſter ſit in præſentiarum tractatus.

*Chryſol.*

*Hieronym.*

*Ioan. 19.*

*Seneſius.* Fœlicitas onus.

*Laurent. Iuſtinian.*

Animarum cura quàm graue onus.

*Cæſar.*

Honoris corona nobilis potius quàm fœlix.

2 Sit in primis pro præſenti inſtituto, quod verbis, factiſquè docuit ſemper Cęleſtis ipſe magiſter: verbis quidèm, quia de paſtore, ouequè perdita ſermonem habens ſic dicit; *Cum inuenerit, imponit in humeros ſuos.* Luc. c. 15. vbi non poteſt non mirari Pintus. Cur in humeris potiùs, quàm in brachijs, vel manibus portetur? ſi adeò Paſtori chara erat, vt pro eius inuentione dulces omnes exiſtimati fuerant impenſi labores: inuenta poſtea; cur non amplexatur, ſtrictiſquè brachijs non portatur, quòd potiùs humeris baiulatur? *Cum inuenerit imponit in humeros ſuos:* ſed magnum certè ſacramentum verbis iſtis abſconditur: illud audi, amabò tè, ſi libet. Apud portitores mos hic inoleuit, magni ponderis res non manibus, nec brachiis portare, ſed humeris potiùs baiulare; ſic te optimè noſſe non dubito: per Paſtorem autem hic Principem, Prælatumquè; per ouem verò ſubditum ſignificari, percurrētem ſcripturas non latet. Diuinum nunc collige myſterium: humeris Paſtor ouem portat, non manibus, vt intelligas, tanti pōderis eſſe ſubditum gubernare, regere, atquè portare, vt portitorum more humeris potiùs, quàm manibus, graue hoc ſit baiulandum pondus. Mea non eſt hæc ſententia, ſed ſupracitati Pintis ſic dicentis. *Quid eſt hoc onus tàm graue, quod non in manibus portatur, ſed humeris baiulatur?* reſpondetquè ipſe: *Quid gra-*

*Luc. c. 15.*

Inuēta ouis humeris nō manibus à Paſtore portatur, & quare.

Subditum gubernare eſt ipſum baiulare.

*uius gubernatione?* ò quàm gtaue iugum ccrtè, quàm intolerabile pondus, quod manibus portati nequit! humeri ſunt potiùs ſuppouendi, vt graue hoc ferri poſſit onus.

Prælati baiulant ceruicibus ſubditos.

*Pſ. 65.*

3 Sed nunquid humeris tãtum hoc baiulatur pondus? nequaquam certè, uàm capite etiam portatur aliquando, vt regius teſtatur Vates Pſ. 65. cum dicit: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Quæ verba in perſona ſubditorum dicta non dubito; in perſona autem ſuperiorum eſſe prolata teſtantut alij: quòd autem illi poſſint hoc dicere, nulli dubium eſt; quia quot habent ſuperiores, tot ſupra caput, ideſt, ſupra voluntatem, homines habent: de iſtis autem, quomodo poſsit intelligi, non reperio: cum ipſi ſub capite, ideſt, ſua ſub voluntate, ſubditos habeant, non ſupra caput; quia illi ſub ſuo, non ipſi ſub illotum ſunt conſtituti regimine: quomodo ergò verificari de ipſis poterit: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra?* Acutè tamen tes ſi conſiderabitur; Prælatorum magis, quàm ſubditorum reperientur verba. *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*. In dies quis non videt fœminas magni ponderis res capite, non manibus, nec btachijs portare? quodquè viri humeris, hoc capite portant, & fœminæ: rem igitur capite portarc, ponderoſitatis indicium eſt, ſicut, & humeris. Nunc Dauidem in Prælati perſona conſidera dicentem: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*: ac ſi clariùs diceret: poteſtatem mihi tribuiſti, regnum mihi dediſti, alios quidem me tegere feciſti, ò domine? ſed in hoc ipſo homines ſuper caput meum impoſuiſti, oneri tàm magno me ſubieciſti, quod cum aliter geſtate non valeam, humeris baiulare, immò capiti imponere eſt neceſſe. Vndè Seneca in lib. de tranquillitate animæ c. 10. de Prælatis ſic dicit: *Quibuſdã aliena ſupra caput imperia ſunt: quibuſdam ſua*. Nota quæſo verba illa: *Quibuſdam ſua*: quibus apertè declatat, ſubditos regere, idem eſſe, ac ipſos capite portare: ſic eius explicat ſentẽtiam Iuſtus Lipſius. *Alij premuntur alieno imperio; quidam verò grauantur ſuo, vt Principes, & Magiſtratus: quibus ipſi honores onera ſunt, & ſarcina*. Benè ergo in Prælatorum perſona magis, quàm ſubditorum aiebat Dauid. *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.*

*Seneca.*

Regere moleſtius eſt, quàm regi.

*Iuſtus Lipſius.*

4 Nec tantùm verbis, ſed factis etiam veritatem hanc de honoris onere, docuit ipſe Saluatot, quum morti propinquus ſanctiſſimum inclinauit caput. *Inclinato capite tradidit ſpiritum*. Ioannis 19. Multas quidèm inclinationis huius rationes à ſanctis Patribus ſcio adductas, quarum præcipua illa eſt, vt voluntariæ mortis oſtenderet ſignũ: ſic Auguſtinus, Chryſoſtomus, penequè omnes ſacræ ſcripturæ expoſitores: tamen vltra ſententias à Patribus allatas, mea, ſi liceret adduci, hæc eſſet: Quod ob id etiam caput inclinare voluit, vt quàm grauis ſit honoris ſarcina cunctis oſtenderet: quod vt faciliùs percipias lege D. Matth. c. 27. qui de Crucis titulo ſic dicit. *Poſuerunt ſuper caput eius, cauſſam ipſius ſcriptã. Ieſus Nazarenus Rex Iudeorum.* quẽ fortè titulum videns Saluator, caput inclinare decreuit: uidebat enim de regno, de regimine, & de honoribus ſecũ agi: ſi ità eſt, erratis, certè, Iudæi, erratis multum, tacitè dicebat ipſe; ſi onus, pondus, et ſarcina eſt dignitas, ac titulus, quem mihi tribuitis: ſed ertatis non parum, capiti imponendo, non humeris: à fæminis quidem capite portatur onus, non à viris, ab his namquè humeris baiulatur ſarcina, non capite; quòd ſi verum eſt, ſupra caput regalem titulum figere nõ debetis, vt ergo errorem veſtrum corrigam, caput inclinando humeros ſuppono, vt graue hoc regiminis pondus humeris portẽ non capite: mea non eſt Vgonis ſeutentia, ſic dicentis. *Inclinato capite emiſit ſpiritum: quaſi ſupponens humerum ad portandum nos, & onera noſtra: ac ſi dicat: caput inclino, vt videatis me paratum ad onera veſtra portanda; vnde per Oſeam 11. Ego, quaſi nutricius Ephraim in humeris meis portabam eum*: hæc ipſe: Iudæis, quaſi diceret: ſi ideò Principem me vocatis, vt tegam, voſquè vt portẽ, ſinite ſaltem, vt hoc, humeris, nõ capite faciã, fæmineum cùm non ſit hoc onus, ſed Gigãtiũ etiã humeris formidabile.

*Ioan. 19.*

*Matt. c. 27.*

Sed cur Chriſtus in Cruce caput inclinauit.

*Vgo Card.*

5 Dignitatis hanc ponderoſitatem ſatis commodè intellexit Saul ille, primus Hebræorum Rex, qui ſtatim ac ſe ad totius Iſraeliticæ gentis regimen electum intellexit, omni qua potuit di-

li-

ligentia ſtuduit occultari, & quidèm ità ſe abſcondere nouit, vt cum humanitùs reperiri minimè poſſet, Dei fuit neceſſaria vox, reuelantis, atquè dicentis: *Ecce abſconditus eſt domi.* 1. Reg. 10.

1. *Reg. c.* 10

Quã rem admirans Gregorius, ait: te, ò Saul, humili ex genere, abiecta ex proſapia, vili ex ſtemmate natum, ad quos honores poſt tantam vilitatem, ſis euectus non agnoſcis, quòd fugis, quòd abſconderis, quòd totis ſtudes viribus occultari? An fortè parua tibi vidẽtur hęc? ſiu autem; quare ipſa te abſcondendo ſpernis, & ſpernendo repellis? verùm, ob aliam cauſſam te id facere nõ ignoro: non quia honorem nõ agnoſcis, nec quia maiorem ſperas; ſed quia magnã percipiens dignitatem, multum intelligens honorem, multum etiam onus annexum agnoſcis, & ponderoſitatem multam cum dignitate vnitam intelligis: vnde timens, ac tremens fugere potius, quã humeros ſupponere, & à turba magis declinare, quàm illam gubernare decernis: ità Gregorius ibidem. *Abſcondunt quippè ſe, ne inueniãtur: quia ſubire dignitatem refugiunt, cuius oneri ſe eſſe impares arbitrãtur. Habet quippè ſpiritualis prælatio exteriorem gloriam dignitatis, habet & interiorem magnitudinem oneris.* Quod agnoſcens Saul, vt poterat, fugiebat.

*Gregorius.*

Honorum onera, qui norunt fugiunt.

6 Nunc ex hoc Saul facto, alterius difficultatis ſolutionem facilè colligo: cur pro Iudæ loco duo tantum, non plures fuerunt conſtituti, quorum alter eligi debebat? *Statuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, & Mathiam.* Act. 1. certè multi erant diſcipuli, Chriſtiani multi, vt dicit D. Lucas ibidem: *Erat autem turba hominum ferè centum viginti*: cur ex tot, duo tantùm, non plures electioni exponuntur, & ſorti poſteà committuntur? *ſtatuerunt duos.* Difficultatem auget, qui narrat Petrum paulò antè dicentem. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati &c. teſtem Reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnũ ex iſtis*: Si ex omnibus unus eligi debebat, cur alijs poſtea relictis, duo tantum ad concurrendum ſunt deſtinati? *ſtatuerunt duos*: ſed ex dictis de Saul facilè, & huius difficultatis ſolutio colligitur, quæ eſt iſta: ex omnibus certè unus eligi debebat: ſed ſtatim ac de ſubſtitutione, atq; regimine verba facere cæpit Petrus, timor (ut opinor) cunctos inuaſit, pauebant cuncti, atq; dignitatis ponderoſitatem conſiderantes fortè tremebãnt omnes: ſi res ità ſe habent, ait Petrus, ſtatuantur duo, ceſſet ab alijs timor, recedat tremor à cæteris, ſorti duo tantum committantur, non plures, nè cuncta turbetur fidelium multitudo. Chryſoſtomus hom. 3. ſuper idem. *Quare non ſtatuerũt multos? Nè maior fieret animorum perturbatio, neue res in multos diſtraheretur.* Multam nouerant Apoſtoli diſcipulorum turbationem, timorem multum, nomen tantùm dignitatis audientes: qui timor ut ceſſaret, ut deſineret tremor, duos uocant, duos aſſumunt, ad duos tantùm arctant electionem Apoſtoli, cæteri ne turbarẽtur ob ponderis magnitudinem.

*Act. 1.*

*Chryſoſt.*

Dignitas timorem incutit.

7 Sed quid de humanis dico, cùm Angelicis etiam humeris formidabile appareat dignitatis pondus? Pro qua re deſeruiat illud, quod de Prælatis, ait Iob. c. 9. *Sub quo curuantur, qui portant orbem*: qui locus de regentibus, gubernantibusq; Prælatis, communiter intelligi ſolet. Vlteriùs tamen ſi quæratur: Qui ſunt, qui poſt Deum, Orbem portant? procul dubio Angeli; ipſi namquè ut Ariſtot. ait, 12. Metaphyſices c. 8. Cælos mouent. Singulorum hominum curam ipſi gerunt, Prouinciarũ ipſi ſunt Prępoſiti, Regnorumq; protectores eximij, ut Danieli unus declarauit ex ipſis, quum dixit: *Princeps autem Regni Perſarum reſtitit mihi viginti, & vno diebus*: ſed quomodò Orbium iſti fortiſſimi portitores, cunctorum hominum, omniumquè Regnorum protectores, ſi de ipſis exponatur ſupra citatus locus, Orbem portando grauantur, atq; curuantur: quod dicit Iob. *Sub quo curuantur, qui portant orbem.* Sed certè in hoc ipſo, quòd portant, quòd curam aliorum gerunt; ipſi quodammodo premuntur, atquè grauantur, cùm regiminis talis ſit pondus, ut Angelicis etiàm humeris formidabile uideatur. Rem tetigit Bernardus de electione Eugenij ad Romanam curiam ſic ſcribens. *Niſi Dominus ſupponat manum ſuam, heù neceſſe eſt, obruatur, & opprimatur onere inſueto, & nimio, quod etiàm Gigantinis, vt aiunt, vel ipſis quoquè Angelicis humeris,*

*Iob. c. 9.*

*Ariſtoteles.*

*Daniel. c.* 10

*Bernardus.*

Dignitas onus Angelicis humeris formidãdum.

*for-*

Digitized by Google

*formidabile videatur*. cuius ultima ſi notabis uerba. *Quod Angelicis etiam humeris formidabile videatur*, clarè honoris onus intelliges, & quàm uerũ ſit, quòd non hominibus tantùm, ſed Angelis etiàm timorem incutiat percipies.

8 Ex quo humano, Angelicoquè timore haùd difficilè colligi poterit;cur poſt peccatum,Mulieri nunquam regẽdi ſit conceſſa poteſtas? Ante peccatum quidem tàm homini, quàm mulieri cõceſſam aſſerit Chryſoſtomus hom.10.in Geneſ.ſic dicens:*Vide miſericordiam Domini,antequàm mulierem produxiſſet, participem illam fecit imperij, nè quis igitur dicat ſolum virum. Et imperate,ait: piſcibus maris,& volatilibus Cæli, & omnibus pecoribus, & vniuerſæ terræ, & omnibus reptilibus, quæ repunt ſuper terram*: hæc ipſe. Poſt peccatum autem omni ablata à muliere regnandi, gubernandiquè poteſtate, viro tantum fuit conceſſa, dicente Deo: *Sub viri poteſtate eris, ipſe dominabitur tui*. Geneſ. 3. vbi Chryſoſtomus ( vt dictum eſt ſupra hom. 17.) in perſona Dei cum Eua loquente, ſic fatur: *Ab initio, honore parem te formaui, & eiuſdem dignitatis,& tibi, ſicut & Adæ omnium principatum concredidi,nunc ſub viri poteſtate eris:illum Dominum tuum agnoſces*: & poſt ipſum Toſtatus de Eccleſiaſtica prælatione hunc dixit in modum:*Status prælationis, nulli fęminæ tàm in veteri, quàm in nouo teſtamento,conceſſus eſt: nam claues ligandi, & ſoluendi, non fuiſſent datę Beato Petro à Chriſto, ſed Beatæ Virgini, quæ erat excellentior; ſi licuiſſet fæminis habere ſtatum Eccleſiaſticæ prælationis: ſic habetur extra de pænitentia,& remiſſione cap.noua quædam*:ſic ipſe,q.1.ſuper caput Matth. 6 Ex quibus omnibus patet, quòd poſt peccatum, viris tantùm, non fœminis, regendi, gubernandiquè ſit commiſſa facultas.Quod ideò factum puto;quia poſt peccatum,poſt tranſgreſſionem,ac poſt præuaricationem, grauius eſſe cæperat regendi pondus: nam ſi Deo terga verterat homo,ſi diuinum tranſgreſſus fuerat præceptum;& tandem(vnico vt concludam verbo)ſi Deo inobedientem, rebellemquè ſe oſtenderat: quid homini eſſet facturus hac inobedientia declarauit: Idcircò orta idàm regendi difficultate,viris potius, quàm fęminis,

*Chryſoſt.*

*Geneſ. c. 3.*
*Chryſoſt.*

*Toſtatus.*

Fœminis prælationis authoritas eſt negata: & quare.

erat gubernandi concedenda facultas. Optimè Chryſoſtomus hom.9. ſuper illud Pauli.1.Timor.1. *Mulierem docere, nõ permitto*:ſic ait:*Eſt enim ſexus ille fæmineus, infirmus, ac leuis,quòd idm in conſequentibus diſſerens; dùm de ſexu generaliter loquitur,oſtendit*: ac ſi diceret: ſi timent homines, ſi pauent gigantes, ſi ſub hoc onere curuantur, qui portant orbem: fœmineis,fragilibuſquè humeris portari,quomodò poterit, poſt peccatum? Regatur igitur mulier, non regat,gubernetur,non gubernet;cùm impares tali oneri eius ſint vires.

*Chryſoſt.*
*Timoth.c.1*

## Dico huic veni,& venit.
## Matth 8.

### §. III.

*Mundi inuitatorium multi, Chriſti autem pauciſſimi ſequuntur.*

1 HEù qualis mundanorum cæcitas! qualis dementia! ſtultitia quanta! fallacem mundum miſerijs plenum; tribulationibuſquè redundãtem ſequi! Deum autem vera, ſolidaq; bona promittentem non ſequi! vocat quidèm Deus,& altè ſic vocat,quòd ob nimium clamorem penè raucus efficitur, dicente ipſo per Dauid. Pſ. 68. *Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ*. Sed pròh dolor! vocantem multum, promittentemquè multa,vix eſt, qui ſequatur! vndè proprio ore conqueritur, cũ dicit Prou.1.*Vocaui,& renuiſtis*: quare Iſid. 3. de ſummo bono: *Rarum eſt ( inquit) Vt quiſquis inter ſæculi voluptates poſitus,maneat illibatus,in quibus,& ſi non citò implicetur, aliquando tamen attrahitur*. Vocat mundus:*Venite fruamur bonis in iuuentute celeriter*. Sap. 2. & nulla interpoſita mora ad primam vocantis uocem currit multitudo non parua, ut benè notauit Rupertus Holchot. lectione 19. in c.Sap. 2: de Deo, mundoquè vocantibus,cum dicit: *Videamus ergo quis iſtorum plures habeat in Choro, ad cantandum inuitatorium: & inueniemus, quòd Deus habet pauciores;mundus autem magnam copiam: non nè ſenes, iuuenes, & pue-*

Pſal.68.

*Prouer.c.*
*Iſidorus.*

*Sap.c.2.*

*Rupertus Holchot.*

Mundum quam multi ſequantur: Deum verò pauci.

*pueri à cunabulis ſuis extracti, ſtatim alliciuntur, ſtatim inuitantur, & animantur ad colendum mundum, iſte, vt fiat mercator, ille miles, alius, vt fiat diues, & ſic de alijs, qui omnes vna voce dicunt: venite fruamur bonis, quæ ſunt:* hæc ipſe. Ex cuius uerbis quanta ſit ſequentium mundum caterua, colligi poteſt; inuitantem uerò Deum (quòd non ſinè dolore dico) raritas, atquè paucitas intelligitur: quam ueritatem explicat ſanctus iſte Centurio, cum dicit. *Ego homo ſum, dico huic: veni, & venit:* me hominem ad primam uocem, omni poſtpoſito, immò prorsùs neglecto negotio, mundani ſequuntur; te autem Deum, vera ſolidaquè promittentem, multumquè clamantem, vix eſt, qui ſequatur. Vndè optimè præfatus Rupertus loco citato quæſtionem mouet: cur quotidiè à Dei ſeruis, Religioſiſquè cunctis alta voce officium in-
*Pſal. 94.* choatur, dicêdo. *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro &c.* Nec ob aliud id fieri aſſerit, niſi quia quotidiè ſequentium mundum videntes multitudinem, à cunctis relinqui, atquè deſtitui metuentes, clamant pro Deo
*Rupert. Holchot.* & ipſi. *Venite exultemus Domino, &c.* Ipſum audi, cuius eſt, non mea quæſtionis
*Inuitatoriũ Chriſti, & Mundi.* reſponſio. *Cantant boni Religioſi cùm Dauid. Pſ. 94. Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro: & iſtud inuitatorium cantant valdè ferialiter his diebus: immò tantus eſt ſtrepitus in Choro mundi, quòd iſtud inuitatorium non auditur in Choro Chriſti, quod quidèm dolendum eſt.* Ecce ſeruorum Dei tota clamoris cauſa, ecce tota lamentationis origo; quia mũdum ſequuntur multi, vt Centurio fatetur iſte, cum ait: *Dico huic veni, & venit.* Deum autèm pauci.

2 Quod vt clariùs innoteſcat, ma-
*Matt. c. 14.* gnę Cœnę parabolã hùc adduco, de qua loquitur Diuus Matt. c. 14. vbi ait: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos:* Quæ Euangeliſtæ percurrens verba, curioſus fui ſemper non parum ſciendi; cur multos vocauit, non paucos? vel ſaltèm dicere poterat: vocauit conſanguineos, accerſiuit amicos: cur dicere maluit: *vocauit multos?* Cui difficultati ſatisfacit Gregorius hom. 36. in Euang. dicens: non ſine cauſa, & abſquè ratione multos uocauit: nàm benè nouerat, qui multos inuitauit, quòd pauci eſſent uenturi, ut rei probauit euentus, nàm idem ſubdit Euangeliſta, *cæperunt ſe ſimul excuſare*; Quid ſi pauci fuiſſent uocati, ſi ex multis pauci, immò nullus uenire dignatus eſt? Ex paucis quem expectare potuiſſet? Nec *Gregorius.*
nnũ quidem. Sic Gregorius loco proximè citato. *Vocauit multos, ſed pauci veniunt: quia nonnumquam ipſi, qui ei per fidem ſubiecti ſunt, æterno eius conuiuio, malè viuendo, contradicunt.* Sciebat, ſciebat *Vocantur multi, ſequuntur pauci.*
omnium ſcrutator cordium Deus, quàm cęcum, quàm ſine conſilio, & prudentia eſſet humanum genus, quòd mundum facilè; mũdi uerò Auctorem difficilè ſequebatur: ideò uocauit multos, ut ex tot uocatis, paucos ſaltèm uenire ſperaret.

3 Cuius parabolę ueritatem faciliùs, ut percipias, Matthæum lege, qui c. *Matt. c. 27.*
27. dicit, Saluatorem morti propinquum magna uoce ad Patrem, ſic clamaſſe: *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti?* Quæ uerba quomodo intelligi poſſint, nõ facilè reperio. Nàm de diuinitate certum eſt, Chriſtum non eſſe loquutum; quia illa cum una & eadem ſit in tribus diuinis perſonis, nec Filius Patrem, nec Pater filium relinquere poteſt: immò Pater in Filio eſt & Spiritu Sancto, Filius in Patre & Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus in Patre & Filio per circuminceſſionem, ut Theologi aiunt, & ut ipſemet docuit, cum dixit: *Chriſti impeccabilitas*
*Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Nec de hypoſtatica loqui poterat unione: nàm *Damaſc.*
poſt Damaſcenum, tota tenet Theologorum ſchola, quòd, quæ ſemel aſſumpſit, numquàm dimiſit. Nec tandèm de gratia poterat eſſe ſermo; quiá ſi hæc per peccatum amittitur, cùm ipſe, ſiuè ob animę beatitudinem, ut docet ſubtilis Doctor, ſiue propter hypoſtaticam unionem, ut ait D. Thomas: de quo *Scot. Thom. Aquin.*
quicquid ſit, impeccabilis eſſet: de gratię amiſſione eius verba intelligi minimè poterant. Quid ergò ſignificare voluerit dicendo: *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti?* prorsùs non intelligerẽ, niſi, quàm pauci ſint, qui Deum ſequuntur, agnoſcerem, de qua paucitate forſitàn conquerebatur Saluator his verbis: *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti?* Et meritò quidèm, quia diebus multis prædicauerat, multos vocauerat, pauci tamèn ipſum fuerant ſequuti: ſed poſt

mundum potiùs totis currebant viribus: ideò mortis tempus expectandum putauit, in quo, clamore valido omnes ad ſe trahere ſperabat: quo tamèn inſtante, vt decreuerat, voce adeò magna clamanit, vt ob magni clamoris ſonitũ, lapides fractos, mõtes ſciſſos, terrã tremuiſſe, dicatur. Ex peccatoribus autem territus beatiſſimus Latro, clamauit. *Memento mei, cum veneris ad Regnum tuũ.*

*Bernardin. Senenſis.*

Bernardinus Senenſis tom. 1. fer. 5. poſt 3. Dominicã Quadrageſimæ ſer. 30. ar. 3. c. 2. *Tàm terribili, ac magna voce clamauit, quòd, vt dicunt Euangeliſtæ, ad clamorem eius dicentis: Deus Deus meus, &c. Terra mota eſt, petræ ſciſſe ſunt, monumenta aperta ſunt, Sol obſcuratus eſt, & conuerſus eſt Latro.* Ad vocem itaquè loquelę grãdis, in Latronis corde diuini amoris, timoriſquè ignis exarſit, æſtuanſquè clamauit: *Memento mei Domine, &c.* Qua amoris flamma iàm accenſa, vt magis ac magis creſceret, & ad aliorum corda, vt ſe extenderet, expectabat ille, qui dixerat. *Ignem veni mittere, & quid uolo, niſi ut accendatur?* Luc. c. 12. Videns tamen, quòd extinguebatur potiùs, cùm nullus conuerteretur, nullus (excepto Latrone) ad vocantem Patrem veniret, conqueri cæpit, dicendo; Deus Deus meus, quare me cum vno tantùm reliquiſti? Cunctos ad me in morte trahere cupiebam, clamaui ad hoc fortiter nimis, & vix clamantem vnus ſequitur latro! Quid ſi fortiter ſic non clamaſſem? ſequutus quis me fuiſſet? fortaſſè nemo. Ità prorsùs in Saluatoris perſona Ioãnes loquitur Ferus. ibid. cũ dicit. *Tot millia per rubrum mare sãguinis mei de Ægypto educuntur, unus modò mecum ad terram promiſſam peruenit: non eſt qui daret gloriam Deo, niſi hic alienigena: non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſquè ad unum.* Sic ipſe. Heù quàm lamentanda deſtitutio! vocat Chriſtus, clamat fortiter, promittit multa, vix tamen ſequitur unus! At vbi alij? Cæteri omnes, quem ſequuntur, ſi Chriſtum non ſequuntur? Ipſos audi una uoce dicentes: *Venite fruamur bonis in iuuentute celeriter.* Sap. 2.

Clamat Chriſtus in Cruce, & quare.

*Luc. c. 12.*

*Ioannes Ferus.*

Chriſtus cur in Cruce ſe deſtitutum dicit?

*Sap. c. 2.*

4 Mente hæc percurrentem latere minimè poteſt, cur tàm arcta ſit Cœli uia, tamquè perditionis lata? vt dicat ipſe veritatis Auctor per Matt. 7. *Lata eſt porta, & Spatioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem, &c. Quàm anguſta eſt porta, et quàm arcta eſt via, quæ ducit ad vitam &c.* Quià cum virtus, vt ait Philoſophus, circa difficile verſetur; vitia autem minimè: hinc fit, vt quàm facilis eſt deſcenſus Auerni, tàm difficilis ſit in Cœlum aſcẽſio: & ea ꝑpter lata perditionis, & arcta Cœli dici põt via: ſic ſæpè ſępiùs ipſe docuit Saluator. Aliam tñ rationẽ adducere ſi licebit; cur lata illa, arcta ſit iſta? hęc erit: Quia pauci ſunt, qui Deum ſequuntur; multi verò mundum: in dies enim camporum uidemus ſemitas, eò fieri latiores, quò plures per eas prętergrediuntur, cò autem anguſtiores, quò à paucis teruntur, ex latitudine ergo, & anguſtia uię prętergredientiũ multitudo, uel paucitas rectè argui ſolet. Nunc ecce myſterium, cur Cęli uia arcta, inferniquè lata dicatur: quia cùm mundum multi ſectentur, à multis Inferni teritur via, ſicquè dilatatur ſemper: Deum autem, quia pauci ſequuntur, arcta ſemper remanet, & anguſta Cęli uia. Veritatem hanc tacitè ſaltem explicauit ipſe Saluator, qui de utraquè uia loquens; de prima ſic dixit: *Lata eſt uia, & ſpatioſa eſt porta, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam:* ac ſi diceret; quòd admodum lata ſit hęc perditionis uia, ne miremini, quia multi ſunt, qui intrant per eam: quòd autem Cœli illa arcta ſit, & anguſta, veſtra eſt hæc culpa, non mea: pauci enim ſunt, qui illam inueniunt, pauci, qui eam terunt. Subtiliter nimis rem confirmauit hanc Nazianzenus oratione 33. his verbis. *Cum audis, uiam unam eſſe, & peranguſtã, quid his uerbis ſignificari putas? Unã eſſe, ſi uirtutem ſpectes (hac enim unica eſt, licèt in multas ſecetur partes) anguſtã propter ſudores, & quia non à multis teritur: ſi multitudinem eorum cogites, qui contrario gradiuntur itinere:* cuius vltima ſi notabis verba: *Anguſta, quia non à multis teritur,* & quę ſequuntur: quàm pauci Deum ſequantur, quàm multi mundum facilè colliges.

*Matth. c. 7.*

*Philoſoph.*

Mundi ſectatores multi.

Cęli via quare anguſta.

*Nazianz.*

Via virtutis quibus anguſta, & quibus lata.

5 Propenſos adeò ad mundum potiùs, quàm ad Deum ſequendum mundanos video, vt dicere non timeã, quòd etiam ſi non alliciat, non promittat, non vocet ille: hic autem, & vocet multum, & multa promittat, mundum

po-

potiùs, quàm Deum ſequi velint, & cupiant: pro præſenti deſeruiat inſtituto, quod de magna Cœna paulò ſuperiùs dicere cœpi, ad quam paratis iàm omnibus, per patris familias ſeruum vocati ſunt multi: *Miſit ſeruum ſuum hora cœnæ, & vocauit multos.* Luc. 14. hæc regius inuitantis præſtitit animus: ſed quid ipſi, qui ad cœnam fuerant inuitati reſpõdiſſent; Euangeliſtam audi dicentem: *Cæperunt ſe ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei: villam emi, neceſſe habeo exire, & videre illam; rogo te habe me excuſatum. Alter dixit; iuga Boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excuſatum.* O quàm clarum mũdanorum exemplum, mundum potiùs non vocantem, quàm Deum multa promittentem ſequentiũ! Paterfamilias vocat; & ad villã primus non vocatus accedit! ad conuiuium, & ad epulas inuitat ille; & ad mutos Boues currit iſte! hæc certè mundanorum proprietas, Deum vocantem, atq; inuitantem relinquere; poſt mundum autẽ, etiam non vocantem, totis viribus currere: de qua mundanorum proprietate loquitur D. Chryſoſtomus hom. 48. de tremenda Iudicij die, ſic dicens: *Vocantem aduerſati ſumus, & vndiq. nos attrahẽtem; nec ità nos puniuit, ſed accurrit, & fugientes cohibuit, & excuſſi ſumus, & ad diabolum reſiliuimus; proptereà ait: Popule meus quid feci tibi? vel in quo moleſtus fui?* Quid ſtultiùs audiri poteſt? dicit Chryſoſt. quid dementiùs cogitari? vocantẽ, inuitantem, allicientẽ relinquere Deũ, mundumquè non inuitantem quærere, & poſt ipſum non vocantem currere. Sed nihil mirum, ſi talis eſt, vt dixi, mũdanorum ad ſequẽdum mundum proclinitas.

*Luc. c. 14.*

*Chryſoſt.*

Surdę mundanorũ aures ad Dei vocationes.

6 Immò ad hoc idẽ: de Iuda, Chriſtiq; comprehenſoribus me legiſſe recordor, quòd Dominum quærentes, ipſumq; comprehendere cupientes, ad locum vbi ipſe cum diſcipulis expectabat, acceſſerunt, qui patiendi ardore incenſus, præter ſpem obuiam eis factus; ſic eos interrogauit; *Quem quæritis?* cui illi: *Ieſum Nazarenum*: ſtatimq; ſubiunxit ipſe: *Ego ſum*: quo audito reſpõſo, dicit D. Ioannes c. 18. quòd: *Abierunt retrorſum*: cuius rei non poteſt nõ mirari Ambroſius lib. de Ioſeph Patriarcha cap. 11. dicens: Si Ieſum quærebãt, comprehendere ſi cupiebant, ſi ad hoc non ſine itineris labore venerant; cur poſteà ipſum inuenientes, *Abierunt retrorſum?* Multos nõ ignoro dixiſſe; Domini voce territos, retrorſum abijſſe: citatus tamen Ambroſius aliam aſſignat rationem: & dicit; quòd hęc eſt mundanorum proprietas: Deum relinquere, mundum quærere, Creatorem inuitantem, immò obuiam ſe facientem, ſpernere: poſt mundum autem, etiam non inuitantem, nec vocantem, laxatis habenis currere: Ipſum auſculta: *Meritò reuertebantur, qui in terrenam labem ab illa Cæleſti gratia recidebant.* Mundanorum cæcitas vocantem, inuitantẽ, promittentem, obuiam ſe facientem Deũ relinquere; mundum verò etiam non vocantem quærere ſemper, & ſequi.

*Ioan. c. 18.*

Ad Chriſti præſentiam cæcutiẽs Iudas cum Satellitibus, ipſum videntes nõ agnoſcebant.

*Ambroſius.*

Deo nobis obuiã facto, terga vertimus.

7 Sed quid non vocantem dico? rẽ omni ſtupore dignam aſſerere non metuo; quòd mundanos etiàm ſi mundus reijciat, à ſe etiam ſi longè repellat; ipſi tamen mundum potiùs repellentem, quàm Deum inuitantem ſequi volunt ſemper, & quærere: in terminis viſa fuit res iſta in filio illo prodigo, qui à patre portione accepta, abijt in Regionem longinquam, conſumptis omnibus, adhæſit vni Ciuium Regioni illius, qui apud ſe eum diù manere pati minimè potuit; ſed nulla prorſùs interpoſita mora, *miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos* Luc. 15. Non ſic certè Pater, à quo diſceſſerat, qui eum omni, quo poterat amore proſequebatur, omnia ei promittebat, vnum tantùm ab ipſo, quod poſtulabat, erat; à Patris oculis ne diſcederet: ipſe tamèn omnia ſemper nihili faciens, paternumq. paruipendens amorem, ab eo diſcedens, illum quæſiuit, qui eum videre minimè poterat, qui eum aſpernabatur, qui eum tandem à ſe longiùs quò poterat, repellebat: ſed heù miſera mundanorum conditio! Cęleſtem Patrem, amantem Deum, vocantem, atquè inuitantem, nedùm relinquere, verùm etiam aſpernari! mundum autem non ſolum non vocantem, ſed etiam reijcientem, ipſoſq; à ſe repellentem quærere ſemper, & ſequi! factum ſic deplorat D. Bernardin. Senenſis, tom. 1. Sab. poſt 2. Dom. Quadrag. ſerm. 24. art. 1. cap. 3. ſic dicens: *Abijt, ſcilicèt ſpontè: et adhæſit, ſ. iã illaqueatus,*

*Luc. c. 15.*

*Bernardin. Senenſis.*

Magis mundo ſpernenti, quã Deo vocanti adhæremus.

*vni Ciuium Regionis illius, ſcilicet Diabolo, qui eſt caput Regionis illius, & miſit illū in villam ſuam, &c.* Heù miſer! non ſic ergà te agebat Pater, te non ſic repellebat, amabat, quærebat, ſemper te videre cupiebat, & tu ipſum relinquis, mundumq; quæris ſpernentem! meritò hęc pateris, cùm ſic ergà ſuos ſe gerat mundus: in te reuerſus, dic ſaltèm modò: *vadam ad Patrem meum*; quia benè erat mihi tunc magis, quàm nunc: ipſum audi clamantem: *Reuertere reuertere Sunamitis: reuertere reuertere, vt intueamur te.*

*Cant. c.6.*

Cant.6. Sic deuotè nimis in Dei perſona vocatis, expectantiſq; peccatorem loquitur Bernardinus Senenſis tom.2. de origine Charitatis art.3.c.2. *O benedicta anima, brachijs in Cruce expanſis benigniſſimè te expecto, reuertere, quia gaudenter te ſuſcipio, omnem offenſam remitto: gratiam tibi libenter dono, reuertere, reuertere, quid moraris?* hęc ipſe. Si ergò vocat, curramus, & nos; ſi promittit, expectemus, & ipſi, vt cum Prodigo audire poſſimus. *Proferte ſtolam primam, date annulum in manu eius: quia filius hic meus perierat, & inuentus eſt, mortuus erat, & reuixit.* Luc.15.

*Bernard. de Senis.*

Expāſis brachijs nos expectat Saluator.

*Luc. c.15.*

## Audiens autem Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, nō inueni tantam fidem in Iſrael. Matth.8.

### §. IV.

*Suorum prædicat virtutes virtutum Auctor.*

*1. Metaph. 1.2.*

1 EX *admirari* (vt ait Philoſophus in 1. Metaph.c.2.) *cœperūt homines philoſophari*. Cur mihi, ex Chriſti admiratione philoſophari non licebit? *Si admiratio eſt,* (vt ait Magnus ille Antonius Paduanus Feria 5. in cap. Ieiunij) *ſtupefacti perturbatio ex rerum nouitate prius incognita proueniens*: quomodò admirari potuerit ille, qui æterni Patris Sapientia eſt? vt cauit Eccleſia. *O Sapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodijſti!* in quo, vt Paulus ait ad Coloſs.2. *Sunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*: qui etiam, vt homo, ſcientia beata, omnia, quæ Verbum videt, & ipſe in Verbo videt, vt Theologorum aſſerit ſchola: Qui tandem (nè hac de re in longum ampliùs ſermonem traham) Scientia etiam infuſa rerum omnium quiditates per infuſas ſpecies ipſarum cognitione abſtractiua in genere proprio nouit, vt inter cæteros de hac re loquentes, ait Scotus in 3. diſt. 14. q.3. Quid ergò nouum eſſe poterat in intellectu illo, in quo (dicere ſi licet) vetera nimis ſunt omnia, cū ea ab ęterno cognoſcat: vndè præfatus Antonius ſubiungit: *Cum Chriſtus omnia ſciret, de nullo admirabatur*. Quomodo ergo intelligi poterit, quod dicit Matth. *Audiēs autem Ieſus, miratus eſt.* An quia fortè externa hac admiratione mortalibus cūctis Centurionis virtutem notam facere voluit? Ità certè. Fidei, namq; Charitatis, humilitatis, cæterarumque Centurionis virtutum magnitudinem, vt oſtenderet, admiratus deſcribitur; vt externa hac admiratione tacitè diceret: talis eſt Centurionis virtus, quòd ſi Deus, qui admirari nequit, admirari poſſet, admiraretur: à qua difficultatis intelligētia nō longè fuit Auguſt. ſuper Geneſ. cōtra Manicheos cit. in Catena qñ dixit: *Quis aūt in illo fecerat illam fidē, niſi ipſe, qui admirabatur? quòd ſi alius eam feciſſet, vt quid miraretur, qui pręſcius erat? quòd ergo miratur Dominus, nobis mirandum eſſe ſignificat, quibus adhuc opus eſt, ſic moueri; omnes enim tales motus eius, non perturbati animi ſigna ſunt, ſed docentis magiſterium.* Talis quidem eſt Dei noſtri proprietas, iuſtorum prædicare virtutem, modis omnibus ſuorum notam facere ſanctitatem: ſic Chryſoſtomus citatus in Catena. *Plebi omni præſenti admiratus eſſe dicitur, & alijs exemplum dedit, vt eum mirentur.* Taceant iuſti, ſileant Sancti, modis omnibus, quibus poſſunt, virtutes tegere ſtudeant: nàm ipſe virtutum omnium Auctor eas detegit, declarat, & pleno prędicat ore.

*Anton. de Padua.*

*Ad Coloſſ. c.2.*

*Scotus.*

*Anton. de Padua.*

*Auguſtin.*

Admiratur Chriſtus, vt doceat:

Centurionis prædicātur virtutes.

*Chryſoſt.*

2 Quod quàm verum ſit, ipſemet cum muliere illa, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, declarauit, quando ab illa fide priùs, quàm corpore tactus, dixit: *Quis me tetigit?* Luc.cap.8. Quod quæſi- *Luc.c.8.*

tum,

tum audiens Petrus non potuit facere, quin diceret: *Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & tu dicis, quis me tetigit?* Vnus non eſt, ò Domine, aiebat Petrus, qui te tetigit, ſed multi; ſi te numeroſa hæc comprimit turba, cur de vnius tantùm conquereris tactu, quòd dicis: *Quis me tetigit?* Attamèn cum inſtantiùs, qui eum tetigiſſet interrogaret Saluator, acceſſit mulier, cauſſam indicauit contactus, totumquè coràm omnibus rei declarauit euentum. *Videns autem mulier, quia non latuit, tremens uenit, & procidit ante pedes eius: & ob quam causã tetigerit eum, indicauit coràm omni populo, & quemadmodũ cõfeſtim ſanata ſit*, præfatus narrat Euangeliſta: qua in re dicit Sanctus Maximus: Eccinè tota interrogationis cauſſa, ut ſuam C[illegible]tus notã faceret uirtutem, ut coràm omnibus ab ipſo recepta prædicaretur ſanitas? minimè prorſus; cùm ipſe ſit ille, qui ſæpè proprio teſtatus eſt ore: *Ego gloriam meam non quæro*: Ioannis c. 8. Cur ergo quis eum tetigiſſet tàm inſtanter quæreret, declarat S. Maximus in natali S. Euſebij hom. 1. dicẽs: quòd non ut ſuas prædicaret uirtutes, ſed ut mulieris notam faceret fidẽ, interrogare ſic uoluit: *Quis me tetigit?* Videbat enim illam ſecretò acceſſiſse, retrò ſtetiſſe, omnium oculos declinaſſe: ergò clàm tãta remanebit uirtus? inlaudata fides? Minimè certè. Interrogetur, in mediũ ſtatuatur, cunctis prædicetur audientibus: *Filia, fides tua te ſaluam fecit.* Audi nunc Maximum. *Tanquàm uerus Deus, quem nullum humanorum pectorum poterat latere ſecretum, & egreſſam de ſe mòx prodidit medicinam, & circumſtantibus turbis credentis fœminæ meritum publicauit.* Vt igitur non ſuas, ſed mulieris extolleret uirtutes, prædicaret laudes, laudaret fidem, qui fidei eſt Auctor, quis eum tetigiſſet ſic inſtanter quærere uoluit.

Ioan. c. 8.

Maximus.

Iuſtorum merita propalat Deus.

3 Maiori tamèn præconio laudaſſe mulierem illam video, pro qua Simoni ſic dixit: *Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intraui, non ceſsauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti: &c. propter quod dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, quoniàm dilexit multum.* Luc. 7. Magna prorsùs laus, magnum præconium! Ad mulierem autem oculos ſi verterimus, ipſam quidèm multũ in Dei ſchola citò profeciſſe videbimus; dicente ipſomet Saluatore. *Dilexit multum.* Attamèn adhuc veterana in Dei ſchola non erat, cùm vix prima pro tunc pœnitentię iecisſet fundamenta: Cur tàm laudauit? Cur ſic eã pleno extulit ore? Quid dixiſſet, ſi, vt Iob ab infantia cum virtute creuiſſet? Quid ſi cũ materno lacte virtutem ſuxiſſet? Quid ſi cũ Ioanne in vtero sãctificata fuiſſet? Quid demùm ſi tunc illum virtutis attigiſſet gradum, ad quem in fine erat peruentura? Quo eam extuliſſet præconio? Ac mirùm non eſt, quòd ſic laudauit, cùm ipſe adeò ad virtutem laudandam ſit pronus; quòd non ſolum Magdalenę ſanctitatẽ, quę in ipſa virtutis infãtia (vt ità dicam) in virtute conſummata dici poterat, de ea dicente Saluatore: *Quoniam dilexit multum*: ſed etiam aliorum ſpirituales, videns, natales, aliorumquè primum, videns, actum virtutis, ac ſi ſecundum expectare, durum ei videretur; ſtatim illũ ſummis laudibus extollit. Sic D. Bonauẽtura ſuper cit. c. Lucę de pœnitentibus generaliter, de Magdalena autèm ſingulariter loquitur, dicens: *Cõmẽdatur autẽ hęc mulier peccatrix à Domino cõmendatione plena, ſcilicet, ut purgata à peccato propter dilectionis effectum, & ut propoſita Phariſæo propter dilectionis acceſſum*: ità ipſe: Sed non prętereunda ſic uelociter puto; illa duo uerba: *commendatione plena*: quibus innuit, non ſimplici laude à Deo pœnitentes extolli; ſed etiam à primo conuerſionis die: immò ab ipſo primò uirtutis actu, à Deo laudari, prędicari, atq; extolli.

Luc. c. 7.

Magdalena cur in pœniten. iæ initio ſic laudatur?

Bonauent.

Seruos ſuos Deus ab initio commẽdat.

4 Et quidèm adeò Deum ad iuſtorum extollenda præconia propenſum uideo, ut dicere audeam; opportunitatem ipſum expectare; immò occaſiones uenari, ut Iuſtorum poſſit laudare uirtutes: Nimis clarè rem declarauit hanc Matth. c. 11. qui Ioannis elogium ſcribens, ſic dicit: *Illis autem abeuntibus, cæpit Ieſus dicere de Ioanne: quid exiſtis in deſertum uidere? arundinem uento agitatã? Sed quid exiſtis uidere? hominem mollibus ueſtitum? Ecce, qui mollibus ueſtiuntur, in domibus Regum ſunt: Sed quid exiſtis uidere? prophetam? Etiam dico uobis, et pluſquã*

Matt. c. 11.

Ioannes cũctis de mulieribus natis maior.

Pro-

*Prophetã. Hic eſt.n. de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante te. Amen dico uobis, inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Magna equidèm laus, diuinum ſine dubio elogium, quo ipſum ſupra cunctos mortales extulit: Sed ſiſtendum aliquantiſper in uerbis Euangeliſtę, Ioannis elogium deſcribentis, neceſſarium duco; & prçcipuè in illis: *Cępit dicere de Ioanne*: Si Euangeliſtæ mens, alia non erat, niſi Ioannis declarandi laudes, ſufficiebat dicere: dixit Ieſus de Ioãne &c. Cur ergò Ioannis præconium inſinuare ſic noluit, dicẽdo: *Cæpit Ieſus dicere de Ioãne*? An verbo illo declarare uoluit, eum antè numquàm laudaſſe? Ità inter cæteros Toſtatus ibidẽ q. 18. Sed maior ex hoc inſurgit difficultas; ſi ueteranus in uirtute erat Ioannes? ſi ab utero uocatus? ſi in eodem ſanctificatus? Cur anteà numquam laudatur à Chriſto, quòd tunc *Cæpit dicere de Ioanne*? Difficultatẽ ſoluit ipſe Toſtatus, dicens; quòd Chriſtus Ioannem laudare non parùm deſiderauerat; ſed temporis expectabat opportunitatem, occaſionem omni ſtudio, quo poterat uenabatur; qua tandẽ capta, in laudes Ioannis abſquè ulla

*Toſtatus.*

mora cæpit irrupere. Sic Toſtatus loco cit. q. 18. *Numquàm inciderat occaſio laudandi Ioannem, niſi nunc; laudãnt eum nunc; quia nunc diſcipuli eius quæſierant à Chriſto coram tota turba ex nomine Ioãnis; ideò, quaſi continuata loquutione, cæpit ipſe laudes Ioannis dicere.* Hæc Toſtatus: Ex quibus uerbis difficilè minimè erit colligere, qua de cauſa ſic loquatur Matthæus: *Cæpit Ieſus dicere de Ioanne*? Vt namquè ipſum, occaſionem quæſiſſe, opportunitatemquè illum laudãdi captauiſſe declararet.

Chriſtus Ioannem laudandi occaſionem quærebat.

5 Ad maiorem etiam huius rei probationem, quòd nempè occaſiones aucupetur Deus, ut ſuorum poſſit extollere uirtutes; Iobi lege hiſtoriam, & repeties, quòd cùm quadam die ueniſſent filij Dei, ut ſtarent coràm Domino, ad fuit & Satan inter eos, à quo

*Iob c.2.*

ſic Deum quæſiuiſſe ſacra narrat pagina: *Vnde uenis?* & reſpondente illo: *Circuiui terram, & perambulaui eam*: ſubiunxit ipſe: *Numquid conſideraſti ſeruum meũ Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, uir ſimplex & rectus ac timens Deũ, & recedens à malo?* Cuius Dei quæſiti, fieri non poteſt quin miretur Chryſoſtomus, dicens: ſi diabolus totam circuiuit terram; ſi totum, vt ipſe ait, perambulauit orbem; Iob procul dubio vidit? Quòd ſi Deus optimè nouit, ad quid ergo quęrit; *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob?* Sed cum multa ratione hoc à diabolo Deũ

Cur Satan, an Iob vidiſſet interrogatur.

quæſiuiſſe, ait Chryſoſtomus: non vt ſci- *Chryſoſt.*
ret, cum omnia eius oculis nuda ſint & aperta, verum ideò quæſiuit, vt occaſionem captaret, vtquè opportunitatem venaretur, fidelem ſeruum laudibus extollendi: Sanctus præfatus ſuper citata verba hom. 4. ſic ait: *Quod occultabat inuidens diabolus, id eximia philoſophia extollit omnium Dominus. Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob? quod tu occultas, ego palam facio.* hæc ipſe. Quibus clarè videre iàm licet; quàm fideles ſeruos, eorumq; virtutes extollere ſtudeat Deus!

Occaſiones venatur Deus laudãdi iuſtos.

6 Myſterium nunc facilè percipio; cur à Ciuitatis Cuſtodibus deſpoliata fuerit ſponſa, cùm Sponſum per vicos, plateaſq. Ciuitatis quæreret? ꝓprio dicente ore Cant. 5. *Tulerunt palliũ meũ Cu-* *Cant. c. 5.*
*ſtodes murorum.* Qui ſi cuſtodes erant cuſtodire potiùs, quàm furari debebant. Nàm multos per hos cuſtodes Sanctos Angelos ad noſtram cuſtodiam miſſos intelligere, optimè noui, qui dicũt ideò ſponſam ab ipſis deſpoliatã fuiſſe, quia talem agnoſcebant ſponſi eſſe voluntatem. Ex quo inferre mihi licet, & dicere: Ergo ſponſus nudam coràm omnibus ſponſam præſentari, nudam ab omnibus videri deſiderat? ſi pallium iubet ab Angelis tolli, ſi operimentum à Cuſtodibus præcipit auferri in via? Sed non aliter certè fieri deſiderat. Quod nè inuerecundum tibi videatur, quid per ſponſam, quidquè per pallium intelligatur, audi. Per ſponſam iuſti anima penè ab omnibus intelligitur, quæ Deo per fidem ſponſata eſt, dicente ipſo per
Oſeam c. 2. *Sponſabo te mihi in fide.* Per *Oſeæ c. 2.*
pallium autem, virtutis operimentũ (vt alibi diximus.) ſi intelliges: Ecce myſterium, cur nuda coram omnibus ſtatuatur ſpõſa? Quia ſponſum iàm ſequi cæperat, quia nouam inceperat vitam, quia virtutis iter fortiter poſt Deum erat aggreſſa, velociter poſt ipſum currendo; quod quia pallio operiebat, & hanc nouam virtutem, quia omnium

ocu-

oculis abſcondere ſatagebat ; idcircò tollitur palliũ, ideò nuda ſtatuitur, ideò per vicos, & plateas ſic ambulare iubetur, vt eius virtus videatur à cũctis, à cũctis nouum vitæ eius perſpiciatur inſtiſtitutum. Rem tetigit D. Gregorius Niſſenus hom. 12. rationem deſpoliationis aſſignans, his verbis: *Aufertur à Cuſtodibus pallium, ut pulchritudo deſiderata videatur.* Voluntas Dei fuit, vt ſponſę auferretur pallium, vt ſic eius declararet virtutem, prædicaret ſanctitatem, nouumquè uitæ eius genus, ut ſic omnibus demonſtraret.

*Gregorius Niſſenus.*

Deus Animæ pulchritudinem aperit.

7 Hac fortaſſis de cauſa, uirtutum Præco, Deus, unam ſtatuit uniuerſalis Iudicij diem, ut ampliori præconio Iuſtorum merita extollantur: præuidebat enim ipſe, quòd multi propriam operturi erant uirtutem, quòd in clauſis cubiculis multi erant oraturi, quòd tandèm in cauernis, & ſpeluncis terræ cæleſtem potiùs, quàm terrenam uitam multi erant ducturi: ne ergò inlaudata talium apud homines remaneret uirtus, unam ſtatuit diem, in qua ipſe Iudex erit, & Præco: & quàm ſeuerum ſe oſtendet iniquorum Iudicem, tàm ſe declarabit Iuſtorum uirtutum Præconem diſertum. Acutè nimis, rem declarauit hanc Toſtatus in c. 25. Matth. q. 118. quùm dicit. *Boni multi fuerunt, qui hinc apud alios bonos, aut malos habiti ſunt, vt miſeri, & infames, voluit ergo Deus, quòd aliquando, coràm toto mundo eorum innocentia, & Sanctitas agnoſcatur, & ſic omnibus videntibus, & nullo potente negare; illos laudabit.* Hæc ille.

*Toſtatus.*

Iudicium vniuerſale ad propalã da Sanctorũ merita.

8 Sed non parua eſt difficultas, quę ſe mihi offert: cur electis priùs dicet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum* &c. Reprobis autem poſteà: *Ite maledicti* &c. Nonnè melius eſſet iniquos priùs repellere, ipſoſquè à ſe longè factos, tunc cum Iuſtis blandum hunc habere ſermonem: *Venite benedicti?* &c. Atqui cum magno conſilio hoc ità fiet, ait Toſtatus loco proximè citato; vt Iuſtorum virtus tàm à Iuſtis, quàm à peccatoribus videatur: nàm Sãcti multi fuerunt in mundo, qui ſtulti potiùs, quàm ſapientes fuerunt habiti: ſic de ſe dicit Paulus: *Nos ſtulti propter Chriſtum.* 1. Corint. 4. ſic peccatores omnes, Iuſtos fatuos nuncupaſſe proprio confitebuntur ore, quùm dicent: *Nos inſenſati vitam illorum extimabamus inſaniam.* Sap. c. 5. ſi ergo priùs repellerentur damnati, quàm in Regnum vocarentur beati: verba hæc: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere,* &c. cæteraquè in Iuſtorum laudem promenda, quomodo poſſent audire? nullatenus certè: vt ergo, & ipſi Iuſtorum audiant laudes, percipiant virtutes, quoſquè ſtultos putauere, ſapientiſſimos intelligant, non priùs in caminum mittentur ignis æterni, quàm Iuſti in Regnum beatitudinis vocentur. Pulchrè nimis cõcluſit Toſtatus loco proximè citato, quùm dixit: *Quià aliqui boni habiti ſunt, vt infames iuxtà illud Sap. 5. Nos inſenſati vitam illorum extimabamus inſaniam, ut eorum sãctitas agnoſcatur, vult coràm omnibus laudare; hoc autem non poterat, niſi aliquando congregarentur omnes gentes; quia quantum ad bonos poterat hoc ſciri, cùm omnes futuri ſint in vita æterna, ſed mali hoc neſcirent, ideò omnes futuri ſunt ſimul; tunc Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum, & tunc laus erit vnicuiquè à Deo: erit autem perfecta laus, quia Deus manifeſtabit omnibus.* Sic Toſtatus. Meritò ergò concludere mihi licebit; quod maximus virtutis Præco ſit ipſe virtutis Auctor, cui iuſtum coràm iuſtis laudare minimè ſufficit, ſed etiam coràm peccatoribus cunctis, eorum vult prædicare virtutem, extollere meritum, palàm facere ſanctitatem.

*Matt. c. 25.*

*1. Cor. c. 4.*

*Sap. c. 5.*

Inſani à peccatoribus extimantur iuſti.

*Toſtatus.*

Cur priùs electis benedictio, quàm reprobis maledictio dabitur in Iudicio?

FE-

# FERIA VI. POST CINERES.

## Audiſtis, quia dictum eſt antiquis. Diliges proximum tuum,& odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis:diligite inimicos veſtros, &c. Matth. 5.

### §. I.

*Quàm Deo ſit inuiſa diſcordia.*

*Ariſtot.*

1 SI admodum vera Ariſtot. eſt ſententia, quòd cõtrariorum eadem ſit diſciplina 1.Topic. cap.8.veriſſimum etiam erit, quòd quàm grata eſt Deo concordia, tàm ei eſt odioſa diſcordia: cùm hæc duo ad inuicem contrarientur. Deo autèm quàm ſit amica concordia, ſuomet ore, vt cętera omittam, declarare minimè eſt dedignatus, quàm dixit: *Rogo, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Ioann. 17. Et ſi ſumma Dei vnitas creaturis competere neqnaquàm poſſit; pro modulo tamèn noſtro, per amoris vim nos illum imitari nõ parum deſiderat; ergo ſi hanc creaturarum concordiam, quæ nimis modica eſt reſpectu ſummę, ſummè amat; ipſarum creaturarum diſcordiam ſummo odio proſequetur, qua forsàn ex cauſa nõ ſemel, neque bis, ſed ter in præſentiarum inimicorum mandat amorem, dicens: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros; orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: benefacite his, qui oderunt vos:* vt omni introducto inimicorum amore, vt Antonius Paduanus ait: *Dilectionem autem ſuadet quantum ad tria, quantum ad affectionem cordis, ibi: Diligite: quantum ad exhibitionem operis: Benefacite: & quantũ ad loquutionẽ oris. Amicitia enim in corde radicatur, ore reuelatur, ſed opere comprobatur.* Sic ipſe: Feria 6. in cap. Ieiunij. Omnis prorsùs, vt contraria; à mortalibus excludatur diſcordia: quòd fortè ſignificare voluit D. Cyprianus de orat. Dominica verbis illis. *Pacificos enim, & concordes, atq; vnanimes eſſe in Domo ſua Deus ꝑcipit, vt qui filij Dei eſſe cœpimus, in Dei pace maneamus, & quibus ſpiritus vnus eſt, vnus ſit & animus, vnus & ſenſus;* ac ſi diceret: ideò Deus toties vnitatem cõmendauit, vt ipſa introducta omnigena excludatur pluralitas, & omnis diſcordia Dei oculis odioſa expelliatur.

*Ioan. c.17.*

*Vnitas, quã Deo grata.*

*Matth. c.5.*

*Anton. de Padua.*

*Inimicus quomodo amandus.*

*Cyprian.*

*Admodùm Deo inuiſa diſcordia.*

2 Ad rem hanc, quam modò tetigimus, nempè quàm Deo ſit grata concordia, quamq. odioſa diſcordia, non vulgaris eſt difficultas illa, quæ à multis mouetur: cur ille idem ſpiritus, qui in mundi creatione ſuper aquas ferri dicebatur, ſacra dicente pagina. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* Gen. 1. Poſteà in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolorum capita ſedere voluerit. *Apparuerũt illis diſpertitæ linguæ tanquàm ignis, ſeditq. ſuprà ſingulos eorum*. Act.cap.2. De quare, vt cæteras expoſitiones omittam, vnam tantùm ad noſtrum inſtitutum referam; quæ eſt iſta: Quòd ideò pro tẽporis diuerſitate ſic differenter deſcribi voluit, vt quàm ſibi odioſa diſcordia eſt, tàm ei grata agnoſcatur concordia: quòd vt faciliùs percipias Apocal. vide cap.17. Populos aquam vocantẽ. *Aquæ, quas vidiſti, populi ſunt, et gentes, et linguæ:* per aquarum autèm diuiſiones, de quibus dixit Deus: *Congregentur aquæ, quæ ſub Cælo ſunt in locum vnum.* Gen. cap.1. hominum diuiſionem, atq; diſcordiam intelligit D. Anaſtaſius Synaita, ſic dicens: *Spiritus Domini coniungit omnes aquas gentium, quæ priùs erant remotæ, & diſtantes, in vnam Eccleſiæ Congregationẽ, vt fiant omnes vna aqua vitæ:* ergo, & per aquas gentes, & per ipſarum diuiſionẽ hominum diſcordiam intelligere debemus. Oppoſitum tamèn in die Pentecoſtes reperio, in qua multitudo quidẽ erat fidelium, ſed congregata non diuiſa, ſic D. teſtatur Lucas in Act.c.2. *Cùm complerentur dies Pentecoſtes erant omnes pariter in eodem loco.* Omnium enim

*Geneſ. c.1.*

*Cur Spiritus Sanctus ſuper aquas nõ quieſcere, ſed ferri dicebatur?*

*Act.c.2.*

*Apocalypſ. cap. 17.*

*Gen.c.1.*

*Anaſtaſius Synaita.*

*Act.c.2.*

erat

erat corpus vnum, cor vnum, & anima
Luc.c.4. una: ſic dicit idem Lucas. c.4. *Multitudo
autem credentium erat cor vnum, & anima
vna*; ergo aliter in mundi exordio ſe
habebant homines, & aliter in die Pen-
tecoſtes Diſcipuli: diuiſi illi, amore cō-
iuncti iſti: diſcordes illi, concordes
iſti: & vnico, vt dicam verbo, illis tan-
dem ſi dici oportuit: *Congregentur aquæ,
quæ ſub Cælo ſunt in locum vnum*: in iſto-
rum laude, ſic ſcribitur: *Cum eſſent omnes
pariter in eodem loco*: Quid igitur mirū,
quòd ſuper illos Diuinus Spiritus non
requieſcat, ſuper hos autem, quòd ſe-
deat, & quieſcat? quia illos, vt diuiſos,
inuiſos habebat; in his autem, vt con-
cordibus, atquè vnitis, ſedens inhabi-
Anaſtaſ. Synaita. tat, atquè quieſcit. D. Anaſtaſius Synai-
ta: *Ita licet videre omnes gentes, & maxi-
mè in illo die Pentecoſtes, ab illa voce vio-*
Vnionem, & concordiam Deus affectat. *lenta, quæ facta eſt; ſpiritus, qui etiam nunc
fertur ſuper gentilem, fidelemquè aquam,
quæ congregata eſt in vnam fidei congrega-
tionem, & vnita eſt in vnam Eccleſiæ com-
paginem, qui ferebatur ſuper aquas; hinc
ſcriptum eſt; ſedit ſuper vnumquemquè ip-
ſorum*. hæc ipſe. cuius vltima nota ver-
ba: *Spiritus, qui ferebatur ſuper aquas,*
&c. & myſterium, quod tetigimus, clarè
videbis.

3 Verùm ad rem noſtram; quàm
videlicèt Deo ſit inuiſa diſcordia ſer-
monem, vt dirigam. Gigantes illos vi-
ribus potentes, corpore magnos, ſtatu-
ra proceros, in medium affero: qui ſic
Deo odioſi fuerūt, vt reprobati deſcri-
Baruch cap.3. bantur à Baruch cap. 3. vbi dicit: *Ibi
fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio
fuerunt, ſtatura magna ſcientes bellum: non*
Corporis magnitudo an laudabilis. *hos elegit Dominus*. Quorum reprobatio-
nem uon parum miror: cur ſic inuiſi de-
ſcribantur Gigantes iſti? An corporis
magnitudo reprobationis erat origo?
minimè certè; nam in naturalibus ne-
què meremur, neq; demeremur: immò
in Saule illam nimis laudatam reperio;
nàm electus in Principem ipſum vni-
uerſo populo circunſtante, cùm ab hu-
mero, & ſurſum altior omnibus eſſet, vt
1.Reg.c.10 ſacra narrat hiſtoria 1. Reg.c.10. *Stetit
in medio populi, & altior fuit vniuerſo po-
pulo ab humero, & ſurſum*; dixit Samuel:
*Certè videtis, quem elegit Dominus, quoniā
non ſit ſimilis illi in vniuerſo populo*; ergo
in Saul corporis magnitudo laudatur,
prædicatur, & extollitur: immò etiam
in electionis ſignum aſſumitur, cùm di-
citur: *Certè videtis, quem elegit Dominus*:
In illis, cur ſic reprehenditur, quòd in
reprobationis potius, quàm in electio-
nis argumentum aſſumitur, cum dici-
tur: non hos elegit Dominus? Cui diffi-
cultati ſatisfacit Ambroſius lib. 1. de
Abel, & Cain. c. 5. quùm dicit: Quod nec Ambroſ.
ſimpliciter Saul propter corporis ma-
gnitudinem laudatur, nec ob eam certè Gigātes cur reprobati?
reprobati ſunt illi: Sed potiùs ob ſcien-
tiæ eminētiam. Qualis autē eſſet perni-
cioſa hæc ſcientia, propter quam, ſic re-
probati deſcribuntur gigantes, expli-
cat idem Ambroſius, quùm dicit. Alia
prorsùs non erat, niſi belligerandi ſciē-
tia: ſic ſacra teſtatur pagina; *Scientes
bellum*. Quid ergo mirum (dicit Ambro-
ſius) quòd repulſi ſint à Deo, ſi prælium
ſciebant? ſi hæc ſcientia diuiſionis, &
diſcordiæ magiſtra eſt, ideò Deo odio-
ſa; ideò reprobata. Peracutè nimis rem
declarauit præfatus Ambroſius his
verbis: *Scientes prælium. Nō hos elegit Do-* Diſcordia à Deo reprobatur.
*minus: & meritò non elegit, quia prælium,
non pacem ſciebant; ideò tu pacem diſce, vt
eligaris ab eo*. O ſi huius ſcientiæ ignari
fuiſſent, & belli nomen veterani illi
bellatores non agnouiſſent! fortè re-
probati non fuiſſent: nàm ſi de eis non
diceretur: *ſcientes bellum*: forſitàn non
immediate adderetur: *Non hos elegit Do-
minus*.

4 Sed quid belligerantes reproba-
tos, dico, cùm belli tantùm vmbram
ſemper Deo odioſam, & inuiſam, repe-
riam? Pro qua re deſeruiat locus ille D.
Lucæ c. 24. vbi de diſcipulis in fractio-
ne panis Dominum agnoſcentibus, ſic
dicit: *Aperti ſunt oculi eorum, & cognoue-* Luc.c.24.
*runt eum in fractione panis*: quam percur-
rens ſcripturam, non parùm curioſus
fui ſemper ſciendi, quinàm fuerit hic
peculiaris frangendi modus, quo tan-
quàm primo principio, ad cognoſcen-
dum magiſtrum vtebantur Diſcipuli? ſi
videndo ipſum, non agnouerant, audi-
endo ipſius doctrinam non intellexe-
rant: quomodo tandem per panis fra-
ctionem, quod videndo non agnoue-
rant, & quod audiendo non intellexe-
rant, nunc, & agnoſcunt, & percipiunt,
dicente Euangeliſta: *Aperti ſunt oculi
eorum, & cognouerunt eum in fractione pa-*

*nis?* cui difficultati reſpondet Euſebius Emiſſenus, dicendo; quòd talem frangendi modum tenere ſolebat Saluator, quod ex ipſo facillimè cognoſci poterat: verba autem præfati Euſebij ſunt, quæ ſequuntur. *Sic enim facere ſolebat, quando adhuc inter eos conuerſabatur; & apertis oculis eorum aſſuetam eius conſuetudinem videntes cognouerunt illum.* Sic ipſe. Sed adhuc primæ difficultati locus remanet: Quęnàm hæc fuerit Chriſti conſuetudo? Quis ſic peculiaris frangendi mos, ex quo ſic facilè innoteſcere poterat? Tandem Paduanus Antonius difficultatem enucleat, dum feria 2. poſt Paſcha dicit; quòd ſicut omnium comedentium eſt conſuetudo ſemper gladium in promptu habere, vt panem ſcindant, & vt cuncta diuidant; ſic mos erat Chriſti, omni penitùs gladij vſu interdicto, panem manibus ſcindere, non ferro: cur autem hoc facere voluerit, ratio iſta eſt; dicit citatus Antonius; quia ſi gladius belli inſtrumentum eſt, non pacis, cùm ad diuidēdum, non ad vniendum ſit inuētus: diſcordię, non concordiæ vmbra eſt, & figura: quod ſi verum eſt, quid mirum; ſi ſemper interdicto gladij vſu, panem potiùs manibus frangere voluerit Saluator, quàm belli, diſcordiæ, diuiſioniſquè videre principium: viuat ſemper D. Antonij præcitati memoria, qui hanc mihi ſuggeſſit explicationem, his verbis. *Cognouerunt eum in modo fragendi; ſic enim frangebat ſola manu, ac ſi ſcinderet cum cultello.* Ceſſet nunc difficultas, nulla ampliùs inſurgat dubitatio; cur infractione panis agnitus ſit à Diſcipulis: ſi ſciebant, quàm ſemper ei exoſa fuiſsēt bellica inſtrumenta, qui nè belli umbram uideret, quantùm poterat à ſe gladios abdicabat.

*Euſebius Emiſſenus.*

Chriſtus gladio nunquā vſus.

*Antonius de Padua.*

Diuiſionis etiā vmbra Deo diſplicet.

5 Nunc mihi minimè difficilis erit alterius difficultatis ſolutio: cur Chriſtus Petrum reprehenderit, quòd gladium euanginaſſet? *Mitte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribūt.* Matt. 26. & omiſſa reſponſione multorum: quòd ideò ſic acriter reprehenſus ſit Petrus, quia Dominicam paſſionem impedire putabat. Quod clarè proprio ſubdidit ore Saluator: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò, pluſquam duodecim legiones Angelorum? quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri?* Tamen Lucæ Brugenſis reſponſio ad rem hanc mihi non diſplicet, & eſt; quòd ideò Petrum ſic acriter reprehendit Saluator, quia magiſtrum nō imitabatur, quia Præceptoris non ſequebatur exempla: ſed ſi quæres, in quo à Chriſto diſcordaret Petrus? Brugenſem audi dicentem: in nullo prorſùs, niſi in gladij uſu, qui ſemper ſic alienus à Chriſto fuit, quòd nè gladium uideret, panem manibus potiùs frangendum, quàm gladio ſcindendum eſſe, exiſtimauit: Petrus autem, quia gladium portabat, illo utebatur, illum deniquè contra hoſtes euaginare, & ipſorū auriculā ſcindere, quia non ignorauit; à Magiſtro diſcordabat diſpulus; Præceptoris in hoc non imitabatur exemplum: ideò meritò reprehenditur, meritò ut cęleſtis doctrinę ignarus corripitur. Brugenſem audi, cuius verba ſunt hæc: *Nemo ipſi vſum gladij conceſſerat, non Deus, non Chriſtus filius Dei, à cuius cùm doctrina, tùm exemplo alienus erat vſus gladij; meritò ergò à Ieſu reprehenditur:* Hæc tota reprehenſionis Petri origo, quia gladium tenendo, ipſoquè utendo à Magiſtro non parum diſcipulus diſſidebat: Vndè concludit Origenes tract. 35. in Matth. *Pacificos enim vult eſse Ieſus diſcipulos ſuos, vt bellicum gladium hunc, deponentes, accipiant gladiū, quē dicit Scriptura, Gladiū Spiritus.*

*Matt. c. 26.*

Petrus gladium euaginans reprehenditur.

*Brugenſis.*

*Origenes.*

Pacificos ſuos vult Deus diſcipulos.

6 Rem hanc optimè intellexit, quàm videlicèt Deo exoſa ſint omnia armorum genera, quàmquè ei bellica ſint inuiſa inſtrumenta, fortiſſimus ille Paſtor Dauid, qui, & Leonem, & Vrſum, vt Agnos apprehendens, ſuffocauit, quando contra bellicoſum Goliam, armis multis munitum, inermis prorſùs exire decreuit: nàm veſtitus à Saul lorica, & enſe, cæteriſquè bellicis inſtrumentis vallatus, cuncta abijciens, ſine armis ad bellandum procedere voluit, ſic ſacra narrat hiſtoria. 1. Reg. 17. *Induit Saul Dauid veſtimentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput eius, & veſtiuit eum lorica. Accintus ergo Dauid gladio eius ſuper veſtem ſuam, cæpit tentare ſi armatus poſſet incedere. Dixitquè Dauid ad Saul: Non poſſum ſic incidere, quia non vſum habeo: & depoſuit ea;* ergò prorſùs

1. Reg. c. 17

iner-

Digitized by Google

Cur inermis ad pugnam exire voluit Dauid.

inermis contrà armatum proceſſit? procul dubio ità. Sciebat ſiquidèm quàm Deo inuiſa eſſent bellica inſtrumenta; quamquè Deo omnium armorum genus eſſet exoſum, optimè agnoſcebat: ideò dicere non verebatur: *Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo:* immò Dei ſpiritu ductus, ad bellum, ét ſine gladio procedere voluit; & ſi potuiſſet hoſtis caput, ſine ferro abſcindere, feciſſet utiq; nè gladium tangeret, diuiſioniſq; nè videret inſtrumentum.

*Chryſoſt.*

Pulchrè nimis Chryſoſtom. de Dauid, & Goliath, conſiderans ipſum pro lorica aſſumpſiſſe peram, pro gladio baculum, pro haſta lapides; ſic dicit:

Arma Deo inuiſa.

*Deniq. iſtis armis abiectis, noua, & inopinati generis Dauid arma conquirit, quinq. lapides elegit, fundam ſumit, & contra Goliam, ad bellum exiuit.* Doctus certè Dei diſcipulus, qui nouo vtitur bellandi modo, nè inſtrumentis Deo exoſis vteretur.

7 Facilè nunc percipio; cur Dominica cum ædificaretur Domus à Salomone, de lapidibus quadratis, dolatis, atq; perfectis ædificata fuit: ſic habetur

*3.Reg. c.6.*

ex 3.Reg. c.6. *Domus autem cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis, atq. perfectis ædificata eſt: & malleus, & ſecuris, & omne ferramentum, non ſunt audita in domo cùm ædificaretur.* Vbi non miror, quòd de lapidibus, ſic quadratis, atq. perfectis ædificata ſit domus; ſi Templum prorſùs mirabile erat conſtruendum. Sed cur lapides alibi quadrati, dolati, atq. ſic diſpoſiti fuerint, non autem in loco ædificij, maxima dubitandi inſurgere poſſet occaſio, ſi ipſamet ſcriptura non diceret:

Belli vmbra à Domo Dei eliminanda.

*Et malleus, & ſecuris, & omne ferramentum, non ſunt audita in domo cùm ædificaretur.* Quod idem eſt, ac dicere; deſinat omnis dubitandi occaſio, cur alibi dolati fuerint ædificij lapides, & poſteà ſic diſpoſiti in locum, vbi Templum ædificari debebat ſint adducti: nã hoc ideò factum eſt, ne malleus, ne ſecuris, & vt vnico dicam verbo, ne ferrũ prorſùs in domo Dei audiretur; cum hoc belli potiùs, quàm pacis inſtrumentum eſſe ſoleat: ideò in domo Dei, cui vmbra tantùm belli fuit ſemper inuiſa, audiri non debebat. Huc adduco, quod dixit Seneca epiſt. 87.

*Seneca.*

Ferrũ Deo odioſum, & quare.

*Summum illud bonum, & ipſum ſuam habet ſedem, nec naſcitur, vbi ferrum.* Quod ſi iſte dicere nouit, qui tãtum lumine naturali videbat, quis noſtrum negabit Deo exoſam eſſe diſcordiam, ſi nec ferrum ipſum in domo ſua audiri patitur?

8 Pro hac materia tandèm deſeruiat, quod de æterni Patris voce, in Chriſti transfiguratione audita, refert Matth. *Matth. c. 17*
cap. 17. Quòd loquente Petro, atq. dicente: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Interrupto Petri diſcurſu, paterna vox ſic intonuit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite.* Ex qua loquutione duæ difficultates inſurgunt. Prima eſt: Cur cęleſtis vox non expectauit, vt Petrus ſermonem compleret; quòd adhuc eo loquente intonuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* Secunda verò, quę prima minor certè nõ eſt: Cur addidit: *ipſum audite?* cùm eum audirent diſcipuli, ipſumq. Magiſtri, Dominiq. nomine vocarẽt, vt proprio ore confeſſus eſt ipſe Præceptor, dicens: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & benè dicitis: ſum etenim.* Ioann. c. 13. *Ioan. c. 13.*
Ad quid ergo intonuit: *Ipſũ audite?* Sed ò magnũ myſterium! vt declararet quã Deo ſit inuiſa diſcordia, Paterna vox ſic intonuit. Quod, vt faciliùs percipias, verba illa Petri conſidera: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, et Eliæ vnum:* & videbis, quòd verba iſta diuiſionis, non vnionis verba ſunt: cùm ab vnitate ad pluralitatem exire ſuadeant, & à cõiunctione ad diſiunctionẽ per tabernaculorum alietatem procedendum indicent: Sic ait Origenes homil. 3. ibidem: Diabolicæ hoc tribuens ſuggeſtioni, quùm inquit.

*Origenes.*

Diuiſio Deo exoſa.

*Forſitan in hoc malitiosè operabatur Pater mendacij per eum, qui neſciebat quid loquebatur; nolens eſſe ſimul, Ieſum, & Moyſen, & Eliam; ſed ſeparare eos ab inuicem, trium tabernaculorum obtentu, quod fieri non poterat.* Igitur verba Petri, neſcientis quid diceret, pluralitatem, diuiſionem, diſcordiamq. ſonabãt. Myſterium nunc audi, ſi libet: loquebatur Moyſes, loquebatur Elias, fortè exceſſum amoris canebat iſte, doloris, quem Saluator completurus erat in Ieruſalem reſpondebat ille, tali colloquio lætabatur filius, ſic dulci cõcentu gaudebat Pater; inter quæ archieloquia loqui cœpit & Petrus, qui in ſer-

monis exordio, & ſi neſciens quid diceret, verbis tamen, vt ſonabant, diuiſionem, diſcordiamq; proponebat: quod audiens Pater, nè Petrus ſermonem vlterius traheret; dicere cœpit ipſe: *Hic eſt filius meus dilectus*: tacitè Petrum reprehendens; aiebat: Siſte Petre, vlteriùs, nè loquaris, deſine nunc, ſufficit, quod dixiſti: ideò loquor ego, vlteriùs, ne tu procedas, diſcordiamq; proponas: cui meæ cogitationi applaudit Lucas Burgenſis, quùm dicit: *Adbuc eo loquente, adbuc Petro loquente verba iſta, propoſitionem multis modis incongruam; abrupit Deus Pater Petri ſermonem*. Ecce audiſti cauſam, quare adhuc eo loquente, paterna vox intonuerit? vt incongruum Petri ſermonem interrumperet. Cur autem Petri locutio incongrua diceretur; declarat Auguſt. ſerm. 69. de diuerſis, dicens: quia Petri ſermo in exordio diſcordiam ſonare videbatur: ſic ipſe: *Quid Petre quæris diuidere? magis te oportet adiungere: tria quæris, intellige vnum*. En audiſti cauſam, quare adhuc loquente Petro, paterna vox intonuerit. vt Petri ſermonem dirimeret, qui in exordio diſcordiam ſonare videbatur: Cur tandem concluſit ipſum audite, declarat S. Hieronymus citatus in Catena: vt verum doctorem diſcipulis demonſtraret, qui non diſcordiam, diuiſionemq; vt Petrus; ſed pacem, vnitatē, atq; concordiam docuit ſemper, & iuſſit. *Vox quidem Patris de Cælo loquentis auditur, quæ teſtimonium perhibeat filio; & Petrum, errore ſublato, doceat veritatem; immò per Petrum, cæteros Apoſtolos: vndè ſubdit, dicens: ipſum audite.*

Cur loquēte Petro, vox Patris auditur?

*Burgeñ.*

*Auguſt.*

Petrus, diuiſionem introducens, reprehenditur.

*Hieronym.*

*Hieronym. in Caten.*

# Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in Cęlis eſt Matt. 5.

## §. II.

*Paternitatis titulum quanti faciat Deus.*

1 PAtrem, quis vnquàm ſine filio vidit, cum Pater filij Pater ſit, dicente Philoſopho, quòd relationes ſunt ſimul natura, vel, vt alij explicant; ſunt ſimul naturali intelligentia: quòd ſi axioma eſt philoſophicum, ſine filio Pater intelligi quomodò poterit quòd dicit Saluator. *Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt?* Si eius exiſtente Paternitate, ad noſtræ filiationis acquiſitionem laborare debemus; ergò ſine filio dari poterit Pater. Quod ſi Philoſophia non nouit: cur potiùs non dixit: Diligite inimicos veſtros, quia eſtis filij Patris veſtri, quòd dicere maluit: vt ſitis filij Patris veſtri? At ſciētiarum omnium Dominus, quid diceret, benè nouit: nam myſterioſo hoc loquendi modo, quàm Paternitatis noſtræ titulo gloriaretur, declarare voluit, tacitèq. dicere: Paternitatis inſigniri titulo, adeò delector, vt etiam non filii Pater ſi fieri poſſet, vocari proculdubio vellē. Quod optimè nouit ille, qui dixit: *Pater, peccaui in Cælum, & coràm te: iàm nō ſum dignus vocari filius tuus*. Luc. 15. clariùs, ac ſi diceret: quia te Paternitatis titulo gloriari ſic ſcio, vt etiam non filii Pater vocari deſideras; ideò ego Patrem te voco, qui filiationis titulum iàm amiſi: In cuius perſona, ſic Chryſologus. ſer. 2. *Ego perdidi, quod erat filij, ille, quod Patris eſt, non amiſit:* hac ergò de cauſa, vt etiā non filii quodammodò ſe Patrem oſtēdat, ſic loquitur ſcientiarum omnium Magiſter: *Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in Cælis eſt*. Mea quippè non eſt hæc ſententia, ſed D. Paſchaſii lib. 3. in Matth. c. 5. ſic dicentis: *Hinc notandum, quòd non ait, facite iſta, quia eſtis filij, ſed ait: facite iſta, quæ moneo; vt ſitis filii*

*Philoſoph.*

*Luc. c. 15.*

Quā Deus, Pater vocari exoptet.

*Chryſolog.*

*Paſchaſius.*

Filijs, vt verè filij ſint Deus occaſiones offert.

*lij Patris veſtri: ex quo mira loquutio generatur: quid enim filius Patri poteſt eſſe, niſi filius? & tamen Pater iàm dicitur, licèt adhuc facultas fiendi credentibus offeratur.* Quo nouo loquendi modo docemur: Paternitatis titulum, quàm amet Deus, & quàm noſter vocari Pater exoptet.

2 Quod, quàm verum ſit, in ipſa hominis creatione, immò antequàm hominem crearet, oſtendit ille, qui dixit. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Gen. c. 1. vbi, & non immeritò quidèm perquirit Chryſoſt. hom. 42. in cap. Matth. 12. Cur hominẽ producendo, non eodem ſermone ſit vſus Creator, quo in cæterorum creatione vſus fuerat? cur non dixit; fiat homo, quòd magis dicere voluit, *faciamus?* Si propter honorem hominis dicere ſic decreuerat: cur addidit, *ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram?* ſufficiebat dubio procul dicere: faciamus hominem, vt de non eſſe ad eſſe produceretur homo; cùm omnia nutui ſubijciantur diuino. Cur ergo addere voluit: *Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram?* Sed certè non ob aliud dicere ſic, voluit, ait Sanctus præfatus: vt antequàm hominem crearet, ſe eius Patrem, quodammodò vocatiueſſe declararet. Quod vt faciliùs percipias: Definitionem generationis viuentium ab Ariſtotele aſſignatam, adduco; quæ eſt iſta. *Generatio eſt productio viuentis à viuente in ſimilitudine naturæ.* Ex qua fortè moti nonnulli: Filium Patris imaginem dixerunt: quod ſi verũ eſt; audi nunc myſterium, qua de cauſa in hominis creatione ſimpliciter dicere noluit Deus; fiat homo, aut tantũmodò faciamus hominẽ: quia tũc hominis, vt cæterorũ Dominũ, nõ Patrem ſe declaraſſet, ad ſui ſimilitudinem hominem non producendo; ſed addere voluit: Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, vt ſic ſe hominis Patrem in ipſo creationis exordio; immò antequàm ipſum produceret, declararet: cùm ad ſui ſimilitudinem hominẽ plaſmaret. Chryſoſtomus loco citato hiſce verbis: *Si cõſideremus ab initio, creati hominis cauſam; intelligemus, quia Deus magis ſe Patrem voluit eſſe hominum, quàm Dominum: non enim dixit tantummodò faciamus hominẽ, ſed faciamus hominẽ, ſecundum imaginem, & ſimilitudinem noſtram: ſimilare autem, filijs conuenit ad Patres ſuos; non etiam ſeruis ad Dominos ſuos.* Si filius imago eſt Patris, dicit Chryſoſtomus, ſi generatio nil aliud eſt, niſi productio viuentis à viuente in ſimilitudine naturæ; quid mirum, quòd à Deo ad ſui ſimilitudinẽ productus ſit homo? Si Pater hominis vocari magis cupiebat, quã Dominus, meritò dicat Creator in ipſa hominis creatione: *Faciamus hominem ad imaginẽ, & ſimilitudinem noſtram:* vt ſuam declaret Paternitatem, & nos filios etiam, nõ ſeruos tantùm oſtendat.

Gen. c. 1.
Chryſoſt.
Homo cur ad Dei imaginem, atq; ſimilitudinẽ creatus.
Ariſtot.
Chryſoſt.
Deus potiùs Pater, quàm Dominus hominis.

3 Mirabiliter hanc Dei voluntatẽ declarauit Paulus, quãdò ad Romanos cap. 8. ſcribens ſic dixit: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Quæ verba conſiderans Auguſt. non poteſt non mirari, cur ad Deũ clamare debeamus, iuxtà Pauli præceptum. *Abba Pater:* ſi Abba idem prorſùs ſonat, ac Pater; cur dicere non ſufficiet, *Abba*, quod etiam addidit *Pater?* An nè clamando dicemus Pater Pater? Ità prorſus, ſic clamabitis, dicit Paulus, & meus non eſt hic orandi modus, ſed à Spiritu Sancto; ſic ad clamandum inſtigante: *Miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra clamãtem: Abba, Pater.* Ad Gal. 4. traditus. Alibi legiſſe meminimi, quod orandi modũ, diſcipulos docere volens Saluator; ſic cępit: *Cum oraueritis, dicite: Pater noſter, qui es in Cœlis.* Matth. cap. 6. Ergo, vt proprio declarat ore: ſemel eum Patrem vocare, ſatis eſt: cur igitur Paulus, bis Patrem dicit eſſe uocandum? *In quo clamamus: Abba, Pater.* At quidem ductus diuino Spiritu Paulus, ſic orare docuit: Sciebat profectò Patrem ſemel in oratione vocare, ſatis eſſe: cognoſcebat itidem quã paternitatis titulo decorari gaudeat Deus: idcircò, vt magis ſatisfaceret eius voluntati, non ſemel tantùm, ſed bis Patrem vocari docet. Rem explicauit hanc Auguſt. de verbis Domini ſer. 13. cùm quærit: *Cor clamat, Pater noſter, qui es in Cœlis; ergo quare non tantùm Pater. Quid ſibi vult Abba, Pater: ſi enim quęris, quid ſit Abba? reſpondetur tibi; Pater: Abba enim hebraicè Pater dicitur. Quare voluit vtrumq; Apoſtolus ponere?* reſponderq; ipſe: *Quia videbat lapidem angularem, non ſine cauſa, angularem dictum, niſi*

Ad Roman. c. 8.
Deus non ſemel, ſed pluries Pater vocari deſiderat.
Ad Galat. c. 4.
Matth. c. 6.
Auguſtin.
Quoties Deum Patrem vocamus, toties ipſum oſculamur.

*quia*

*quia in oſculum recipit vtrumquè.* cuius, nota, quæſo, verba hæc vltima. *In oſculum recipit vtrumquè,* & intelliges, quòd adeò charum eſt Deo, Patrem vocari, vt in dulciſſimi oſculi locum, tale à nobis nomen accipiat: vndè quoties à nobis Pater vocatur, toties quodammodò ſe oſculari exiſtimat.

4 Hinc mitari deſino; cur nobis toties Patrem in terris vocare ſit vetitum, proprio prohibente ore, ipſomet
*Matt.c.23.* Deo, atquè dicente: *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim Pater veſter, qui in Cœlis eſt:* Matt. 23. & per Moyſen: *Qui dicunt Patri, & Matri, non*
*Deut.c.33.* *noui te: hi cuſtodierunt eloquium tuum, et pactum tuum ſeruauerunt.* Deut. 33. Quod quoties excogitabam, dubitabam ſatis, quomodò terrenis parentibus renuntiare, illoſquè, vt prorſùs extraneos profiteri non agnoſcere, gratum Deo eſſe poſſit, quòd doceat Moyſes: *Qui dicunt Patri, & Matri, non noui te, hi cuſtodiunt præcepta tua:* Præſertim cùm oppoſitum præcipiat ipſemet Deus, quùm dicit: *Honora Patrem tuum, & Matrem*
*Exodi 20.* *tuam.* Exod. 20. & licèt multorum nouerim reſponſum, honorandos quidèm eſſe parentes, eiſquè obtemperandum in omnibus, dummodò diuinis iuſſionibus oppoſita non præcipiant: quòd ſi ſecus fecerint, apertè eis reſiſtendum, atquè dicendum: nō noui te. Aliam tamen cauſam in præſentiarum; cur terreni Parentes, nedum relinquendi, verùm à memoria etiam ſint repellendi, inuenio; & eſt: quia ipſe tantùm Paternitatis delectatur titulo, vt & ſi Parentes honorari præcipiat, Patris tamen nomen ſibi ſoli reſeruari cupit: & vt aſſiduè ipſe Pater ab hominibus vocetur, Paternitatis nomen ab omnibus quodammodò auferri voluit, dicendo: *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, vnus eſt enim Pater ueſter Cæleſtis.* Vndè

*Pater vocari, ità vult Deus, vt in alijs id prohibeat.*

*Cyprianus.* D. Cyprianus in oratione Dominica, docet, in conuerſionis exordio eſſe teſtandum. *Conteſtetur inter prima ſtatim natiuitatis ſuæ uerba, renuntiaſſe ſe terreno, & naturali Patri, & Patrem ſolùm noſſe. ſe habere cæpiſſe in Cælis: ſicut ſcriptum eſt. qui dicunt Patri, & Matri, non noui te, ipſi cuſtodiunt præcepta tua.*

5 Quod ſi intellexiſſet diſcipulus ille, qui Patrem ſepelire ſtudebat, fortaſsè non dixiſſet: *Domine, permitte me primum ire, & ſepelire Patrem meum.* *Matt.c.8.*
Matt. c. 8. cùm terrenus Pater Cœleſti minimè ſit præponendus: cùm ex iſto, vt air Paulus, omnis habeatur Paternitas. *Ex quo omnis in Cælo, & in terra Paternitas nominatur.* Ad Epheſ. 3. ſic Chry- *Ad Epheſ. 3.*
ſologus ſerm. 19. *Videte, quid diſcipulus dixerit, permitte mihi primum ire; hoc enim non primum eſſe debuit, ſed ſecundum, cum terrenus Pater, Cæleſti ſit poſtponendus.* Vlteriùs tamen ſi procedo, & reſponſionem Saluatoris conſidero. *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Non poſſum non quærere, cur non dixit: Sinite mortuos ſepelire genitores ſuos, parentes ſuos? ſi diſcipulo Pater erat ille, qui ſepeliri debebat; Patrem cur non vocauit, quod potiùs mortui nomine tantùm decreuit eſſe vocandum, dicens: *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos?* Sed audi non vulgare myſterium: terrenum Genitorem primum Patrem vocabat diſcipulus; & quidèm errabat non parum: quia primus Pater noſter, Cęleſtis eſt Pater, non terrenus: ideò, vt cunctis notum faceret errorem iſtum; terrenum Patrem, Patrem vocari noluit pręſente Cęleſti, vt ſibi tantùm Paternitatis titulum ſeruandum oſtenderet. Subtiliter hoc tetigit D. Cyprianus in oratione Dominica; ſic dicens. *Diſcipulo, qui mentionem defūcti Patris fecerat: Reſpōdit: ſine mortui mortuos ſuos ſepeliāt; dixerat.n. Patrem ſuū mortuum, cum ſit credentium Pater viuus vnus, qui eſt in Cælis:* Quod quia non agnoſcebat ille, qui præſente cœleſti Patre, Patrem alium nominare non verecundabatur; meritò dictum eſt ei: *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos.* *Cyprian.*

*Pater diuinus omnibus præponendus. Chryſol.*

6 Non alitèr à Diſcipulo iſto, Epulonem fuiſſe loquutum, obſeruat Chryſologus; quia ſicut inſipienter ille, Patre præſente cęleſti, de Patre cogitabat terreno; ſic non magis ſapienter iſte, cùm Abraham Deum figurante loquendo, terreni Patris memoriam retinebat, dicens: *Rogo te Pater Abraham, mitte eum in domo Patris mei:* quæ verba *Luc.c.16.*
conſiderans Chryſologus, ſic ait; Si Abraham Patrem vocabat, quem alium requirebat Genitorem? Si idem bis generari nequit, quomodò idem filius duos genitores habere poterit, quòd ſtultus hic dicit, *Pater Abraham mitte*

*eum*

*eum in domo Patris mei?* An fortè ſicut inſipienter in mundo egerat, ſic ineptè in Inferno loquitur? & qui in fęlicitatibus pauperem, fratrem uocare dedignabatur, in pœnis Patrem, alium à cęleſti, atquè communi, ſe habere putabat? Ità Chryſologus ſerm. 123. *Si verè hunc Patrem vocat, cuius domum patris alterius tunc requirit? niſi fortè eum ſe habere in abſentia patrem credit, quem in præſenti, ſe taliter conſpicit perdidiſſe*: ſic ipſe. Chryſoſtomus tamen rem iſtam conſiderans; malitioſè, aſſerit, Epulonem, ſic eſſe locutum: dicens: *Vide autem peruerſitatem, nec in pœnis continet veritatem*: ſic ipſe citatus in catena. Et fortè quis ſcit, ſi dicere volebat; quòd ſicut in mundo Epulo iſte ſemper diuinæ contrarius extiterat volũtati, ſic ei in Inferno non minùs obſiſtere ſatagebat. Cui forſàn, vt ſe magis in pœnis opponeret, quàm in delicijs ſe oppoſuerat, terrenum Patrem coràm cęleſti vocare decreuit, dicens. *Mitte Lazarum in domo patris mei*. Cui meę expoſitioni annuit Chryſoſtomus loco ſuprà citato, ab eo cum quærit: *Si Pater eſt Abraham, quo modo dicis: mitte eum in domo Patris mei? non es oblitus Patris, quia ille te perdidit?* reſpondetquè paulò ſuperiùs, & dicit: *Vide autem peruerſitatem, nec in pœnis continet veritatem!* Pròh nefas! ſciens fortè Deum paternitatis titulo delectari; vt ſe diuinæ opponeret voluntati; iuſſionibus nè obtemperaret diuinis; Patrem alium à cęleſti, vocare decreuit! benè de ipſo exclamat Chryſoſtomus: *Vide peruerſitatem, nec in pœnis continet veritatem!*

*Chryſol.*

*Chryſoſt.*

Paternitatē à Deo auferre damnatorum eſt.

7 Quàm deniq; Paternitatis titulo cœleſtis noſter delectatur Pater, facilè declarat gaudiũ illud, quod in regreſſu prodigi oſtẽdit, qui poſt epulas, poſt cõuiuia, muſicales poſt cõcentus, primogeniti audiens querelas: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer*. &c. Luc. 15. ſic ſubiunxit ipſe. *Epulari autem, & gaudere oportebat*: & licèt tanti gaudij rationem reddiderit ipſe, quùm ait: *Quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt*. Aliam tamen ſi tanti gaudij cauſam mihi adducere liceret, illam dicerem; quia Paternitatis titulo Pater iſte delectabatur non parùm: quod vt facilius percipias: Prodigi confeſſionem ab Euangeliſta paulò antè deſcriptam in medium affero, quæ fuit hæc: *Pater peccaui in Cœlum, & coràm te*: cuius ſi notabis verba, clarè videbis, pro orationis exordio ad Patris captãdam beneuolentiam, paternitatis titulo prodigum eſſe vſum: cùm eum minimè lateret, quàm titulo hoc gauderet Pater, vt ergo Patrem beneuolum redderet, ſic incepit: *Pater*, quo audito à Genitore nomine, non potuit non lętari: vndè poſt epulas, poſt cõuiuia, muſicaleſquè poſt concentus proprio confeſſus eſt ore: *Epulari autem, & gaudere oportebat*: Huic meę cogitationi fauet Lucas Brugenſis, quandò in Patris iſtius perſona ſic dixit: *Epulari oportebat, & gaudere, quia talis modò eſt habitus, qualem optamus*: quaſi diceret; quomodò potero non gaudere, lætitiam quomodò cohibere potero; ſi hic meæ conformis eſt voluntati, de Patre ſi cogitat, ad Patrem ſi redit, Patrem tandem ſi pleno nominat ore.

*Luc. c. 15.*

In regreſſu prodigi cur tàm lætaretur Pater.

*Lucas Brugenſis.*

Deus gaudet vocari Pater.

8 Sed pròh dolor! quis eius voces nõ audit & querelas? *Si Pater ego ſum, vbi eſt honor meus?* Malach. 1. Quibus tacitè dicit; ſi Paternitatẽ amo, ſi Paternitatis titulo inſigniri delector, Patrem vocari ſi ſic libenter audio: vbi ſunt filij? vbi honor? Reuerentia vbi eſt, quæ Patri debetur? verus non eſt filius, qui ſic à Patre degenerat: ità prorſus in perſona peccatoris, in ſe reuerſi, aiebat Bernardus ſerm. 16. in Cant. *Ipſe quidem Patrem ſe exhibuit mihi, ſed non ego illi viciſſim filiũ. quanam fronte attollo oculos meos ad vultum Patris tàm boni, tàm malus filius? pudeat tãto Patri vixiſſe degenerem*: Saltem nunc ad nos reuertamur fratres, & cuius Patris ſimus filij agnoſcentes humiliter nimis cum prodigo dicamus: *Pater peccaui in Cœlum, & coràm te, iàm non ſum dignus vocari filius tuus; fac me, ſicut vnum de ſeruis tuis*; quia Patrem procul dubio audiemus, dicentem: *Filius hic meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt.*

*Malac. c. 1.*

*Bernar.*

Pudeat Deo Patri nos eſſe degeneres.

Qui-

**Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos: & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Matth. 5.**

## §. III.

*Iniuſtis, quàm vtilis ſit iuſtorum ſocietas.*

1 MIror quidèm non parùm, quod ſuper malos amica oriatur lux: ſciens ſuper iniquos Ægyptios tribus

Exod. c. 10

diebus Solem non eſſe ortum: *Factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti tribus diebus, & nemo vidit fratrem ſuum.* Exod. 10. obſtupeſcerem certè, quòd ſuper iniuſtos gratiarum deſcendant imbres; ſuper ſceleſtam, infamemquè Sodomam, legens pluiſſe qui-

Geneſ. c. 19

dèm Deum, ſed ignem, & ſulphur: *Igitur Dominus pluit ſuper Sodamam, & Gomorrham ſulphur, & ignem.* Gen. 19. niſi ipſemet diceret? *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos: & pluit ſuper Iuſtos, & iniuſtos.* Ex quibus verbis facilè colligo, quòd non propter malos oriatur Sol, nec propter iniuſtos gratiarum mittantur imbres, ſed propter iuſtos, bonos, & Sanctos, pro quibus affluentia tanta in dies gratiarum videtur: Sic

Chryſoſt.

Bona dãtur malis propter bonos.

Chryſoſtomus citatus in Catena: *Cautè autem dixit; ſuper iuſtos, & iniuſtos; quia omnia bona Deus, non propter omnes homines dat, ſed propter Sanctos.* O ſi pauci ex iſtis ex Ægyptiorũ genere inter Ægyptios fuiſſent! quis ſcit ſi tenebrarum plaga afflicti fuiſsẽt? quid ſi in Sodoma decem tantùm iuſti fuiſſet? ſubuerſa certè; immò in fauillam, & cinerem redacta minimè fuiſſet: cùm propter ipſos diuina, ergà iniquos contineatur Iuſtitia, imbreſquè pro ipſis gratiarum deſcẽdant. Vndè Auctor operis Imper-

Imperfect.

Societas iuſtorũ quàm peccatoribus vtilis?

fecti hom. 3. ſuper citata Matthęi verba. *Qui Solẽ ſuũ oriri facit* &c. ſic ait. *Contentus eſt magis Deus, vt peccatores contrà meritum ſuum bonis Dei fruantur, quàm vt Iuſti contra meritum ſuum à bonis Dei fraudentur.* Quis ergò hæc conſiderans, non intelliget, quàm vtilè peccatoribus ſit Iuſtorum conſortium, cum propter ipſos iuſtiſſima, nedum Dei contineatur ira, ſed iuges ab eo gratiarum mittantur imbres, de quibus præcipuè præſens noſtra erit tractatio.

2 Quàm periculoſa eſt Iuſtis, peccatorum conſuetudo, quià vt Seneca ait. *Serpunt vitia, & in proximum quemq; tranſiliunt, & contactu nocent.* Iàm vtile peccatoribus eſt Iuſtorum conſortium, non tantùm, quia eorum erudiuntur doctrina, atquè animantur exemplis; ſed etiàm quia diuina propter eos cohibetur Iuſtitia, nè contra iniuſtos iuſtè deſæuiat. Quod tacitè ſaltem declarauit Matthæus. c. 24. Quandò finalis euerſionis ſigna prædicens, ſic ait: *Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabit electos eius à quatuor ventis, à ſummis Cælorum, vſquè ad terminos eorum. Cum videritis hæc omnia, ſcitote, quoniam propè eſt in ianuis*: ac ſi diceret: finalis euerſionis ſigna erunt illa, quæ in Sole, Luna, & Stellis apparebũt; Iudicij quidèm ſignum erit, tribulatio illa magna, quæ vſquè modò non fuit. Demum falſa Antichriſti miracula, noua, quæ diſſeminabitur doctrina, Iuſtorum perſecutio, multorum tribulatio, ſigna eiuſdem nimirùm erunt: maximũ tamen vniuerſalis euerſionis ſignum aliud non erit, niſi collectio Iuſtorum, ipſorumquè à peccatoribus ſegregatio: hoc primum, maximumquè proximi iudicij ſignum erit. *Cum videritis hæc fieri, ſcitote, quoniã propè eſt in ianuis*: Meoq. iudicio dicere volebat (ni fallor) ſi Deus tamdiù patitur iniquos, quamdiù cum iuſtis admixti ſunt; ſi propter Iuſtos diuina continetur iuſtitia, ſi iuſta cohibetur ira: ergo cùm ipſos collectos videritis, à peccatoribus ſeiuncti cùm fuerint: ſcitote, quoniã ꝓpè eſt in ianuis, vt ſtrictè iudicet, & vt ſeuerè puniat. O quàm clarè hoc tunc iniqui percipient! de quibus Lucas, ait, Brugenſis ſuper cap. Matt. 25. *Qualis clamor, qualis gemitus, putas tunc futurus reproborum?* ſtatimquè tãti doloris rationem aſſignat; quum ſubiungit. *Ex ipſa hac ſeparatione bonorum à ſe, animo perpendent ſententiam aduerſus ſe ferendam.* Quis nunc ad clariſſimæ lucis conſpectum cæcutiens, nõ videbit, peccatoribus, quàm vtile ſit iuſto-

Seneca.

Matt. c. 24.

Brugen.

Separatis bonis à malorum conſortio, fiet iudicium vniuerſale.

ſtorum conſortium, ſi ex eorum ſeiunctione ipſi cęci peccatores intelligunt in ianuis diuinam eſſe iuſtitiam, vt eos ſtrictè iudicet, ſeuereq́; puniat.

3 Vlteriùs tamen ſi procedatur, & ipſius iudicij ſi conſideretur deſcriptio, quàm peccatoribus vtilis ſit iuſtorum conſuetudo, & quàm propter ipſos diuina cohibeatur iuſtitia, latere certè minimè poterit: cùm de electis, & reprobis dicat Matth. cap. 25.

*Matt. c. 25.*

*Separabit eos ab inuicem, ſicùt Paſtor ſegregat oues ab hædis: tunc dicet his, qui à dextris eius erunt, &c.* Vbi, quòd à peccatoribus iuſti ſint ſegregandi, non miror, quia, qui diſpares ſemper in moribus fuerũt, ipſis dicentibus ſceleſtis. *Perſequamur iuſtum, quia contrarius eſt operibus noſtris.* Sap. 2.

*Sap. c. 2.*

Diſparibus collocari in locis, ſatis iuſtum erit: ſed quod ſpeculandi anſam mihi ſemper præbuit, eſt; *ly*: *Tunc*: dicente Euangeliſta: *Tunc dicet his, qui à dextris, &c.* Ad quod tale aduerbium referatur, dum dicere ſimpliciter noluit: dicet his; ſed dicere maluit: *Tunc dicet, &c.* cui difficultati (nè in longum ſolutionẽ traham) accurrit Lucas Brugenſis dicens, quòd *ly*; *Tune*: idem ac ſtatim ſonat; & quòd ad diuiſionem iuſtorum à reprobis, referri debet: ità quòd, tale faciat ſenſum: ſegregatis à peccatoribns iuſtis, ſtatim dicet his, qui à dextris, &c. Si autem quæres: cur ſtatim poſt ſeparationem ſint promenda ſententiæ verba, non anteà: quòd ſic expreſsè dicit Euangeliſta.

**Iniquos non punit Deus, dum in iuſtorum conſortio fuerint.**

*Statuet agnos à dextris, hædos autem à ſiniſtris: Tunc dicet, &c.* Tibi reſpondere potero, & dicere; quòd ſuos adeò Deus honorat, vt quodammodò ferire neſciat iniquos, quãdiù cum iuſtis admiſti ſunt; & quòd propter illorum honorem, etiam cùm iniquis, ſceleſtiſq́; hominibus diſſimulare ſoleat: Quos ſi tãdem propter ſcelera pnnire decernit, iuſtos priùs ab ipſis ſegregat, quàm eos puniat, vt faciliùs quodammodò (& ſi fas eſſet dicere) & abſq; vllo impedimẽto punire poſſit.

*Lucas Brugenſis.*

Eximiè Brugenſis ſuper illud, *Tunc*; ſic ait: *Tunc, ideſt his, ità conſtitutis, vniuerſoque genere, in duos ordines diſtributo, dicet his, qui à dextris, venite: & à ſiniſtris ite, &c.* Patentiùs ac ſi diceret: quandiù cùm iuſtis peccatores admiſti fuerint, iuſtitia non apparebit, ſententiaq́; non audietur, vbi autem facta fuerit ſeparatio: tunc, ideſt ſtatim, ſententia audietur, ad æternalemq́; ignem iniqui, nulla interpoſita mora, mittentur.

Fallor, niſi hanc rem proprio explanauit ore Saluator, quòd iniquos ferire quodammodò neſciat, quandiù cũ iuſtis admiſti ſunt: quando de ſuper ſeminatis ab inimico; immò iàm ortis zizanijs ſerui loquentes, atq. dicentes: *Vis imus, & colligimus ea?* Matth. cap. 13.

*Matt. c. 13.*

ait: *non*. Sed quid à zizanijs expectas, ò Domine? ſperare ab eis quid poteris, quòd dicis; *Non: ſed ſinite vtraq. creſcere vſq. ad meſſem: & in tempore meſſis dicam meſſoribus: colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem cõgregate in horreum meũ?* Si à zizanijs triticum ſuffocari vides, extirpari cur prohibes? Cur tàm longo tempore expectas? An fortè aliud literę cortice, & aliud ſpiritus medulla oſtendere cupis? Ità prorſùs: nàm per zizania peccatores, per triticum autem iuſtos ſignificari communis eſt Sanctorũ Patrum opinio. Quò præſuppoſito, andi, zizania extirpare cupientibus, quid dicat? *Non: ſed ſinite vtraq. creſcere vſq. ad meſſem.* Quandiù enim cum iuſtis admiſti ſunt peccatores, diſſimulabo, extirpari non patior, & iuſtam cohibeo iram: in meſſis verò tempore, cùm diſſimulare ampliùs minimè licebit: tunc feriendi modum inueniam: dicam nãq. meſſoribus: colligite primùm zizania; ſegregate à iuſtis iniuſtos, ſeiungite à perfectis iniquos: quo facto, totum ſtatim effundam iuſtiſſimæ iræ meæ furorem.

*Chriſoſt.*

Perbellè Chryſoſtomus, hom. 47. in Matt. rationem aſſignans, cur extirpare prohibuerit zizania? ſic ait: *Dicit parcendum eſſe zizanijs, quò vſq. vnà cùm frumentis in agro ſunt*: ac ſi diceret: periculum in ſeparatione erit, timor in ſeiunctione à iuſtis oriri debet; nàm quãdiù cum iuſtis iniuſti admiſti ſunt, contra eos iuſtitiæ falcem extendere Deus quodammodo neſcit: quod claris verbis declarauit Iſaias, cùm dixit:

**Iuſtos ab Impijs ſeiungi, his exitiale erit.**

*Iſaia c. 1.*

*Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Quæ verba idem prorſùm ſonant, ac ſi non punit, ſi non flagellat, falcem deniq. ſi non extendit: hoc propter aliud non eſt; niſi, quia iu-

ſti ſemen nobis reliquit:

Iuſtorū vmbra diuinam cohibet indignationē.

4 Sed quid peccatoribus iuſtorum ſocietatem vtilem dico? dicam potiùs, quòd ipſa iuſtorum vmbra, diuinam quodammodò cohibere valet indignationem, ne contra iniuſtos iuſtè deſæuiat. Inter omnes mundi Ciuitates, quę Sodoma ſceleſtior reperiri potuit? cuius nefanda ſcelera, terra ſuſtinere non valens, eā omni, qua potuit celeritate, à ſe ſtuduit abdicare: vndè ſubuerſam reperio in momento, dicēte Hierem. Tren. 4.

Tren. c. 4.

*Maior facta eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento:* Cuius iniquitates Cœlum videre non potens, ignem pluit, & ſulphur, eamq; in fauillam redegit, & cinerem: de ea tamen Angelum ad Loth, ſic repetio dicentem: *Feſtina quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.* Gen. 19.

Geneſ. c. 19.

Ex quibus verbis, non parua certè inſurgit difficultas: ſi de Ciuitate, Loth iā exierat; ſi iàm extra Vrbem Angelico conſtitutus fuerat miniſterio, vt ipſa Sacra hiſtoriā paulò ſuperiùs narrat, cum dicit: *Diſſimulante illo, apprehenderunt manum eius, et manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eò quod parceret Dominus illi. Eduxeruntq; eum, & poſuerunt extra Ciuitatem.* Cur Angelus poſt Loth egreſſum, diuinam non exequitur volūtatem? Iàm à Ciuitate longè conſtitutus Loth, quomodo diuinæ ſententiæ exequutionem impedire poterat, quòd dicere erat neceſſe. *Feſtina: quia non potero facere quicquàm, donec ingrediaris illuc?* huius rei rationem ſubiungit ſcriptura, cùm ait: *Igitur pluit Dominus ſuper Sodomam, et Gomorrham ſulphur, & ignē: & ſubuertit Ciuitates has, & omnem circà regionem, vniuerſos habitatores Vrbium, & cuncta virentia.* Quia ergò non multum à Ciuitate diſtabat Loth, dictum eſt ei: *Feſtina: quia non potero facere quicquam.*

Chryſoſt.

Aliam tamen ex Chryſoſtomo elicio rationem, & eſt iſta; quia vmbra tantū iuſti, diuinam quodammodo cohibebat iram: ideò dictum eſt ei: *Feſtina, &c.* Quod, vt faciliùs percipias, cogita, quòd etſi Loth eſſet egreſſus è Ciuitate, ab ea tamen longè non erat, vbi cùm conſiſteret, & verba multa cum Angelo haberet, *Sol egreſſus eſt ſuper terrā,* ſacra ait pagina; iuſtumq; percutiens, longa corporis ſui vmbra ex induſtria (ſi fas eſt dicere) Ciuitatem tangere faciebat, quod fortè videns Angelus dicere cœpit: Quid facis? quid expectas? cur non ambulas? cur nō progrederis Loth? An fortè ideò ſiſtis, & ſermonem ideò in longum trahis, quia ſcis, quòd quandiù in Ciuitate, tua eſt vmbra, tandiù Deus caſtigare quodammodò non valet? An diuinæ vis reſiſtere voluntati? quod ſi nequis; feſtina: vt etiam iuſti vmbra à Ciuitate elongata citò eā, vt mihi iniūctū eſt deſtruere poſſim: huic meę cogitationi annuit Chryſoſt. ho. 43. in Gen. Cùm in Angeli perſona ſic ait: *Expecto donec illuc peruenias; & tunc eis infligam pœnam.* Rationem autèm cur expectare voluerit, ſubiungit idem his verbis: *Circa Solis ortum venit in Ciuitatem, & ſtatim cum ipſe eſſet intrà Ciuitatem, illi pœnam accipiebant,* ac ſi diceret: elongato iuſto, diſparente Loth vmbra, ſtatim fulgura, ſtatim tonitrua audiri cœperunt; ſtatim iuſta Dei ſuper iniquos ſe effudit ira.

Chryſoſt.

Loth vmbra Ciuitatem protegebat.

Propter iuſtos Deus gratias ſuper impios fundit.

5 Sed nunquid propter iuſtos tantùm diuina cohibetur indignatio? nequaquàm certè; nàm propter ipſos, iuges etiam ſuper iniquos gratiarū mittuntur imbres, Ægyptius, qui Sanctum adoleſcentem Ioſephum emit, dicere poteſt hoc: cuius Tellus tàm vberes fructus protulit, tot fœtus armenta, cui (vnico, vt dicam verbo) fœliciter nimis ſuccedebant omnia. Sed vndè fœlicitas tanta? vndè tot bona? Quare affluentia tanta bonorum ſuper Ægyptij domum plueret Deus, ſacra enarrat pagina. Geneſ. 39. cùm dicit. *Benedixit Dominus domum Ægyptij propter Ioſeph, & multiplicauit tàm in ædibus, quàm in agris cunctam eius ſubſtantiam.* Non propter Ægyptij virtutem, nec propter Domini meritū; ſed propter iuſti famuli ſanctitatem; propter Ioſephi cōſortium, tot gratiarum imbres deſcendere fecit Deus ſuper Ægyptij domum. *Benedixit Dominus domum Ægyptij propter Ioſeph.* Pereximie rem tetigit iſtam Carthuſianus ibidem art. 88. *Benedixit Deus, ideſt ipſi Ægyptio, & omnibus pertinentibus ad domum ipſius in temporalibus, dando, conſeruando, & multiplicando ea, Ægyptio propter Ioſeph, ſicut benedixit domui Laban propter Iacob.* Audiſti nunc tàm largæ benedictionis originem? quia in Ægyptij domo, iuſtus vnus erat: quia inter

Geneſ. c. 39.

Carthuſ.

Ioſeph Domino ſuo admodum vtilis.

tot

tot peccatores vnus Sanctus aderat, & ob id ſuper omnes gratiarum deſcendunt effluentiæ. Meritò proprio fateatur ore Saluator, quòd pluat ſuper iuſtos, & iniuſtos.

6 Nec ſolus iſte Ægyptius ex Ioſephi conſortio vtilitatem expertus eſt talem, qualem modò diximus, ſed Ægyptus tota bonis redundauit multis quamdiù ſecum habuit Ioſephum: nàm tunc inter aliorũ egeſtates Ægypti clarebat abundantia, inter macritudines pinguedo, inter famis pericula, ſola tunc epulabatur Ægyptus; & dum copijs multis affluerét, quàm vtile eſſet Ioſephi conſortium declarabat: quod ſilere non potuit Pharao; immò Præconis voce prædicari voluit, quando Ioſephum, vt ait ſacer textus. Ge-

*Geneſ. c.41*

neſ. 41. *Fecit eum aſcendere ſuper Currum ſuum, clamante Præcone, vt omnes coràm eo genuflecterent, vertitquè nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca, Saluatorem mundi.* Ac ſi diceret: manifeſtetur omnibus, prædicetur cunctis, nullum prorſùs lateat beneficium hoc ſingulare, abundantiam hanc maximam ex Ioſephi nobis prouenire conſortio: Qua-

*Ægypto vtilis.*

propter non Pharaonis ſeruus, ſed mũdi Saluator vocetur. Carthuſianus ibi-

*Carthuſian.*

dem. art. 91. *Quia per ſuam interpretationem, atquè conſilium liberauit iàm, quaſi mundum à futuræ famis periculo.*

7 Hoc forſitàn de quo modo egimus, impius cogitabat Epulo, quando cùm Abraham ſermonem habens, ſic

*Luc. c. 16.*

ait: *Pater Abraham mitte Lazarum, qui intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. Quam petitionem quotiès lego, non poſſum non dicere: vtinàm mihi cum tali ſceleſto vnicum habere ſermonem liceret; vt ſciſcitarer, quæ eius fuerit mens, quando ad ſe Lazarum mitti poſtulabat! ſi refrigerium petebat, ſanè dicere poterat: Pater Abraham, aliquem dæmonem ex circumſtantibus voca, eiquè iniunge, vt guttam aquæ afferat, & refrigeret linguam meam, quòd ſi crudeles contra ſe experiebatur hos, ſicut contra Lazarum extiterat ipſe; dicere ſaltèm poterat: Pater Abraham guttam tantùm aquæ ad meę linguæ refrigerium mitte, ſtilla quæſo, vt linguæ ardor aliqualitèr extinguatur, quia crucior in hac flamma: quæ ſi dicere ſufficiebat, ad quid Lazari poſtulat miſſionem? Cui difficultati ſolutionem, ſi mihi adducere liceret, ſinè dubio dicerem, quòd La-

*Cur in pœnis Epulo Lazarum ſecum habere cupiebat.*

zarum magis, quàm aquam petebat Epulo, quem vt ſecum haberet, aquæ guttam poſtulabat; noſcebat fortaſsè crudelis iſte, quòd iuſtorum ſocietas peccatoribus non parùm vtilis eſſet; dũ propter ipſos ſuper impios etiã bonorum imbres deſcẽdere ſoleãt: ideò forſitàn intrà ſe dicebat; ſi tãti emolumenti peccatoribus eſt ſanctorum ſocietas, quis ſcit, ſi fortè etiam in Inferno conſtitutis, vnius iuſti aduentus prodeſſe poſſit, ac Lazari deſcenſus proficere: quare, vt experiatur, non me ad Lazarũ, ſed ad me Lazarũ mitti poſtulabo. Quod meũ cogitatum aliqualitèr cõfirmat Grego-

*Gregorius.*

rius, quùm ait. *Ab extremo digiti, ſe tangi deſiderat, quia æternis ſupplicijs datus, optat operatione iuſtorum, vel vltima participare:* hæc ipſe. Sed heù miſer, dicere

*Vel ipſi dãnati iuſtorũ optant conſortium.*

cogor, erras certè, & non parum! pœnarum hic locus eſt, non refrigerij; ad te Lazarus ampliùs venire nõ poteſt; iuxtà tuas fores vlteriùs manere non valet; Chaos magnum firmatum eſt inter te, & ipſum, vt pro te miſericordię ianuam ampliùs apetiri non ſperes.

8 Optimus tandèm eſt pro re hac, de qua loquimur, locus ille Matt. 10.

*Matt. c. 10.*

*Quicumquè non receperint vos, nequè audierint ſermones veſtros: exeuntes forâs de domo, excutite puluerẽ de pedibus veſtris.* Vbi Sanctus Hilarius quęrit, per pulueris excuſſionem, quid Dominus ſignificare voluerit, dicens: *Excutite puluerem.* Si ſufficiebat dicere: exite; diſcedite; relinquite illos: cur addere voluit: *Excutite puluerem pedum veſtrorum*? At quid diceret, benè nouit ille, qui iuſtos tanti facit, quòd non ſolùm propter eos, ſed quandoquè propter eorum veſtigia (vt ità dicam) in puluere impreſſa peccatoribus non modica beneficia conferre ſolet: nàm, vt peccatores diuinam non poſſent effugere iuſtitiam, nec expectare pietatem; pedum puluerem excuti iuſsit: de medio eorum, ac ſi diceret: delete veſtra veſtigia, & illorum à vobis excutite puluerem, vt nulla prorſùs vobiſcum manente ſocietate, indigni pietate, immò omni pœna appareant di-

*Et veſtigia iuſtorum impiis proſunt.*

gni: Vndè immediatè ſubdidit. *Amen dico vobis: Tolerabiliùs erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die Iudicij, quàm illi Ciuitati*. Manifeſtiùs, quaſi diceret: excuſſo puluere, de eorum medio, veſtris iàm deletis veſtigijs, abhominabiles magis, quàm Sodoma remanebunt, omni pœna, omniquè flagello digni. Pręſtat nunc præfatum audire Hilarium luculentèr dicentem. *Exiſtenti enim in loco, cum loco videtur eſſe communio; totum ergo, quod eſt illius domus, excuſſo puluere pedum relinquitur, nihilquè ſanitatis de inſiſtentium Apoſtolorum veſtigijs mutuetur*. Cuius vltima, quęſo, nota verba: *Nihilquè ſanitatis de inſiſtentium Apoſtolorum veſtigiji mutuetur*. Et meæ non parùm applaudebis opinioni; quòd vmbræ, quòd imagines, quòd veſtigia Iuſtorum, non tantùm ipſi, peccatoribus proſint non parùm.

*Hilarius.*

Pedum puluis quare de pedibus excutiendus.

## Eſtote ergo vos perfecti, ſicut Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt. Matth. 5.

### §. IV.

*Virtutum omnium culmen, eſt inimicorum dilectio.*

*Philoſoph.*

1 SI finis iuxtà Philoſophi mentem, rationem optimi ſortiri ſolet: quid mirum ſi ille, qui ora ſolebat aperire Prophetarum, quando os ſuum aperuit, ac mũdum docuit, poſt caſtitatem, poſt ſpiritus paupertatem, cæteraſquè poſt beatitudines, & vnico vt dicam verbo; poſt multas in hoc quinto Matt. capite recenſitas virtutes: ſic cum inimicorum amore concludere voluerit dicendo: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt*. Quia ſi finis, optimi rationem habet; ità inter cunctas virtutes inimicorum dilectio, omnium optima eſt cenſenda: Qua fortaſsè de cauſa, nec dicere ſimplicitèr voluit: *Eſtote perfecti*; ſed addidit: *ergo*: quia ſi ſyllogiſticus diſcurſus, vltrà concluſioné progredi minimè poteſt; ſic inimicorum amorem virtutum omnium concluſionem oſtendere volens; ſimplicitèr dicere noluit: *Eſtote perfecti*; ſed addidit: *ergo*: *Eſtote ergo perfecti*. Ac ſi diceret: Si Syllogiſticus diſcurſus concluſionem pro termino habet, quem præteriri nullatenùs poteſt; ſic virtutum ſtructura, vltrà inimicorum dilectionem, erigi, minimè poteſt. Ad cuius rei confirmationem vtor Auguſtino ſer. 59. De tempore: *Perfectio namquè miſericordiæ, qua plurimum animæ laboranti, conſulitur, vltrà dilectionem inimicorum porrigi non poteſt: ideoquè ſic cõcluditur: Eſtote ergò perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*. Et Chryſoſtomo in Catena citato ſuper eadem verba; de hac virtutum ſtructura loquente: *Vide autem, quot gradus aſcendit, & qualitèr nos in ipſum virtutis verticem ſtatuit, dicens: Eſtote ergò perfecti*. Quod etiam naturali lumine aliqualitèr agnoſcens Demoſthenes, ſic Alexandro dicere ſolebat: *Nihil habes Rex, vel fortuna tua maiùs, quàm vt poſſis, vel natura tua meliùs, quàm ut uelis ſeruare plurimos: nulla enim de uirtutibus generoſior miſericordia, nec admirabilior clementia, nec per aliud proprior Deo accedere potes, quam ut ſalutem conferas hominibus, uel dando, ſi eguerint, uel parcendo, ſi deliquerint, uel indulgendo, ſi ſupplicauerint*. Et Tullius lib. 1. de officijs. *Nihil laudabilius, nihil magno, & præclaro uiro dignius placabilitate, & Clementia*. Et tandèm Seneca lib. 1. De Clementia ad Neronem, ſic ait: *Magni certè animi eſt, placidum eſſe, & tranquillum, & iniurias, atquè oppreſſiones ſemper deſpicere*. Qua de re, ſi ſic magnificè loquuti fuerunt gentiles; audiamus ſcripturas, & ſuprà cunctas virtutes, quàm inimicorum emineat amor videbimus.

*Matth. c. 5.*

*Auguſt.*

Inimicorum dilectio virtutum concluſio.

*Chryſoſt.*

*Demoſthen.*

*Tullius Cicero.*

*Seneca:*

2 Quoties inimicorum dilectioné conſidero, non poſſum me continere, quin dicam, quòd in nobiliſſima virtutum omnium ſtructura, ſuper cæteras, ſic ipſa emineat, vt iure à Chryſoſtomo, omnium culmen, ſit appellata. *Vidiſti quomodo in ſupremum culmen duxit eum, qui hanc operari ualet uirtutem*: ſic ipſe hom. 4. in cap. Geneſ. 1. Immò virtutũ omnium complementum inimicorum amorem appellare, indignum certè nõ iudico; de Saluatore morti propinquo, dicente Ioanne: *Poſtea ſciens Ieſus, quia*

*Chryſoſt.*

Inimicorum amor virtutũ culmen, & complementum.

*omnia*

Ioan. c. 19. *omnia conſũmata ſunt*. cap. 19. Quæ verba, & ſi D. Bonauẽtura de conſũmatione ſcripturarum intelligat, quùm ait: Bonauent. *Sciens, quia omnia conſummata ſunt; quantum ad ea, quæ ſunt ſcripta de filio hominis:* Quia tamen Euangeliſta ſubdit: *Vt conſummaretur ſcriptura, dixit: Sitio*: De ſcriptutarum conſummatione non fuiſſe loquutum oſtendit, cùm alia tunc ſcriptura conſummanda remaneret: & per conſequens: aliud & nobis philoſophandum reliquit, dùm non ſimplicitèr dicere voluit; *Sciens Ieſus*: ſed: *Poſtea, ſciens Ieſus, quia omnia conſummata ſunt*. ad quod videlicèt illud, *poſtea*, referatur: Et relictis, pro nunc, multorum Patrum expoſitionibus; vna mihi ad præſens inſtitutum Brugenſis ſatisfacit opinio, dicentis: quòd facilè illud, *poſtea*, ad cõſummationem omnium refertur, vt ſit ſenſus: conſummatis omnibus, ſciens, quia iàm omnia eſſent completa, vt cõſummaretur ſcriptura, dixit: *ſitio*: in qua expoſitione controuerti poſſet, & non immeritò: Quæ ſint iſta omnia, iàm cõſummata, ad quæ illud, *Poſtea*, refertur? Cui difficultati reſpõdit idem Brugenſis, quòd ad eximiam virtutum omniũ oſtenſionem referri debet. Vlteriùs tamen ſi quæratur: Quandò talis fuerit facta, oſtenſio? In inimicorum dilectione; quàndo pro Crucifixoribus orauit, virtutum omnium oſtendiſſe conſummationem, & complementum: reſpondet ipſe ſuper c. 23. Lucæ his verbis: Brugenſis. *Ieſus autem. Intereà, dum crucifigeretur, aut potiùs crucifixione peracta; eum ſtatueretur ſublimis, dixit: dimitte hanc iniuriam*. Et ſuper cap. 19. Ioan. id ipſum reſpiciens dicit: *Poſtea, facilè tribus horis poſt, ſciens, quia omnia conſummata ſunt*. &c. Perindè ac ſi manifeſtiùs diceret: poſt quàm inimicorum eximium hunc oſtẽdit amorem, pro crucifixoribus poſtquam orauit, vlteriorẽm, maioremquè ſciens oſtendere non poſſe; hominibus virtutem, omnes fatetur conſummatas. Cyprian. Vndè D. Cyprianus. De bono patientię: ſummam Chriſti Domini in Cruce patientiam conſiderans; ſic ait: *Vſquè ad finem perſeuerantèr, ac iugiter tolerantia omnia, ut conſummetur in Chriſto plena, & perfecta patientia:* cuius ſi notabis verba illa: *ut conſummetur in Chriſto plena, & perfecta patientia:* videbis, quòd patientia, inimicorumquè amor, virtutum omnium conſummatio, & complementum iure cenſeri poſſit, & debeat.

Chriſtus pro crucifixoribus orãdo, omnes virtutes ſe cõſummaſſe aſſerit.

3 Hinc non immeritò quærit D. Bonauentura. cur inter omnes Euangeliſtas, tantùm D. Lucas Dominum pro crucifixoribus oraſſe deſcribat, cũ dicit: *Ibi crucifixerunt eum; Ieſus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*. cap. 23. Luc. c. 23. Cui difficultati facilè ipſemet, qui difficultatem mouet, iuxtà mentem Venerabilis Bedæ ſatiſfacit dicens: Beda. Quia inter omnes Euangeliſtas de Chriſti Sacerdotio, ſolus Lucas locutus fuerat, ſolus ipſe eum pro crucifixoribus oraſſe deſcribere debebat. Sed Bone Deus! inter inimicum, & Sacerdotem; inter ſacrificium, & dilectionem; quæ connexio? Quòd ideò non alius, quàm Lucas, qui Chriſti ſacerdotium deſcripſerat, inimicorum amorem deſcribere debebat: ſed magna procul dubio (ait D. Bonauentura) connexio: quia ſi ſacerdos non vulgarem, ſed ſummam oſtendere debet virtutem, cùm in alio hæc non conſiſtat, niſi in inimicorum amore; ideò ab hoc ſeiungi Sacerdos non debet, ſi ſe perfectum (vt fas eſt) oſtendere cupit, & quærit. Do tibi ipſius Bonauenturæ verba, Bonauent. quæ ſunt hęc: *Propter hoc Lucas ſolus, qui ſpecialitèr agit de Chriſti ſacerdotio hanc orationem deſcribit, & narrat: Vndè Beda: Quia Lucas Sacerdotium Chriſti deſcribere diſpoſuit, rectè Dominus apud eum pro perſecutoribus iure ſacerdotis intercedit*, & paulò infrà: *et dedit exemplum in hoc omnibus Pontificibus, et maximè perfectis orare pro perſequentibus*. Nunquàm verum ſe oſtendet ſacerdotem ſacerdos, nunquàm perfectum in virtute, & in perfectione nunquàm conſũmatum, ſi complementum hoc virtutis, pro inimicis orando, non oſtenderit.

Sacerdotis munus eſt pro perſequentibus orare.

4 Quam etiam veritatem, quòd ſine inimicorum amore, verum, perfectumquè Sacerdotem ſe nemo declarare poſſit, etiàm obſeruauit D. Chryſoſtomus, qui verba conſiderans, pro themate aſſumpta: *Eſtote ergò vos perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*: Miratur non parùm; cur ſimplicitèr dicere noluit Saluator: Eſtote ergò perfecti, ſed addidit: *vos: Eſtote ergò vos perfecti*: ſi communis erat ſermo, ſi cum om-

nibus loquebatur fidelibus, ſi cunctis inimicorum mandabatur dilectio: addere ad quid voluit, *vos? Eſtote ergò vos perfecti.* An fortè, quia ad aliquos, præcipuè iſte diregebatur ſermo? Ità ſanè dicit Chryſoſtomus: quià omnibus quidèm generalitèr inimicorum præcipiebatur dilectio, ſpecialitèr tamèn Apoſtolis iſta mandabatur perfectio. Cur autem iſtis pręcipuę talis iniungeretur dilectio; rationem ipſe reddit Chryſoſtomus, quùm dicit: quia Apoſtoli erãt, quia ſupremi Præceptoris Diſcipuli, quia primi nouæ legis Paſtores, ſacerdoteſquè erant conſtituendi; ideò maiorem tenebantur perfectionem oſtendere: & quia hanc alitèr declarare minimè poterant, niſi per inimicorum amorem; propterea eis præcipuè hęc mandatur dilectio; vt ſic vltimum perfectionis complementum oſtendere poſſent, & ſe cæteris, ſicut dignitate maiores, ſic virtute præſtantiores oſtẽderent. Elegantèr, quod dixi explicat pręfatus Chryſoſtomus de Compunctione cordis lib. 2. quùm ait: *Vides ergò, quia volens diſcipulos ſuos Chriſtus præſtantiores eſſe cæteris hominibus; idcircò hæc eos facere docuit, dicens: Eſtote ergo vos perfecti.*

*Iniurias cõdonare virtutum concluſio eſt.*

*Chryſoſt.*

*Inimicorum dilectio ſumma pfectio.*

5 Facilè nunc colligo, quo præcipuo tempore Aquilę pullos ſuos ad volandum prouocanti comparari iure poſſet Saluator, dicente Scripturâ: *Sicut Aquila prouocans pullos ſuos ad volandũ, & ſuper ipſos volitans.* Deut. 32. Et licèt ad ſurſum volandum verbis prouocauerit ſemper, & factis; vt cùm orandi modum docuit, dicens: *Cum oraueritis, dicite: Pater noſter, qui es in Cælis.* Matt. 6. cum ſurſùm theſaurizandum pręcepit: *theſaurizate vobis theſauros in Cælo.* Matt. 6. Et tandèm ſuaſit aſcenſum; cùm ieiunium, miſericordiam, & pietatem mandauit: dicente Chryſologo ſer. 8. de ieiunio, & Eleemoſina. *Miſericordia, et pietas, ieiuniũ ſunt alæ, per quas tollitur, & portatur ad Cælum, ſine quibus iacet, & volutatur in terra.* Sublimiorem tamèn quandoq; ſuaſit aſcenſum, ait Incertus ſuper cap. Matt. 18. tunc videlicèt cùm inimicos amare docuit, cùm perſequẽtium dilectionem præcepit, cùm malefacientibus benefaciẽdum iniunxit, dicendo: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderũt vos: orate pro perſequẽtibus, & calũniantibus vos.* Tunc Aquilæ cõparari poterat; tunc vt Aquila grãdis terrena prorſùs faſtidiens ad vulgares virtutes nos haùd prouocauit, ſed ad ſummum perfectionis verticem volare nos docuit. Incertus loco citato: *Ità fratres, Dominus Ieſus Chriſtus, factus eſt nobis, ſicut Aquila prouocans ad uolandum pullos ſuos, uſq. ad eam perfectionem, qua diliguntur inimici, & ignoſcitur debitoribus, prouocauit.* Magnus certè volatus, quo ad ſummum virtutum omnium peruenitur culmen, ſuprà quod ampliùs volari minimè poteſt; cùm hac virtute eminentior non inueniatur alia: dicatur, & meritò. *Sicut Aquila prouocans pullos ſuos ad uolandum, & ſuper ipſos uolitans.*

*Deut. c. 32.*

*Matth. c. 6.*

*Matth. ibid.*

*Chryſol.*

*Chriſtus Aquilę comparatur, & cur?*

*Incertus.*

*Ad ſummũ puocamur, dum ad inimicorum dilectionem erigimur.*

6 Altè ſic volat, qui inimicum diligit, ſic ſuprà cunctas virtutes ſe erigit, qui offendentem beneficiis proſequitur, vt virtute diuina, non humana decoratus appareat, cũ diuina prorſùs ſit virtus beneficijs malefacientẽ afficere: Mitiſſimus dicat hoc Dauid ille, q poſt tot Saulis perſecutiones, poſtremò pacifica Regni ſuſcepta poſſeſſione, ſic ait: *Numquid ſupereſt aliquis de domo Saul, ut faciam cum illo miſericordiam Dei?* 2. Reg. cap. 9. Quæ conſiderans Gomezius verba, ait: Si homo erat Dauid, diuinam cur pollicebatur miſericordiam, non humanam? An hominem ſe fortaſſis nõ intelligebat, qui Dei virtute ſe inſigniri putabat, nõ ſimplicitèr dicens: vt faciã cum illo miſericordiam; ſed miſericordiam Dei? At quid diceret, non ignorabat, qui talem pollicebatur miſericordiam, ait Gomezius: nàm hominem quidèm ſe agnoſcebat, & diuinam iure non humanam, quam erat facturus miſericordiam appellabat; ſciebat vtporè beneficijs perſequentes afficere, diuinũ non humanum eſſe opus: quod etiam Demoſthenes Alexandro dixit hiſce verbis: *Cum enim uincamur à dijs in omni munere, ſola clementia eſt, quæ nobis Deos reddit æquales.* Et Theodoſius quoquè apud Claudianum Honorio filio ſalubritèr in hunc modum præcepit:

*2. Reg. c. 9.*

*Demoſthen.*

*Clementia ſola Deo homines æquat.*

*Claudian.*

*Sis pius in primis, nàm cum uincamur in omni*
*Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.*

Et quia Saulis domui, ſibi ſemper infeſtiſſimę, eiuſquè familiaribus mortem ſibi ſemper molientibus, benefacere diſponebat; ideò miſericordiam hanc non humanam, ſed diuinam iure vocari debere exiſtimauit, cùm ait *Nũquid ſupereſt aliquis de domo Saul, ut faciã eum illo miſericordiam Dei?* Acutè Gomezius ſuper Pſal. 50. verſ. 1. rem confirmauit. *Miſericordia* (dũ inquit) *hominis eſt tàm benefacientem, quàm non malefacientem, beneficijs proſequi: Miſericordia uerò Dei propria, & peculiaris eſt, ipſummet malefacientem beneficijs afficere, quamobrem, qui inimicum beneficijs proſequitur miſericordiam* Dei *proculdubio operatur: quòd apertè ſignificauit ipſe Dauid, cùm ſuſcepta iam Regni pacifica poſſeſſione, dixit: Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, ut faciã cùm illo miſericordiam Dei?* Si ergò inimicos, non ergò amicos; ſi circà offendentes, non circà benefaciẽtes, Dauidis miſericordia ſe extendebat; meritò nõ humana; ſed diuina erat cenſenda; cùm perſequentes beneficijs afficere, diuinũ prorſùs, non humanum ſit opus.

Inimicũ beneficijs proſequi diuinũ eſt.

7 Mirum nunc non eſt, ſi de manſuetudine tantùm, & pietate glorientur Sancti, ac ſi alia virtute præditi non eſſent: Sic Dauid virtutibus, qui florebat innumeris, de ſola gloriatur manſuetudine, cùm dicit: *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Pſal. 131. & tamèn humilitatem non modicam in corde conſeruabat: Canem ſe mortuũ, pulicẽq; vocando: *Quem perſequeris, Rex Iſrael? Canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum.* 1. Reg. cap. 24. Abſtinentia non parua corpus macerabat, proprio dicente ore: *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio: & caro mea immutata eſt propter oleum.* Pſal. 108. Virtutibus (ne in longum de re hac ſermonem traham) florebat talibus, vt de eo, vnico, vt concluderet verbo, dixit Samuel: *Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxtà cor ſuũ.* 1. Reg. 13. Ipſe tamen inimicorum dilectionem, virtutis complementum, vt poſteà Iacobus ait: *Patientia opus perfectum habet, vt ſitis perfecti, & integri in nullo deficientes.* cap. 5. agnoſcens: immò (vt altiùs loquar) odientium beneuolentiam, diuinam prorsùs, non humanam eſſe virtutem intelligens; de hac ſola gloriabatur dicens: *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.*

Pſal. 131.

Dauid de ſola pietate gloriatur.

1. Reg. c. 24

Pſal. 108.

1. Reg. c. 13

Iacobus c. 5

Vndè D. Cyprianus de bono patientiæ ſic ait: *Patientia Dei res eſt, & quiſquis lenis, & patiens, & mitis eſt, Dei Patris imitator eſt; cùm in Euangelio ſuo Dominus præcepta in ſalutem daret, & diuina monita depromens, ad profectum diſcipulos erudiret, poſuit, & dixit: Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros.* Quid igitur mirum, ſi de hac virtute glorietur Dauid, non de alia? ſi hæc totius perfectionis eſt complemẽtum; immò ſi Dei res eſt, non hominis. Cyprian. Patiẽtia Dei res eſt.

8 Quid de Sanctiſſimo Moyſe dicam? qui virtutibus ſic ſemper clarus extitit, vt quandoq; (ſi fas eſt dicere) etiam terreſtris Deus, vocatus reperiatur. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Exod. 7. Et cum omnibus virtutibus eſſet præditus, de nulla tamen, niſi de ſola clementia, & pietate laudatum reperio. *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra.* Quam Moyſi Chriſoſtomus conſiderans laudem, ſic ait: reliquæ vbi ſunt Moyſi virtutes? de alijs cur non laudatur? An præter hanc, alia fortè præditus non erat, quòd de Manſuetudine tantũ laudatur, & pietate? Minimè certè. Attamen non ſine cauſa dicit ipſe, prætermiſſis reliquis, hæc vna in eo laudatur; quia ſi virtutum virtus eſt inimicorum dilectio; immò ſi prorſùs diuinum, non humanum eſt opus beneficijs perſequentes afficere; de ſola commendetur manſuetudine, pietate, & clementia Moyſes; vt compendiosè de ipſo dici quicquid poſſet, dicatur: Audi ipſum Chryſoſtomum hom. 34. in Geneſ. dicentem: *Et vt diſcas: quantum manſuetudinis, & lenitatis ſit robur, & quòd ſola hæc virtus, ſe colentem, diligenter ineffabilibus laudibus dignum reddere; audi Beatum Moyſen hinc potiſſimum prædicari, & ex hac ei coronam plecti: Et Moyſes, inquit, erat mitiſſimus omnium hominum, qui ſuper terram: vidiſti encomij magnitudinem?*

Exod. c. 7.

Num. c. 12.

Chryſoſt. Manſuetudo virtus ineffabilis.

9 Aſt quid de Sanctis dico, cum ipſe Sanctus Sanctorum Chriſtus Dominus nunquàm ſic de alia gloriaretur virtute, quàm de pietate, miſericordia, & clementia? Vndè de ſe dicere ſic ſolebat: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Matth. 11. Ob quæ verba ſtupens Bernardus, ad eum non potuit, non dicere:

Matt. c. 11. Mãſuetudo admodum cõmendabilis eſt.

cere : ſi tu ille es, ò Domine, in quo virtutum omnium continentur theſauri! Si tu ille es, qui virtutum Dominus verè es appellatus, dicente Dauid. *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ!* Pſal. 23. Cur tantùm de pietate gloriaris, dicēs: *Diſcite à me, quia mitis ſum?* An quia virtutum virtutem, Deiq; propriam oſtendere cupis manſuetudinem, & pietatem? Non ob aliud certè (dicit S. prefatus Epiſt. 42.) niſi, vt virtutis iſtius eminentiam oſtendas; ſic loqueris. *De ſumma ſuæ doctrinæ, ſuarumq; virtutum gloriatus eſt: diſcite, ait, à me, non quòd ſobrius, aut caſtus, aut prudens, aut aliquid eiuſmodi: ſed, quia mitis ſum. A me, inquit, diſcite, non doctrinam Patriarcharum, non Prophetarum; ſed quia mitis ſum.* A quo Magiſtro diſcamus & nos diuinam hāc ſectari virtutem, quæ ſanè eſt illa noua doctrina, nouumq; mandatum, de quo ipſe Saluator per Ioannem c. 13. dicere ſolebat. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Nouum equidèm mandatum, quod nō tyronibus, ſed veteranis, non incipientibus, ſed perfectis ad maius perfectionis augmētum dari debebat: nil aliter Bernardus ſer. 19. contra eos, qui vnitatem fraternam impugnant. *Tandèm ad ſuperexcellentiorem viam nos mittit, haud aliam profectò illam, quam charitatem diffiniens: deniq; quidnā huic comparandum putamus, quæ ipſi præfertur martyrio, ac fidei transferenti montes, hoc igitur eſt, quod dico.* Hæc eſt illa virtus, quę non tantum adiectiuè bona, ſed (ſi fas eſt dicere) ſubſtantiuè, & ſimpliciter vocari poteſt talis, iuxtà illud Dauidis Pſal. 36. *Declina à malo, & fac bonum.* Per quod bonum, inimicorum dilectio intelligi debet, cùm virtutum ſit culmen. Quod quidèm meum non eſt, ſed Chryſoſtomi dicentis: *Dimidium enim bonum eſt, hominem diſcedere à malo. & non ſequi bonum: perfectum eſt autem, vt non ſolum fugiat malum, ſed etiam faciat bonum. Ideò dicit perfecti eſtote, vt & amicos diligatis, propter peccatū vitandum, & inimicos propter iuſtitiam.* hom. 13. ex cap. Matth. 5. Hæc deniq; inimicos, ſcilicet, amare, & malefacientibus benefacere, ſunt illa chariſmata meliora, quæ iuxtà Pauli dictum, ęmulari debemus. *Æmulamini chariſmata meliora,* 1. Corinth. 12 Vndè Chryſoſtomus hom. 3. ex cap. 1. & 2. ad Hebræos: *Ecce tibi:* (dicere conſueuit) *Chariſma, quod cūctis eminet, æmulare illud, hoc quippè Chariſma, maius eſt, quod mortuos ſuſcitare: multò meliùs, quàm reliqua dona virtutum.* Audiamus itaquè hunc Præceptorem, memoriæ mandemus iſtam doctrinam, æmulemus talia chariſmata, vt nedùm tanti Magiſtri dicamur diſcipuli, ſed filij Dei nominemur, & ſimus.

*Pſal. 23.*

*Bernard.*

Manſuetudo virtus virtutum.

*Ioan. c. 13.*

*Bernard.*

Mandatum nouum à Chriſto traditū inimicorum dilectio.

*Pſal. 36.*

*Chryſoſt.*

*1. Corinth. c. 12.*

*Chryſoſt.*

Chariſmata meliora perſequentibus benefacere.

DOMI-

# DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſurijt. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Matth. 4.

## §. I.

*Propenſiones, moreſquè Parentum in filijs plerumq; reperiri ſolent.*

1 Diuinitatis Chriſti argumēta, quòd requirat tētator, cùm de ea admodum dubius huc vſq; fuerit, quòd accedat prẹſentia, gratiæ amiſſione, qui antè longè receſſerat, quòd in panes lapides ſempiternam, qui patitur inediā, mutari depoſcat, non miror: quòd autē non dicat: fac de lapidibus iſtis, panem; ſed improprio hoc vtatur loquēdi modo: *Dic, vt lapides iſti panes fiant:* non poſ-
Gorranus. ſem nō mirari; niſi Nicolaum de Gorra legiſſem, qui ait. quòd vt à Chriſto, Diuinitatis ſuæ veritatem extorqueret Diabolus, tali vſus eſt loquendi modo: *Dic, vt lapides iſti panes fiant:* Quæ Gorrani expoſitio minorem mihi nō ingereret difficultatem, quàm improprius tētatoris loquendi modus; niſi filios genitores imitari, eorumq; ſequi veſtigia, optimè noſcerem: quod de Iudæis pa-
Ieremias c. 30. trum mores ſectantibus, dixit Ieremias cap. 30. his verbis: *Vuas acerbas comederunt Patres, & filiorum dentes obſtupuerūt.*
Ezech. c. 16 Et Ezechiel. cap. 16. *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan, Pater tuus Amorrhæus, Mater tua Cethæa.* Et Fabius
Quintilian. Quintilianus lib. 5. de Argumentis & ipſe ſcripſit in hunc modum. *Similes pa-*
Parentum propēſiones ſæpè in filijs reperiri ſolent. *rentibus, ac moribus ſuis filij plerumq; creduntur: & nōnunquàm ad honeſtè, turpiterq; viuendum, indè cauſę fluunt.* Et ſi ſacra profanis miſcere liceret; Paridem ad Helenam apud Ouidium adducere poſſumus, dicentem.

*Vix fieri, ſi ſint vires in ſemine morum,* Ouidius.
*Et Iouis, et Ledæ filia caſta poteſt.*

Et quia ſolius Dei propriū eſt, dicendo facere, vt poſt Moyſen in creationis deſcriptione Regius obſeruauit Vates:
Pſ. 148. cū ait: *Ipſe dixit, et facta ſunt: ipſa* Pſal. 148.
*mandauit, et creata ſunt.* Quod verſipellis cognoſcens tētator, ideò hoc vtitur lo-
quendi modo: *Dic, vt lapides iſti panes* Gorranus.
*fiant.* vt ſi ſemel dicendo faceret, illius agnoſceret filiū, qui ſimul cum verbo, & Spiritu Sancto omnia de nihilo dicēdo fecerat. Vndè Gorrauus, Diabolū mutationem lapidum in panes conſultantem, ſic introducit loquentem: *Dic vt ſcilicet Filius Dei, dicendo appareas.* Ex quo tentatoris dicendi modo terrenorum Genitorum, quàm exactè filij ſequantur veſtigia, quàmq; eorum, vt plu-
rimum ſectentur mores (vt Chryſoſt. Chryſoſt.
hom. 45. in cap. Matth. 23. dixit: *Quales* Quales parentes, tales filij.
*fuerint parentes, tales erunt et nati, quia ſicut arbor in fructu agnoſcitur, et fructus per arborem demonſtratur: ſic parentes cognoſcuntur in filijs, et filij per Parentes. Nonnè hoc ante Chriſtum, Propheta prædixit; Quoniam Deus in generatione iuſta eſt? Item generatio rectorum benedicetur? ergò dant teſtimonia de filijs mores Parentum*) in hoc præſenti diſcurſu videbimus.

3 Licèt ex bonis mali, ſicut ex malis boni quandoq; naſcantur filij; quod in Abraham, & Ezechia videri poteſt; Quorum primus ab impio Thare; alter verò à profaniſſimo Achaz originem trahens; ſicut paternam impietatem nullatenus ille; ſic nec Genitoris iſte imitari malitiam voluit: quòd benè notauit D. Chryſoſtomus, de vtroquè
ho. 8. in cap. Matt. 2. ſic dicēs: *Siquidèm,* Chryſoſt.

Nō ſemper filii Parentū veſtigia ſequuntur.

*& Sanctus Habraham habuit Patrem impium, neq. tamen illius hæres impietatis effectus. Et Ezechias profaniſſimi Achaz filius fuit, ſed Dei amicus eſſe promeruit.* Cū non ſit neceſſe, quòd ex improbis parētibus improbi ſemper naſcantur filij, ſicut nec ex probis probi: vt plurimùm tamen filij genitorum mores ſectantur: Vndè Ariſt. lib. 1. Polit. cap. 4. ex quorūdam ſententia ait: quòd ſicut ex hominibus, hominem; & ex Bellua, belluam; ſic ex bonis bonum generari. Et lib. 3. cap. 8. *Conſentaneum eſt ex melioribus ortos eſſe meliores*. Et in præceptis Rethoricis de cauſis ciuilibus: *Nemini eſt obſcurum, quòd qui ex bonis, clariſq; parentibus nati ſunt, eos conſentaneè fieri ſuis maioribus non diſſimiles*. Quod Euripides etiam his cecinit carminibus.

*Ariſtot.*

*Euripides.*

*Heus heus, vt illud dictant, rectè probum.*
*Patre ab improbo non poſſe naſci filium.*

4 Ad ſacras tamèn paginas oculos ſi vertemus; Sanctiſſimum, quis non videbit Ioannem, qui omni virtute præditus, humilitate nihilominùs cum delectaretur non parum, eam in ſingulis actibus demōſtrabat. Vndè cùm ab eo baptizari poſceret Saluator, ipſum ſic reſpondiſſe teſtatur Matth. cap. 3. *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Quæ Ioannis verba mente quotiès voluo, eius non miror humiliatē, ſupremi Magiſtri diſcipulus cùm ſemper extiterit, ab eoquè in ipſo materni vteri edoctus gymnaſio: De loquendi tamen modo, quod non dicat: ego debeo à te baptizari, & tu vis à me baptizari? ſed quòd dicere maluerit: *Ego debeo à te baptizari, et tu venis ad me?* obſtupeſcerem certè; niſi eadem prorſùs verba à Matre ad Virginem dicta legiſſem: nàm vt D. refert Luc. c. 1. Ad Eliſabeth cùm perueniſſet Maria: tanta viſitatione ſe non parum indignam exiſtimans illa, clamare cæpit, & dicere: *Vndè hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Et cùm filios Parentum ſequi veſtigia, ſectari mores, imitari exempla, me non lateat; non miror, quòd in aduentu Chriſti ad ſe hiſce præciſè vti voluerit verbis Ioannes: *Tu venis ad me?* cū iJſdem prorſùs vſa fuerit eius Mater, quando ait: *Vndè hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* quæ ad matrē audierat à matre, ad filiū dicere voluit filius; quia maternos mores (vt filij ſolent) ſequebatur & ipſe. Cui meæ mentis conceptioni non parum applaudit Titus Boſtrenſis in cap. primum Lucæ, quàm Eliſabeth conſiderans verba ait: *Cuiuſmodi verba ſuo poſteà tempore depromptūrus erat Ioannes, eiuſmodi ferè hoc loco depromit mater illius Eliſabeth.* Ac ſi diceret: nullus quærat, miretur nemo: cur his verbis, non alijs Ioannes vti voluerit, ſi iJſdem prorſùs vſa fuerat Eliſabeth, cùm filij Parētum ſectari ſoleant mores, ac ſequi veſtigia.

*Matth. c. 3.*

Eliſabeth Ioannis magiſtra, & quando.

*Luc. c. 1.*

*Titus Boſtrenſis.*

Iiſdem verbis quibus mater vtitur, vtitur filius.

5 Quod etiam præclarè D. notauit Ambroſius ſuper verba illa Lucæ. 1. *Fuit in diebus Herodis, Regis Iudææ, ſacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen illius Eliſabeth.* vbi ait: Præcurſoris Parentes, non immeritò tàm ſublimi exaltari præconio; quia & ſi cunctorum virtutes à Deo immediatè proueniant, bonę tamen indoles, atquè ad bonum propēſiones (ſi fas eſt dicere) vt plurimum cum ipſa communicantur natura: ideò ad filiorum laudem, laudantur Parentes, vt genitorum virtus quaſi tranſmiſſa laudetur in filijs. Optimè Ambroſius loco citato: *Docet nos ſcriptura diuina non ſolum mores in ijs, qui prædicabiles ſunt; ſed etiam Parentes oportere laudari: vt veluti tranſmiſſa immaculatæ puritatis hæreditas in ijs, quos volumus laudare, præcellat:* & ſubiungit: *Quæ enim alia intentio hoc loco S. Euangeliſtæ, niſi, vt S. Ioannes Baptiſta nobilitaretur parētibus, miraculis, moribus, munere, & paſſione?* vbi inter cęteras, immò præcipuas Ioannis laudes, Parentum ſanctitatem deſcribit; non ob aliud certè, niſi quia (dicere ſi licet) ſimul cum natura quodammodò tranſmittuntur & mores, & ſic Parentum laus in filiorum non poteſt non cedere laudem.

*Luc. c. 1.*

Ioannis Parentes cur in ſcriptura laudati?

*Ambroſ.*

Mores cum ſemine trāſmittuntur.

6 At hæc de Ioannis humiliate ſi diximus; de Nabuchodonoſor ſuperbia quid dicemus? quòd fortè paternos mores nimis ſectaretur iſte, quàm ille maternos? minimè certè: quia, ſicut Ioannes, tàm in moribus, quàm in verbis humillimæ conformabatur Matri; ſic in iJſdem iſte paternam adamuſſim imitabatur ſuperbiā: quod tunc præcipuè daclarauit, quando contrà tres Sanctos

puc-

pueros eius auream ſtatuam non adorantes feruens, fremens, minaſquè intentans, dicere non erubuit: *Quòd ſi non adoraueritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis eſt Deus, qui eripiat vos de manu mea?* Daniel. 3. Cuius vltima conſiderans verba Theodoretus: *& quis eſt Deus, qui eripiat vos de manu mea?* ſic dicit: nonnè ille, hic eſt Nabuchodonoſor, qui paulò antè, ſomnium, interpretationemquè à Daniele audiens, exclamauit, & dixit: *verè Deus veſter Deus Deorum eſt, & Dominus Regum, reuelans myſteria*: Dan. 2. Quomodò nunc diuinæ oblitus potentiæ, contrà Deum ſe erigens, ab ipſo in virtute ſuperari non poſſe exiſtimat? ſed tantæ ſuperbiæ ſe tandem aliqualem originem inueniſſe confeſſus eſt Theodoretus, & aliam non eſſe dicit; niſi quia Nabuchodonoſor à ſuperbiſſimo Sennacherib originem trahebat; cuius etiam tàm in actibus, quàm in verbis ſuperbiam hereditaſſe videbatur: vndè illa eadem prorſùs verba; immò illam eamdem blaſphemiam, quam contra Deum proferre non erubuit ille, quando Ezechiam irridens, ad obſeſſam Iudam Nuntios deſtinauit, qui dicerent: *Non vos decipiat Ezechias, nec vana perſuaſione deludat, nec credatis ei. Si enim nullus potuit Deus cunctarum gentium atquè Regnorum liberare populum ſuum de manu mea, & de manu Patrum meorum, conſequenter, nec Deus veſter poterit vos eruere de manu mea.* 2. Paralip. 32. contrà Deum depromere non timuit iſte, quandò in tres Sanctos pueros ſeuiens, ait: *Quis eſt Deus, qui poſſit vos eruere de manu mea?* Vndè Theodoretus in Daniele orat. 3. de eius ſuperbia in hunc modum ſcripſit: *Tàm citò, quem confeſſus fuerat, & Deum Deorum vocauerat, ei detraxit, ipſumquè homine imbecilliorem eſſe opinatus eſt*: tantequè dementiæ ſtatim rationẽ ſubdit: *A maioribus autem ſuis, tales illi audaces conatus: etenim Sennacherib ille, qui maximas contra Ieruſalem copias adduxerat, per Nuntios talia loquutus eſt Ezechiæ: ne te decipiat Deus tuus, in quo tu confiſus es, quia eruet Ieruſalem de manibus meis.* Ex hoc quis cæcus non uidebit, quòd ſicut maternam Ioannes, tàm in actibus, quàm in verbis ſequebatur humilitatem, ſic ſuperbus iſte Rex maiorum ſuorum hæreditando ſuperbiam, eadem prorſùs, quæ contrà Deum Sennacherib protulit, inuerecũdè nimis protulit & ipſe? De quo iure dici poteſt illud, quod de Alexandro Patris ambitionem imitante, quidam Sophiſta, vt refert Philoſtratus in Ariſtidis vita dixit: *Filius eſt Patris.* Quo prouerbio tacitè dicere volebat: Ambitioſum ſi videtis Alexandum, Quid mirum, ſi ex ambitioſo genere originem trahit? Quod de Nabuchodonoſor ſuperbia dicere non erit incongruum, quòd filius Sennacherib eſt.

Daniel. c. 3.

Daniel. c. 2.

2. Paralip. c. 32.

Theodoret.

A maioribus audaces conatus ad malum ſucceſſores hæreditant.

Philoſtrat.

7 Nunc minimè difficilis eſt illius difficultatis ſolutio; cur iniquitates patrum in filios viſitare ſoleat Deus? certum cum ſit, ob aliorum ſcelera neminem puniri, ſed tãtùm ob propria; nihilominùs ſuo Deus fatetur ore: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* Exod. 20. At Paternos mores tàm bonos, quàm malos filij (vt diximus) imitari cum ſoleant, nil mirum, quòd Patris iniquitas in filium viſitetur; non quòd ob Patris ſcelera puniatur filius, ſed propter propria, quæ non ab re paterna cenſentur: quia in Patribus prius, quàm in filijs viguerunt. Quod in Nadad Ieroboam filio ſacer obſeruauit Textus. 3. Reg. 15. quùm ait: *Nadad verò filius Ieroboam regnauit ſuper Iſrael; & fecit, quod malum eſt in conſpectu Domini, & ambulauit in vijs Patris ſui, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Iſrael.* Ergò, & Patrum, & filiorum cum ſint ſcelera, in illis, quia prius; in iſtis autem, cùm poſteà vigeant, ob propria hi, non ob illorum puniuntur delicta. Hieronymus in Catena Lippomani: *Non enim puniuntur in tertia, & quarta generatione: quia deliquerunt Patres eorum, eùm Patres potiùs, qui fuerunt peccatores puniri debuerint: ſed quia Patrum extiterunt æmulatores, & oderũt Deum, hæreditario malo.* Optimum certè dictum ad hoc, de quo agimus, illud vltimum: *Oderunt Deum hæreditario malo.*

Exod. c. 20.

Filii ob Parentum peccata puniri quomodò intelligẽdũ.

3. Reg. c. 15

Hieron. in catena Lippoman.

Malum hæreditarium quid ſit.

8 Nec in vita tantùm, bonorum, ſiuè malorum Parentum, bonos, ſiuè malos ſectari ſolent mores filij; ſed etiam in morte: immò poſt mortem (dicere ſi liceret) dicerem vtiquè, quòd oſſium oſ-

ſa ſequerentur veſtigia. Quod videre eſt in Ioſepho Iacobi filio, qui inter cætera monita, & inter alias præcepta, quæ morti propinquus fratribus relinquere voluit, vnum illud minimè prætereundum puto, quòd ſpiritu ductus prophetico, Iſraeliticum prænoſcens

Geneſ. c. 50.

diſceſſum, ſic dixit: *Poſt mortem meam viſitabit vos Deus, & aſcendere vos faciet de terra iſta ad terram, quam iurauit Abrabam, Iſaac, & Iacob, aſportate oſſa mea de loco iſto.* Geneſ. 50. Cur autem in Ægypto, vbi non mediocri habitus fuerat honore, ac vbi non paucos vitæ ſuæ ſatis libenter duxerat annos, mortuus poſtea perſiſtere noluerit? Rationem aſſignat Chriſoſtomus dicens; quod Iacobi cum eſſet filius, poſt mortem in Ægypto diù quodammodò manere nō poterat. Quod vt clarè percipias; quid morti propinquus Ioſephi dixerat Pater, percurre; & uidebis, quòd mortis ſuæ uicinam agnoſcens diem, accito Ioſepho, ne in Ægypto ſepeliretur, & precibus obtinere ſtuduit, & iuramento firmare promiſſionem voluit: ſic ex

Geneſ. c. 47

Geneſ. habetur. 47. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femore meo: et facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Ægypto: ſed dormiam cum Patribus meis, & auferas me de terra hac.* Ergo in Æpypto ſepeliri noluit Iacob; ergò aliò ſuum aſportarì corpus popoſcit? Ità ſanè. Audi nunc Chryſoſtomi dictum. quòd Ioſeph Iacobi cum eſſet filius, poſt mortem, ſua aſportari oſſa præcipere debebat; quia ſic transfunduntur propenſiones, ſic communicantur mores, vt etiam ſi fieri poſſet, filiorum oſſa genitorum (vt ità dicam) oſſium ſequerentur veſtigia. Meum certè non eſt hoc dictum, ſed Chry-

Chryſoſt.

ſoſtomi, qui hom. 67. in cap. Geneſ. 50. rem ſic confirmat. *Vide quomodò, & ille, eadem quæ Pater curat; volens, vt ſimul auferantur indè oſſa: ſimul feretis oſſa mea hinc vobiſcum.* Magnum planè Ad rem hanc, de qua agimus argumentum, cùm clarè pateat, quòd etiam poſt mortem, ſi fieri poſſet, paterna veſtigia ſequerentur filij.

Oſſium propenſiones ex parentibus transfūduntur in filios.

9 Tàm vera, quæ vſquè modo diximus ſūt, quòd nō vulgare quodāmodò miraculum cenſeri poteſt, à Patre aliquādò ſi degeneret filius. Ad cuius dicti probationem, optimus eſt locus ille num. 26. vbi infęlici Chore deſcripro interitu, de filijs eius ſacer ſic addit textus. *Et factum eſt grande miraculum, vt, Chore pereunte, filij illius non perirent.* Num. c. 26.

Quodnam grande hoc fuerit miraculum, ſecundum Gloſſam Hebraicam explicat Lyranus, quùm dicit: *In Gloſſa Hebraica ſuper Pſal. 45. dicitur; quòd, quādo terra aperuit os ſuum, & deuorauit Chore cùm multis alijs, & filij eius remanſerunt ſtantes in aere diuina virtute, quouſquè terra fuit iterum recluſa ſub pedibus eorum.* Lyranus.

Quod & ſi magnum fuerit miraculum, ſciſſa terra pendulos ſic remanſiſſe, ex Caietano tū Lorin. maius aliud colligit miraculum, & eſt: paternam malitiam, paternamquè ſeditionem quòd non ſequerentut filij: hoc grande (ait ipſe) immò maximum poterat cenſeri miraculum. Quod forsàn declarare voluit ſacer Textus cùm ait: *Et factum eſt grande miraculum, vt pereunte Chore, filij eius non perirent*, paterna cum non ſequerentur veſtigia: vndè Lorin. his verbis ex Caietano magna ex parte deſumptis, hoc grande declarauit miraculum: *Quod autem Patris exemplum ſequuti filij non fuerint, morale miraculum, phyſico illo maius, ac pluris æſtimandum, iudicari meritò poteſt, conſentaneum cum ſit, ex melioribus oriri meliores, & ex bonis bonos, teſtè Ariſtotile; cum filij parentum imitatores præſumantur.* hæc ipſe, ſuper citata ſcripturæ verba. Ex quibus clarè patet à Parentibus nonnumquam filios degenerare, non vulgare cenſendum eſſe miraculum: quod Martialem haud latuit, qui ebrioſi cuiuſdam videns filiam aquam bibentem lib. 6. epigrammaton ad Catullum, ſtupens, in hunc cecinit modum.

Lorin: ex Caietano.

Filios Parētum veſtigia non ſectari miraculum.

*Miror, quòd Baſſi filia potat aquam.* Martialis.

10 Hùc quòd de Iob obſeruauit Chryſoſtomus reduco, qui verba perpendes illa: *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* c. 1. Multis relictis difficultatibus, & præcipuè; cur inter cæteros ſanctos, vnus ipſe Iob diuino ſic laudetur ore, cū de Abrahā, de Iſaac, & de Iacob alijſquè ſimilibus ſimilia non extent pręconia? et acutè examinandum putat verbum illud: *conſideraſti*; Iob. c. 1.

ſum

cùm procul dubio dicere potuiſſet: nunquid vidiſti ſeruum meum Iob? nihilominùs non ſine magna ratione, hoc verbo precisè Diuinam Sapientiam vti voluiſſe, ait ipſe, dicendo: *conſideraſti*: quia Iobi Parentes potiùs, quàm ipſum in diaboli mentē reducere volebat Deus, taciteque dicere: nunquid conſideraſti, ò Satan, ſeruum meum Iob, ex quo genere, ex qua ſtirpe, quibus denique ex Parentibus, originem trahat? quod ſi conſideraſti, magnum quippè vidiſti miraculum; quia ex fornicatore, ſceleſtoque Eſaù cùm deſcenderet Iob, paternas fornicationes, paternaque ſcelera nullatenus eſt ſectatus, ideò conſideraſti dico: vt ipſum quodammodò nō vulgare mundi miraculum agnoſcas.

Veluti Roſa à ſpinis oritur Iob.

Satis ſit pro re hac Chryſoſtomus hom. 2. de Patientia Iob. *Iob ſucceſſionem ab Abraham habuit, per Eſaù: Oſtendit igitur ſcriptura radicem, quo fructum admireris.* tanquàm ſi diceret: conſideranda proponitur radix, vt fructus prodigioſus, velut miraculum intueatur, cùm non reſpondeat ſuo generi: & ſubdit: *Quis enim Eſau erat? fornicator, & profanus: quis erat Iob, qui à fornicatore deſcendit? hinc vide: Si deceptum eſt cor meum ſuper mulierem; Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem quidèm de virgine. Vide, ad quā diſciplinæ ſententiam, hunc virum pietatis partes vexerunt; membra, quæ à fornicatore ſucceſſionem duxerunt, maxima pudicitia claruerunt.* Concludatur ergò, quòd ſic paternos ſectantur mores, & ſequūtur veſtigia filij, quòd miraculum quodammodò cenſeri poſſit, ſi ab illis aliquando degenerant.

*Chryſoſt.*

Bonus filius à malo Patre opus conſideratione dignum.

## Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Matt. 4.

### §. II.

*Sceleſtus nullus eſt, qui proprij ſceleris ſocios habere non exoptet.*

Diabolus cur non aſcenſū, ſed deſcenſum ſuadeat.

1 Aſcenſum cur ſuadeat ille, qui diuinitatis Chriſti, de qua admodū dubius erat, argumenta venabatur, haud facilè intelligo: certum cùm ſit, quòd in grauium deſcenſu, nullum diuinitatis eluceat ſignum, nec Angelorum, quam ſubdit ſeruitutem; quùm dicit: *Scriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Rei huius indicium eſſe poterat, cùm, vt cæteros iuſtos omittam, etiàm Habacuc Angelico tranſlatus legatur miniſterio, ſacra dicente pagina, Daniel. 14. *Apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylone ſuprà lacum in impetu Spiritus ſui*: Et tamen purus homo erat iſte Propheta! Deſcenſum ergò cur potiùs, quàm aſcenſum ſuadere voluerit, dicendo: *Si filius Dei es, mitte te deorſum.* Prorſùs non intelligerem, niſi ex hac me extraxiſſet difficultate D. Maximus, qui hom. 2. in idem, dubium mouet, cum dicit: *Nunquid non veriùs dixiſſet: ſi filius Dei es, aſcēde in Cœlum, quod vtiquè ſi faceret Dominus, verè illum Dei eſſe filium comprobaret*: Soluit autem quùm ſubdit: *Deorſum, & in ima prouocat, qui optat omnes cadere, qui ſe ſentit præ cæteris cecidiſſe.* Proh nefas! quia caſum ipſe fuerat expertus nō paruum, dicēte Iſaia 14. *Quomodò cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris.* & Luc. 10. *videbam Satan, ſicut fulgur de Cœlo cadentem*: Ad ſui ſimilitudinem, cunctos deſcendere, non aſcendere, cadere, non leuari deſiderat. Diabolicum certè vitium, aliorū lætari malo, delectari caſu, exultare ruina. Verùm quia ſceleris huius peccatores expertes minimè reperio; de eis dicente Ioachino: *Semper enim mali habere conſimiles concupiſcunt.* ſic ipſe ſuper Apocal. 12. Ideò de improbis quàm ſocios habere iucundum ſit, indiſcriminatim oſtendere ſtudebo.

*Matt. c. 4.*

*Daniel. c. 14.*

*Maximus.*

*Iſai. c. 14.*

*Luc. c. 10.*

*Ioachim.*

Mali ſocios quærunt.

2 Maximè rem iſtam, de qua fari modò cępimus, quòd videlicèt improbi improbitatis ſuæ ſocios habere concupiſcant: probat lætitia illa, quam in Iudæ Chriſti Domini mortem molientis Principes oſtenderunt Sacerdotum, & Magiſtratus, D. dicente Luca, c. 22. *Et Gauiſi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare*: Quæ quidèm alia ex cauſa oriri minimè poterat, niſi ex modò iàm dicta: certum cùm ſit, quòd tàm cum Iuda, quàm ſine ipſo morti Dominum tradere ſæpiùs decreuerant; verùm in Iudæ

*Luc. c. 22.*

læ-

Digitized by Google

lætantur aduentu, dicit D. Bonauentura, non quòd ſine ipſo ſuam explere malitiam non poſſent; ſed quia ſocios criminis habere intelligebant, quod fortè declarare volens Enangeliſta, non ſimplicitèr ait: *Gauiſi ſunt*: ſed addere maluit; *Et*: *Et gauiſi ſunt*: quaſi diceret: ſtatim ac Iudę perceperũt opinionem, ut ipſum ſuæ malitiæ conſortem intellexerunt: *Gauiſi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare*: quod confirmauit præfatus Bonauentura, tanti gaudij rationem aſſignans, quùm ait: *Gauiſi ſunt de malitia, ſecundum illud: lætantur cùm malefecerint*. vbi verba ſi notabis illa: *Gauiſi ſunt de malitia*: non tàm Chriſti morte, quàm Iudę ſcelere gauiſos fuiſſe videbis, ſceleſtorum cùm proprium ſit, ſceleris ſui ſocios ſemper optare.

*Bonauent.*

Malos delectat malitia.

3 Verùm quod implicitè in Iudæ aduentu Principes oſtenderunt Sacerdotum, & Magiſtratus, patentiùs, explicitequè nimis ante Pilatum declarare non erubuerunt ijdem: quandò data ſibi optione, dicentequè illo: *Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha; vultis ergò dimittam vobis, Regem Iudæorum?* Ioannis 18. Ipſi verò, vt cruentæ Beluæ in Saluatorem, non in Barabbam ſæuientes; hunc potiùs, quàm illum ſibi dimitti petierunt. *Clamauerunt ergò* (ait Ioannes) *rurſum omnes dicentes: non hunc, ſed Barabbam.* Quis autem fuerit iſte Barabbas, declarat D. Marcus. cap. 15. quùm ait. *Erat autem, qui dicebatur Barabbas, qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium*. Ergò vitæ Auctorem perdere, homicidiorum verò patratorem, diſcordiæ, ſeditioniſquè miniſtrum conãtur eripere? Ità ſanè. At vndè tãta oriatur dementia ſtupet Chryſtomus, qui hom. 83. ex cap. Ioannis 18. non poteſt non dicere: Quæ ſimilitudo, quæ conuentio, quæ, ò ſceleſti proportio Barabbæ ad Chriſtum? cruentus lupus ille, mitiſſimus Agnus iſte; inſignis in vitijs ille, mirabilis in cunctis virtutibus iſte; ſceleſtiſſimus (vt concludam) ille, ſanctus Sanctorum iſte: cur ergò hunc perdere, illumquè eripere nitimini? An quia ſocios criminis, non moribus veſtris contrarios vultis? Ita ſanè: & veſtra, & improborum omnium ſemper fuit iſta proprietas. Vndè exclamare cogor, & dicere: *O mentem ſceleſtam, ſimiles ſui petunt, ſceleſtum dimitti, inſontem puniri iubent! hic etiam eis antiquus mos fuerat.* ſic Chryſoſtomus loco ſuprà citato.

*Ioan. c. 18.*

*Marc. c. 15.*

Sceleſtorũ mens.

Barabbam non Chriſtũ eligũt Iudęi, & quare.

*Chryſoſt.*

4 Nequè hic eorum malitia ſiſtere uoluit; ſed præter Iudam, & ultrà Barabbam, alium habere ſocium ſtuduit, dicente namq; Pilato: *Accipite eum vos, & ſecundum legem ueſtram iudicate*: Ioãnis 18. Reſponderunt: *Nobis non licet interficere quemquam.* Qua in re ſtudioſus fui ſemper inquiſitor; qua de cauſa, erga Saluatorem ſemper ipſi proferre ſentẽtiam renuerint? Si reum exiſtimabant, ſi morte multandum iudicabant, & à Pilato ſi eorum tradebatur poteſtati, iudicare cur nolebant? Mortiſquè in eum ſententiam proferre cur recuſabant, dicentes: *Nobis non licet interficere quemquam?* Si uera, immò ueriſſima eſt Auguſtini ſentẽtia, quòd Iudæi magis, quàm Pilatus Saluatorem occiderunt: ità ipſe in tractatu ſuper Pſal. 63. cuius uerba ſunt hæc. *Non dicant Iudæi; Non occidimus Chriſtum. Etenim propterea dederunt Iudici Pilato, vt ipſi à morte eius uiderentur immunes.* Et paulò infrà. *Ille dixit in eum ſententiam, et iuſſit eum Crucifigi, et quaſi ipſe occidit: et vos, ò Iudæi occidiſtis. Vnde occidiſtis? Gladio linguæ: acuiſtis enim linguas veſtras. Et quãdo percuſſiſtis, niſi, quando clamaſtis: crucifige crucifige?* Si ergo ipſi uitæ Auctorem occiderunt; Pilati ſententiam extorquere quare cupiebant, dicentes: *Nobis non licet interficere quemquam?* Cuius difficultatis ſolutionem reddit D. Cyrillus in ſuperioris loci expoſitione, cum ait: *Petunt ergo à Pilato; ut Iudaicam crudelitatẽ imitatus, ſuæ ſeruiat inſaniæ*. Proh nefas! poterant quidèm ipſi eum morti tradere, dicente Pilato: *Secundum legem ueſtram iudicate*: Vt tamen ſuæ crudelitatis, ſceleriſquè Pilatum ſocium haberẽt, ipſius pertinaciter expectare ſententiã uoluerunt. Vndè benè Cyrillus. *Petunt à Pilato, ut Iudaicam crudelitatem imitatus, ſuæ ſeruiat inſaniæ.*

*Ioan. c. 18.*

*Auguſt:*

Quærunt impij ſocios.

*Cyrillus.*

5 Sapidiſſimus eſt etiam ad pręsẽs noſtrum inſtitutum locus ille Matt. 27. ubi de argenteorum reſtitutione, ſic ait: *Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in Corbonam: quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio*

*Matt. c. 27.*

*ſilio*

*filio autem inito, emerunt ex illis agrũ figuli, in ſepulturam peregrinorum*. Vbi cęteris omiſſis difficultatibus, vna mihi non modica videtur: Cur ob paruam pecuniam, paucoſquè propter nummos Concilium ſit congregatum? *Conſilio autem inito*. Quid ſi de maximo theſauro diſponendum fuiſſet? Quos ampliùs vocare, & congregare potuiſſent, ſi propter triginta argenteos totius requiritur concilij ſententia? *Conſilio autem inito*. Sed, ò diabolicam malitiam! vt ſocios haberent criminis, Concilium congregare voluerunt: nàm ſi vnus de pecunia diſpoſuiſſet, ſocios proculdubio non habuiſſet; ideò cunctos vocant, cunctorum expectant ſententiam, vt crimino ſi appareant cuncti, nullusquè à crimine videatur immunis. Mea non eſt hæc ſententia; ſed Chryſoſtomi, qui hom. 86. in Matt. de concilij huius congregatione rationem quęrens, ità ait: *Nec ſimpliciter, ſed conſilio congregato id factum eſt; & in omnibus procedunt, ne aliquis ab hoc crimine innocens ſit; ſed omnes ſimul*. Poterat quidèm ſummus ſacerdos hoc agere; immò quilibet miniſter hac de re diſponere: innocens tamen ne aliquis remaneret cunctorum ſententiam expectare voluerunt.

*Chryſoſt.*

Iniqui ſocios affectant.

6 Sed quid in Iudæorum perfidia, atq; malitia ampliùs immoror? Cham ille, Sanctiſſimi Noè filius, nonnè, quàm libenter ſectatores amplectantur peccatores, declarauit & ipſe, quãdo nudatum perſpiciens genitorem, fratres vocauit? ſacra dicente pagina. *Cùm vidiſſet Cham Pater Chanaan, verenda ſcilicet Patris ſui eſſe nudata, nunciauit duobus fratribus ſuis foras*. Gen. c. 9. Qua in re, quid per Cham, niſi inuerecundus peccator? quid per Noè, niſi proximus? quid verò per verenda, niſi vitia myſticè deſignantur? lætatur Cham dicit D. Ambroſius in lib. de Noè, & Arca. c. 30. nudata videns Patris verenda, ſic gaudet, exultatquè ſceleſtus proximi vidẽs ſcelera; & non ob aliud ſanè, niſi quia ſodales ſe habere intelligit: Ambroſij non ſunt prætermittẽda verba hoc aſſerentis. *Rides igitur Cham nudatum Patrem videns; Omnis namquè improbus, quoniam ipſe deuius diſciplinæ eſt aliorum lapſus, non ſolum pro ſui erroris ſolatio accipit, quòd conſortes inuenerit culpæ; verum etiã improbo lætatur affectu*. cuius vltima ſi notabis verba. *Quòd conſortes inuenerit culpæ improbo lætatur affectu*. veritatem, de qua agimus, Sole clariùs videbis.

*Geneſ. c. 9*

*Ambroſ.*

Deuius conſortes habere lætatur.

7 Cæcus quis nunc non videbit; quare de Chriſti Domini aduentu turbatus ſit Herodes, omniſquè Ieroſolyma cum illo: ſic enim narrat D. Matt. c. 2. quòd quærentibus Magis. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cùm illo*. Vbi ſicut Herodis turbationem non miror, quia nouum audiẽs veniſſe Regem, proprio regimine ſe ſpoliandum putabat: ſic (niſi recenſita legiſſem) Iudæorum non poſſem non mirari triſtitiæ; quomodò de expectati Saluatoris, liberatoris, ac Meſſiæ aduẽtu triſtari potuerint! & licèt multos me non fugiat, dixiſſe: quòd, vt Regi Herodi conformarentur, externam quandã oſtendebant meſtitiam; & quòd interiùs, tali audito nuntio, lætabantur. Auctor nihilominus operis imperfecti. hom. 2. in Matt. Interiùs, exteriuſquè eos uerè turbatos aſſerit: rationemquè aſſignat, quùm dicit; quia Iuſti audierant aduentum, non poterat non turbari Herodes, omniſquè Ieroſolyma cum illo. Quæ ratio ab Imperfecto allata, magnam profectò mihi ingerit difficultatem; de Præcurſoris præcipuè aduentu, Dominico dicente Nuntio: *Multi in natiuitate eius gaudebunt*. Vbi D. Ambroſius ſic ait; *Habet, Sanctorum editio lætitiam plurimorum, quia commune eſt bonum*. Verumtamèn hucuſquè dicta mente reuoluens, quòd in Præcurſoris ortu lætentur multi, & in Chriſti aduẽtu turbentur Hebræi, non miror; quia ſi Iuſti proximorum lætantur iuſtitia, improbi aliorum probitatis præconio gaudere minimè poſſunt: quoniã, ſicut illi in uirtute, ſic iſti in uitijs ſocios habere deſiderant: et ideò quàm Iuſti in Præcurſoris lętantur ortu, tàm iniqui Hebræi in Chriſti aduentu cum iniquiſſimo Rege turbantur. Acutè nimis rem declarauit iſtam Auctor operis imperfecti ſuper citatum locum Matth. cum ait: *Ecce Iudaicus populus turbatur, qui magis de auditu iſto gaudere debuerat; quia Rex Iudæus ſurgere dicebatur, deſignatus à Deo: ſed turbabantur, quia de aduentu Iuſti non poterant iniqui gaudere*.

*Matt. c. 2.*

*Luc. c. 1.*

*Ambroſ.*

Herodes cum Chriſti natiuitatem audiens turbatur.

*Imperfect.*

Iuſti aduentu iniqui nõ gaudent.

8 Col-

8 Colligi nunc facilè poterit, cùr poſt vetiti pomi eſum, Eua idipſum, quod ei verſipellis ſuggeſſerat inimicus, Adæ ſuggerere voluit? ſi deceptam ſe agnoſcebat, ſi ſe in Deam conuerſam minimè videbat, quid vltrà in Adam experiri conabatur? dicente Scriptura. *Tulit de fructu illius, et comedit: deditq; viro ſuo, qui comedit.* Gen. 3. At miſera peccatoris hęc eſt cõditio, ſęper ſceleris optare ſocios, nè ſolus ipſe videatur ſceleſtus: ſic fortaſſis Eua, nè ſola ipſa diuinum præceptum tranſgreſſa videretur, criminis ſtuduit habere participẽ. Quòd declarauit Chryſoſt. verbis illis ad Euam directis: *Esto igitur te ipſam in tantum præcipitium depuleris: quare, & virum, tantæ ruinæ ſocium facis? cuius te adiutricem eſſe oportebat, illius facta es inſidiatrix; & illum quoq; tecum à Dei gratia abalienas:* A qua peccatorũ, proprietate, ſi mulier libera fuiſſet, virum habere criminis conſortem, minimè ſtuduiſſet.

Geneſ. c. 3.

Chryſoſt.

Prima peccatrix cõſortem habere voluit.

9 De Diabolo tandem, de quo fari in initio cępimus, ſermonem, vt concludamus, dicere oportet; quòd non in culpa tantum, ſed etiam in pœna conſimiles habere deſiderat: quod proprio declarauit ore, quando ſuper cuncta Sãctiſſimi Iob bona accepta à Deo poteſtate, combuſtis ouibus, id eum accedere, atq; ſic dicere non erubuit: *Ignis Dei cecidit è Cœlo, & tactas oues, pueroſq; conſumpſit.* Iob. 1. Quibus in verbis, relictis difficultatibus, quæ agitari ſolent, & præcipuè illa; cur ignem non terrenum, ſed cœleſtem vocare voluit: quia vti multi Sacræ Scripturæ expoſitores aiunt, Iob contra Cœlum his verbis nitebatur impellere: cur autem cecidiſſe potiùs, quàm deſcẽdiſſe dicere maluerit: inter cœteros Patres rationem aſſignat Origenes lib. 1. in Iob, dicens; quia ſi ipſe, vt ignitũ fulgur cecidiſſe deſcribitur, dicente Saluatore: *videbam Satan ſicut fulgur de Cœlo cadentem.* Luc. 10. Sic Iobũ per Charitatẽ ignitum de cœleſti gratia cadere optabat. Ad rem tamen, de qua agimus, quod magis facit, eſt; Cur oues gladio non trucidauit, peſte non infecit, Lupis, feriſq; deuorari non permiſit, quòd igne potiùs comburere voluit? proprio dicente ore: *Ignis è Cęlo cecidit, & tactas oues, pueroſq; conſumpſit.* Sed ò malitiam verè diabolicam! quia nedum culpæ, ſed pœnæ etiam conſortes habere cùpiebat: non ferro non feris, non peſte oues nitebatur extinguere; ſed igne: vt ſicut ipſe infernali tortorquebatur igne; ſic quæ in eius erant poteſtate, igne torquere ſtudebat. Ad cuius confirmationem, audiendus eſt Origenes loco ſuprà citato cùm diabolo, ſic loquens. *Tu es ò Diabole ignis ipſe, qui de Cœlo cecidit, qui innumeros igne peccatorum immundo ſuccendis? Tu es ipſe ignis ò Diabole, qui gehennæ igni plurimos peccatores facis, cui ignis, & tenebræ dignè reſeruantur præ omnibus.* Quæ verba ponderibus plena, ſi acutè conſiderabis, quàm culpæ, pœnæquè ſocios Diabolus exoptet haud difficilè percipies.

Iob c. 1.

Origenes.

Diabolus cadens omnes cadere exoptat.

Luc. c. 10.

Origenes. Tentando Diabolus peccatores facit.

## Tunc aſſumpſit eum Diabolus in Sanctam Ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum Templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Matth. 4.

### §. III.

*Periculoſa virtutum Tinea inanis gloria; quæ ex ipſis virtutibus oritur, ipſaſq; deſtruit.*

1 ILle, qui Saluatorem, vt hominẽ in deſerto gulæ armis fuerat aggreſſus, in monte cupiditatis, & auaritiæ, in Templo tandem inani eum gloriâ tentare haud deſtitit, dicendo. *Si filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuũ.* Cur autem in Templo talibus voluerit vti armis, quibus in deſerto, & in Monte vſus minimè fuerat, explicat D. Leo. ſer. 4: de Quad. cùm dicit: *Vicinum eſt in rectis actionibus ſuperbiæ malum, et de proximo ſemper virtutibus inſidiatur elatio, quia difficile eſt, vt laudabiliter viuentem laus nõ capiat humana, niſi, vt ſcriptum eſt, qui gloriatur in Domino glorietur.* In quibus

Matth. c. 4.

Leo Papa. Bene viuentem gloria capere ſolet humana.

bus verbis, vt reor, dicere intendebat Sanctus iſte; nullus quæræt, miretur nemo, cur in templo infernalis hoſtis inani gloria Dominum aggredi voluerit: quia *Vicinum ſemper eſt rectis actionibus ſuperbiæ malum.* Quod Marcellus etiam (ni fallor) declarare voluit, qui (vt Valerius Maximus lib. 1. de cultu Deorum refert) vnicũ Templum Honori, & Virtuti conſtruendum putabat, quod in multis locis tentauit efficere, dicente

*Valerius Maximus.*

Valerio loco proximè citato: *Cum Marcellus Quintum Conſulatum gerens, Templũ Honori, & Virtuti Claſtidio priùs, deindè Syracuſis poſitum nuncupatis, debitum virtutis conſecrare vellet, à Collegio Pontificum impeditus negante, vnam cellam duobus bis Dijs rectè dicari.* Idq; non ob aliam cauſam, vt puto, efficere volebat, niſi, vt quàm virtuti vicina ſit inanis gloria oſtenderet, quod tamen clariùs

*Imperfectus*

declarauit Auctor operis imperfecti hom. 43. in Matth. Cùm inanem gloriã virtutum tineam appellauit, dicendo:

Ex virtutibus ipſis glorię tinea naſcitur.

*In omni re; in ipſa re naſcitur, quòd exterminat rem, vtpotè ex ligno naſcitur uermis, qui exterminat lignũ; ex veſtimẽto naſcitur tinea, quæ comedit veſtimentũ; ex Oleribus naſcitur vermis, qui olera vniuerſa corrumpit: ſic & in ſpiritualibus ex ipſo propoſito accipit inimicus occaſionem; vndè eis retiatexit.* Qua conſiderata tentandi anſa, cœteris relictis tentationibus, in ſanctitatis loco de hac vna re Dominum tentare callidus ſategit inimicus, quæ quàm ſubtilis, atq; periculoſa tentatio ſit, cũ ex bono originem ducat, ipſumq; funditùs euertat, ex ſequẽtibus patebit.

2 Excogitaui, & non ſemel, inter cunctas tentationes, & inter cuncta vitia, quodnam primum obtineat locum, & nõ immeritò iudicaui vitiorum omnium vitium, tentationumq; tentationem inanem gloriam eſſe cenſendam: & ratio id ſuadet: quia ſcelera cuncta, vitiaq; omnia, virtutes habent oppoſitas, quibus Athleta Chriſti munitus, cõtra ipſa pugnare, ipſa vincere, ac de ipſis tandem triumphare facilè poteſt, ſola iactantia, inaniſq; gloria vitium eſt, quod contrariam non experitur virtutem, immò cùm ex virtute originem ducat ſuperari haud facilè poteſt, ideò tentationum tentatio per antonomaſiam cenſeri debet, quod Dominus diſcipulis declarare voluit: cùm ait: Matt. 26. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* *Matt. c. 26.*

Quibus in verbis non immeritò quæri poſſet: quænam ſit hæc tẽtatio, quæ ſic abſolutè, & ſimpliciter tẽtatio vocatur, nec cuius rei tentatio ſit explanatur? & licèt Gloſſa ibidem vilitatis, atq; timoris tentationem appellet, cùm dicit: *Sicut eſt trina tentatio cupiditatis, ità & timoris: Eſt enim concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi; Eſt & timor mortis, & timor vilitatis, & timor doloris, contra quæ omnia, docet nos debere muniri vigilijs, & orationibus.* *Gloſſa.*

Vanagloria tentationum tentatio.

D. tamen Chryſoſt. hom. 15. in Matth. per hanc tentationem iactantiã eſſe intelligendã aſſerit, quæ oppoſitã, cùm non experiatur virtutem, nedùm tentationum tentatio per antonomaſiam vocari debet: verùm etiam ad Deum in tali certamine recurrendum eſt, vt oppoſitis deficientibus armis, ipſe ſua virtute, eam in bonis, vt fas eſt, cõpeſcat: Ipſum audi, cuius verba hæc ſunt. *Omnia mala, quæ ſunt in mundo, habent contraria bona, per quæ ſuperentur;* *Chryſoſt.*

Vanagloria omnium virtutum ruina eſſe ſolet.

*vtputà, fornicatio caſtitatem; ſuperbia humilitatem; iracundia manſuetudinem. Et nullum eſt malum, quod non habeat cõtrarium bonum, per quod ſuperetur, dempta vanagloria: ideoquè quamuis bona feceris, volens compeſcere vanam gloriam, tantò magis excitas eam; & cauſa eſt; quia omne malum ex malo naſcitur, ſola autem vanagloria de bono procedit, ergò nullum remedium poteſt eſſe contra vanamgloriam, niſi oratio ſola.* Et paulò infra ſubiungit, quòd periculoſum adeò eſt, iactantiæ vitium, quòd cunctis deletis, ſola ſemper inanis gloriæ remanet tẽtatio, quæ dũ vincitur, fortiùs pugnat. Vndè præfatus Chryſoſt. *Et cùm hos omnes ſpiritus vinceris, nouiſſimè tentaris à ſpiritu vanægloriæ: incipis enim gloriari, quia viciſti: quia ſpiritus vanægloriæ præcipuè à ſanctitate nutritur.* hæc ipſe. *Chryſoſt.*

Vanaglorię cibus ſanctitas.

3 Prætereundum autèm minimè puto; quod de Eleazaro ſacra narrat hiſtoria, qui animi ſtrenuitate non minus, quàm corporis viribus præditus; videns vnum loricatum Elephantem præ cœteris ornatum, abſq; mora, omniq; prorſus abiecto timore, ad eum cucurrit, illumq; occidit, quo cadente oppreſſus & ipſe occiſus remanſit, & ſic

ex victoria mortem hauſit. Sic habetur lib. 1. Machabęorum cap. 6. *Iuit ſub pedes Elephantis, & ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum, & cecidit in terram ſuper ipſum, & mortuus eſt ibi.* Quid per victorem Eleazarum, niſi anima victrix deſignatur, quæ petulantem corporis Elephantem pœnitentiæ, & rigoris mucrone non occidit, ſed mundo mortuum reddit? Verùm ex ipſa victoria victa quandoq; remanet ipſa; quia dum inanitèr de triumpho extollitur, quod in agone multis acquiſierat ſudoribus, poſt victoriam, totum miſerabilitèr amittit. Sic Cardinalis Vgo in ſenſu myſtico Eleazari interpretatur euentum, cuius verba ſunt iſta. *Dum enim ueſtis aſperitatem, uilitatem cibi, libenètr patimur; dum labore calloſa ſqualLet manus, et frigore cutis riget, et Sole nigreſcit; tunc Eleazarus Elephantem occidit: cùm uerò in huiuſmodi fauorem quærimus, tunc Eleazarum cadens opprimit Elephas.* Quis ergò hanc voracem non vocabit tineam? immò quis hunc cruentum non formidabit Elephantem, qui viuus pugnat, & occiſus occidit, ac vincit?

*1. Machab. c. 6.*

*Vgo Card.*

Vitium occiſum, eſt vanę gloriæ triumphus.

4 Qua, vt reor, ex cauſa, completo agone, fugatiſq; hoſtibus, formidare ſic cępit Abraham, quòd à Deo his verbis roborari fuit neceſse: *Noli timere Abraham, ego Protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Geneſ. 15. Si inimicos perſecutus fuerat, ſi hoſtes vicerat, fratris filium cum omni domo, ac ſubſtantia priſtinam ſi duxerat in libertatem, timere, bone Deus, quid potuit, quòd dicere fuit neceſse: *Noli timere Abraham?* Quis non ante congreſſum, ſed poſt victoriam trepidantem militē vidit? ſi incertus, variuſq; eſt belli euentus, antequàm hoſtes inuaderet timere debebat, non poſt victoriam? Quod tamen myſteriū ſi pecipere cupis; præcedentia Sacræ Scripturæ verba, acutiùs perpendere debes. *His itaq; geſtis, factus eſt ſermo Domini ad Abraham: Noli timere Abraham, &c.* Ac ſi clariùs ſacra diceret pagina: Non ante, ſed poſt victoriam hic Chriſti Athleta trepidare cœpit: quia poſt vitiorum deletionem, & poſt ſpirituales victorias, nouiſſimè à potentiſſimo inanis glorię ſpiritu iactaris, qui ex ipſa cùm inſurgat victoria vincentem victum reddere ſolet, & miſerum. Nazianzenus orat. 7. *Sæpè gratia ipſa (vt quod omnium malorum noſtrorum miſerrimum eſt, maximeq; notandum, dicā) faſtum nobis, et elationē pariat, ſicq; à Deo, ad quem non vt decuit, acceſſimus, exturbet, ac deijciat, atq; ità dum extollimur, corruimus, vt fiat ſuprà modum peccans peccatum; nimirùm per id, quod bonum eſt, necem mihi afferēs.* Tinea igitur dicatur, & meritò, quæ ſæpè virtutem omnem conſumit, deſtruit, & ad nihilū redigere ſolet.

*Geneſ. c. 15.*

Abrahā poſt victoriam timet, & quare.

*Nazianz.*

Gratia faſtū parit.

5 Hæc, quia bellicoſa non minùs, quàm ſancta intellexit Iudith, in ipſa percuſſionis hora, quādo videlicèt Holofernem fortitèr, vtiliterq; percutere diſpoſuerat, ad Deum verſa, ſic ait. *Confirma me Domine Deus in hac hora, et percuſſit bis in ceruicem eius.* Iudith 13. Vbi duas Cardinalis Vgo mouet difficultates; quarum prima eſt de hora: cur de ea Sancta mulier mentionem facere voluerit? ſi diuinum implorabat auxilium dicere ſatis erat: *Confirma me Deus:* addere quare voluit: *In hac hora?* Secūdam autem, quam mouet difficultatem conſiſtit in gemina percuſſione: cur nō ſemel, ſed bis Holofernis percuſſit ceruicem, dicente ſcriptura: *percuſſit bis in ceruicem eius?* Ad rem tamen noſtram vtramq; ſoluit difficultatem ipſe, cùm dicit; quòd ſemper, ſed in illa hora præcipuè, diuinum magis implorare debebat Sancta Iudith auxilium; quia in uictoriæ hora, magis quàm in certamine iuſti debet timere conſcientia; quia tumoris tunc inſurgere ſolet occaſio: Nec uacat myſterio, quòd bis non ſemel percuſſus ſit Holofernes: quia prima percuſſio, uitiorum extirpationem ſignificabat: Secunda uerò tumoris ex parta uictoria repreſſionem declarare debebat: Ità citatus Vgo uerba ſingula ſic explanat: *Apprehendit comam elationem ſuperbæ mentis. In hac hora, In qua volo interficere gloriam mundi. Bis: gloriam mundi bis percutimus, quando eam corde, et opere relinquimus.* Sed ſi reijcienda non eſt Auguſtini ſententia: nec gemina ipſa percuſſio, elationem, tumoremq; cōprimere ualet: quia ex ipſa inanis gloriæ uictoria, maior ſemper inſurgit tumoris occaſio; ſic ipſe lib. 10. Confeſſ. cap. 38. *Sæpè homo de ipſo uanægloriæ cōtemptu; vaniùs gloriatur; non enim contem-*

*Iudith. c. 13*

*Vgo Card.*

Diuinū auxilium neceſſarium, maximè in virtutum complemento.

*Auguſt.*

nit

*nit, cùm gloriatur.* Periculoſũ certè malum, ſubtilis febris, quæ vt virtutẽ perdat, in medullis exæſtuat ſemper.

6 Quod periculoſum malum, vt primus homo effugeret in voluptatis Paradiſo collocatus, duo hæc ſibi iniũ- Geneſ.c.2. ćta audiuit: *Vt operaretur, & cuſtodiret* Geneſ.cap.2. Quę conſiderans Ambroſius verba lib. 1. de Paradiſo c. 4. quęrit, & non immeritò, circà quod opus verſari debebat Adam: ſi omni humana, ſemota induſtria, omniquè labore fructus terra ſtatutis producebat temporibus? Cuſtodiri à quo poſteà Paradiſus debebat, ſi nulla aderat hoſtilis incurſio? Si ex diuino præcepto humano nutui Feræ cunćtæ parebant? Quid igitur Adam efficere, & à quo cuſtodire Paradiſum debebat, quod ei mandatũ audiuimus; *Vt operaretur, & cuſtodiret illum?* Sed à litterali ſenſu, ſi exire licebit: quid per Adam in innocentiæ ſtatu; niſi iuſtum? Quid per voluptatis Paradiſũ; niſi ſtatum gratiæ? Quidue tandem per operationem; niſi meritoria opera ſignificari dicemus? Sed quid iniunćtæ operationi diuina ſapientia addere voluit? *Et cuſtodiret.* Periudè ac ſi diceret; indiuidua operationis ſocia, cuſtodia, eſſe debet: nec circa cuſtodiam minus, quàm circa opus ſtudere debes, ò homo, fruſtrà quidem certè operi incumbes, niſi cuſtodiæ ſemper inuigilare ſtudebis: quia virtuoſo completo opere; immò incepto tantùm; multoties vt crudelis hoſtis, & vt callidus fur elatio inſurgens, & tumor, patrata furatur, & perdit. Peracutè hiſcè verbis Ambroſius. *Non idem eſt operari, & cuſtodire. In opere enim quidam virtutis proceſſus eſt, in cuſtodia quadam conſummatio operis deprehenditur, eò quod quaſi conſummata cuſtodiat. Hæc duo ab homine requiruntur, vt & operibus noua quærat, et parta cuſtodiat.* Audiant nunc Adæ filii eorũ patri quid ſit iniunćtum: ut & faſtum fugiant, & elationẽ ſemper in bonis timere addiſcant, miſerabilitèr ipſa ne perdant.

Adam in Paradiſo quid operari debebat?

Ambroſ.

Totus labor eſſe debet in cuſtodienda virtute à vanagloria.

7 Optimè Eliſeus rem intellexit iſtam, quando puerum ſuum ad mortuum Sunamitidis filium mittens, hunc ei præcepit in modum: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum: & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi: & pones baculum meum ſuper faciem pueri.* 4. Reg. c. 4. Vbi, Baculi ſumptionem Dominicam figurantis Crucem, non miror, quia ſicut ad pueri vitam adhibebatur ille; ſic vitam nobis per peccatum defunćtis afferre debebat iſta: nec quòd dicat: *Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum:* quia in celeri diſcipuli curſu, ſuperioribus, quàm velocitèr ſit parendum, demonſtrabatur: ſed quòd omnimodam reſponſionem, prohibeat, dicẽdo: *Si te ſalutauerit quiſpiam, non reſpondeas ei;* penitùs non intelligerem, niſi Theodoretus, præ cæteris ex hac me extraxiſſet difficultate, qui quæſt. 17. ſuper idem, ait: quòd vt elationem, faſtumquè Eliſei diſcipulus fugeret, hoc ſibi iniungi incongruum, minimè fuit. Sciebat ſiquidem virtutis Magiſter, quòd nedum in rećtè fáćtis, ſed etiam in faciendis inſurgere ſolet tumoris occaſio: ideò ſalutationes, reſponſioneſquè prohibuit, ne ſi quò pergeret quæreretur, ad dandam mortuo vitam reſponderet; ſicquè elationis nõ paruæ, quaſſus tentationibus virtutem amitteret, defunćtumquè ad vitam reuocare nõ poſſet: ità præcitatus Theodoretus prohibitionis rationem aſſignat, his verbis. *Docet quomodo cauenda ſit vanagloria, in rećtè fáćtis, & occultanda virtus, ne pereat, neuè deprædetur.* Sciebat vtpotè hic bonus virtutis Magiſter, quòd indiuidua boni operis ſocia, cuſtodia eſſe debet, ne opus deperdatur, & labor: ideò diſcipulum ſic ſilere, nulliquè reſponſum dare iubebat, ne ex pauca cuſtodia tantæ fidei, tantæq; virtutis deperderetur opus.

4. Reg. c. 4.

Theodoret.

Quàm ſedulò cauenda ſit vanagloria.

8 Et magnum quidèm ſemper eſt exiſtimatum prodigium, virtutem non abſcondere, & virtutis laude non ſuperbire. Vndè D. Marcus c. 1. ex Saluatoris doćtrina audientium ſtuporem, ſic deſcribit. *Et ſtupebant ſuper doćtrina eius; erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens nõ ſicut Scribæ.* Sed, Bone Deus! ſi Chriſti vitam, mores, & miracula, cunćti ſtupebant, vt pluriès ceteri teſtantur Euangeliſtę: cur prorſùs relićtis alijs de doćtrina ſermonem habens, audientiũ admirationem, ſic accuratè deſcribit, dicens: *Et ſtupebant ſuper doćtrina?* An, quia docebat, & non ſicut Scribæ? ità certè hoc mirabantur non parum au-

Marc. c. 1.

dientes; quia docebant ſiquidem Scribæ; ſed de ipſa doctrina gloriabantur: docebat Chriſtus, & non pompam, non faſtum, nec laudem quærebat humanã: hæc totius erat ſtuporis cauſa; ipſum vt Deum non agnoſcentes; laudatum, & non elatum videntes; quia laudata virtute, non intumeſcere prodigium eſt. Victor Antiochenus ſtuporis iſtius rationem aſſignat, quùm dicit: *Stupebant, quia non loquebatur ad gratiam, neque vlli prorſùs adulabatur, nec auditorum laudes captabat:* ſic ipſe. Ex quibus verbis clarè paret, quòd ob uirtutum laudem, non ſuperbire, prodigium eſt.

*Victor Antiochenus.*

Nõ gloriari de partis virtutibus, prodigium eſt.

9 Quid ergò in hoc periculoſo agone agendum ſit, docuit Saluator ipſe, qui propter doctrinã, & miracula cùm laudaretur non parũ: vt ait D. Marcus. c. 1. Tantùm ob noſtram doctrinam in ſolitudinem ſe contulit, orationiquè ſe dedit. *Et diluculo valdè ſurgens, egreſſus abijt in deſertum locum, ibiquè orabat:* ſic Marcus loco citato, vt ſuo nos doceret exemplo, ille, qui à Creaturis cunctis, nunquam laudatur ſatis, mundanas vitare laudes, virtutes operire, ſanctitatis opera cuſtodire, ne pereant: Præcitatus hoc dixit Antiochenus. *Suo nos exemplo admonet, vt poſt miraculum patratum, aut opus aliquod illuſtre perfectum, ad quò ſeorſùm ſecedamus, nè quid inanis gloriæ venenum, in animos noſtros irrepat; ſed Deo ſua vbiquè gloria nuſquam non conſtet:* cui tota ſit nunc, & ſemper.

*Marc. c. 1.*

*Victor Antiochenus.*

Quàm facile venenum vanæ gloriæ ſerpat.

## Tunc reliquit eum Diabolus. Matt. 4.

### §. IV.

*Semel in tẽtatione vincenti inſidias iterum moliri ſuperbus formidat inimicus; nè, dum denuò vincitur, pudore denuò afficiatur.*

1 Victorijs, quàm gaudet, triumphis quàm lętatur, animarum tandèm ob ruinã, infernalis quàm tripudiat hoſtis; dicente Dauide Pſal. 12. *Qui tribulant me exultabunt ſi motus fuero.* & Pſal. 34. *Iudica me, ſecundum Iuſtitiam tuam Domine Deus meus, & non ſupergaudeant mihi. Non dicant in cordibus ſuis: euge, euge, anima noſtra: nec dicant: deuorauimus eum;* tàm ſuperbus triſtatur ſi vincitur; dicente Ieremia. cap. 17. *Confundantur, qui me perſequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego, induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos;* & ratio eſt: quia ſi dùm vincit ſuperbus, extollitur, dùm vincitur, erubeſcit: ſic Regius teſtatus eſt vates Pſal. 34. *Erubeſcant, & reuereantur ſimul, qui gratulantur malis meis, induantur confuſione, & reuerentia, qui magna loquuntur ſuper me.* Vndè Caſſianus Collatione 7. cap. 21. De hac dæmonum confuſione in hunc loquitur modum. *Sed planè laborant, & ipſi non minus impugnantes humanum genus, et deſudant, vt præualeant, de vnoquoquè illam, quam cupiunt obtinere victoriam, et retorquetur in eos illa confuſio, quæ nos manebat, ſi ab ipſo fuiſſemus eliſi, ſecundum illud: caput circuitus eorum, labor labiorum ipſorum: veniat illi laqueus, quem ignorat:* & tandem poſt aliqua, ſic concludit. *Dolent igitur etiam ipſi, non minus, et quemadmodum nos eliduntur, nec victi ſine confuſione diſcedunt.* Hinc eſt, quòd ſemel victus, ad victorem iterum formidat accedere, nè ſi denuò ſuperetur, pudore denuò afficiatur. Quod perex imiè his explanauit verbis Ambroſius lib. 4. in Lucam. *Vides ergo ipſum diabolum, non eſſe in ſtudio pertinacem, cedere ſolere virtuti, et ſi inuidere non deſinat, tamen inſtare formidat, quia frequentiùs refugit triumphari.* Quod forte indicare voluit Euangeliſta in hoc loco, vbi Saluatoris deſcripta victoria, nullo interpoſito uerbo ſubdit. *Tunc reliquit eum Diabolus.* ac ſi diceret: pudore non modico affectus ſuperbiſſimus hoſtis, terga vertit, victorẽ relinquit, nec ad eum ampliùs, ſic apertè, vt nunc accedere eſt auſus. Non aliter Toſtatus declarat verba illa. *Tunc reliquit eum Diabolus. Receſſit Diabolus propter uerecundiam, quia licèt Diabolus inuidus ſit, & ſemper nocere deſideret, & quantò aliquis fuerit melior, tantò magis, & acriùs in eum nititur; eſt tamen ſuperbus valdè, & erubeſcit ſuperari; ideò quando ab aliquo ſuperatus fuerit, erubeſcit eum ampliùs tentare:* ſic ipſe. quæſt. 60. ibidem. Quibus verbis declarat, quàm victorem exter-

*Pſal. 12.*

*Pſal. 34.*

*Ierem. c. 17*

*Pſalm. 34.*

*Caſſianus.*

*Ambroſ.*

Diabolus victus, non redit.

*Toſtatus.*

Superatus ſuperari iterum erubeſcit.

reat

reat Dęmon, quamquè illi inſidias moliri timeat, ne iterum victus, pudore iterum afficiatur.

Bonauent. 2 Tamen vltrà dicta, D. Bonauêtura de natura Dei. c. 27. procedēs, quæſtionemquè mouens, ſub titulo: *Vtrùm virtus tentandi minuatur in Diabolo, quando vincitur:* quærit: An ad ſemel vincêtem, Diabolus iterùm accedere poſſit? & de re hac tres refert opiniones, dicendo. *Dicunt enim quidam, quòd ſuperatus in vno vitio, ipſum victorem, non poſſit ampliùs tentare de eodem vitio; ſed alius Diabolus poteſt: Alij dicunt, quòd ſuperatus in vno, nullum alium de illo vitio poſſit tentare. Origenes dicit, quòd ſuperatus ab vno neminem poſſit tentare de cætero:* cuius verba sūt hęc: *puto ſanè, quia Sancti repugnantes aduerſus, & vincentes, minuunt exercitium Dæmonum, velut quorum plurimos eorum interimant, nec vltra fas ſit illi Spiritui, qui ab aliquo Sancto caſtè, & pudicè viuendo, victus ſit, impugnare iterùm alium hominē.* Quæ etiam quæſtio, eiuſquè ſolutio videri poteſt in Sancto Thoma in 2. ſent. diſt. 6. art. 6. & in Abulenſ. ſuper 4. Matth. q. 69. vbi probabiliùs eſſe concludit, victori denuò inſidias poſſe moliri: ſed ob maximum pudorem ad tempus à victore recedere, iuxtà illud Lucæ c. 4. *Conſummata omni tentatione, receſſit Diabolus, vſquè ad tempus*: At quicquid ſit de recenſitis opinionibus, noſtra ſemper vera erit aſſertio: quòd ad ſemel vincentem ſuperbus inimicus, iterùm accedere formidat non parùm.

Quot modis tentat Dæmon.

An victus vincentem iterum aggrediatur.

S. Thom. Abulenſ.

3 Quòd in Dęmone ab homine expulſo, in ipſumquè iterùm ingredi cupiente, non obſcurè Dominus declarauit quùm ait: *Cùm immūdus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inueniens: tunc dicit reuertar Domum meam, undè exiui: & aſſumit ſeptem alios Spiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Lucæ 11. Sed ſi ſuperbiſſimus ipſe eſt, ò Domine, ſi ſibi non alteri adſcribi victoriam poſcit, ſocios, cur quęrit, commilitones, cur aſſumit? quæ ei iu hoc certamine remanere poterit gloria, quam conſequi ſperabit laudem, ab alijs, ſequè fortioribus, ſi vincatur hoſtis? Quid eſt hoc, quod dicis: *Aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi, habitant ibi?* An fortè, quia ſemel victus Diabolus, ad victorem

Luc. c. 11.

Cur ſeptem ſpiritus nequiores aſſumere ſolet Diabolus.

quàm timeat accedere oſtendere cupis? Prorſùs ità: nàm per ſeptem ſpiritus, & ſi iuxtà communiorem opinionem ſeptem capitalia intelligi debeant vitia: iuxtà tamen Euthimij verſionem, ſeptem ſpiritus fortiores, & ad malefaciendum potentiores, intelligere poſſumus, non immeritò à primo aduocati, cùm ſemel victus ille, expulſuſquè ab homine, ad ipſum iterùm accedere timeat; ideò fortiores, nequioreſquè aſſumit ſocios, ne ſi ſolus iterū vincatur, iterum uerecundari cogatur: Nō aliter rem declarauit iſtam Euthimius, cùm ait: *Aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores. hoc eſt ſceleratiores, & fortiores ad malefaciendum, ne fortè tanquam imbecillis rurſus eijceretur.* Vide nunc ſemel vincêtem, quàm exterreat Diabolus, quòd ſocios quærit, commilitones aſſumit, nec qualeſcunquè ſed fortiores ſe, nè victus denuò, denuò cum rubore fugam cogatur arripere.

Euthimius.

Adiutores ad vincendū quærit Diabolus.

4 Ad cuius figuram in Tobiæ hiſtoria legiſſe me memini: quòd cum die quadam, vt ſuos lauaret pedes, ad fluminis ripam Tobias adoleſcens acceſſiſſet, ab immani Piſce inuaſus, primo intuitu trepidare cæpit: Angelicis attamen roboratus monitis, illum ad aridum, trhaxit, & ante eius pedes palpitantem occidit: ità in eius lib. c. 6. *Piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum, quem expaueſcens Tobias, clamauit voce magna, dicens: Domine inuadit me: & dixit ei Angelus, apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te, quod cùm feciſſet, attrhaxit eum in ſiccum, & palpitare cæpit ante pedes eius.* Sed quid per hunc immanem piſcem ſignificari dicemus, niſi Diabolum? quid verò per Tobiam, niſi iuſtum? ante cuius pedes victus ſemel inimicus trepidat, atquè formidat, nè iterùm vincatur? Nō aliter Cardinalis Vgo exponit illa Dauidica verba Pſal. 17. *Confringam illos, nec poterunt ſtare, cadent ſub tus pedes meos:* quùm ait. *De Diabolo, aliſquè inimicis legitur: confringam illos, ideſt totaliter frangam, quùm enim magno eum impetu in hominem irruunt, & ipſe viriliter ſe opponit, quaſi confringuntur, ſicut homo, qui irrueret in murum: nec poterunt ſtare: ſed cadent ſub pedes meos; ſicut Malachiæ 4. calcabis impios, cùm fuerint ſub planta pedum veſtrorum.*

Tob. c. 6.

Vgo Card.

Diabolus deficit, dum i. li reſiſtitur.

5 Supra

5 Suprà modum autem ad noſtrũ inſtitutum faciunt, quæ de Sanctiſſimo Iob.ſacra narrat ſcriptura: quòd cùm quadam die inter Dei filios coràm Domino aſſiſteret Satan, interrogatuſquè ab illo, vndè veniret: reſpondit iſte: *circuiui terram, & perambulaui eam*. Iob. c. 1. Quo audito reſponſo, ſubiunxiſſe Dominum ſacer deſcribit textus. *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Sed omni ſemper ſalua reuerentia, dicere cogor, ò Domine, quòd ſi Satan terram perambulauit totam, ſi orbem vniuerſum circuiuit; proculdubio inter cæteros vidit & Iob? ad quid ergo quæritur: *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob?* ſed ò magnam Dei ſapientiam, quæ vt Diabolum confunderet, ſic quæſiuit; *Numquid* conſideraſti ſeruum Iob! ſciebat ſiquidem Deus, quòd quàm victorijs ſuperbit inimicus, tàm confunditur à Iuſto cùm vincitur: & quia ex multis trophæa ſe reportaſſe iactabat, vt eius confunderetur ſuperbia, iuſti laudes, iuſti virtutes, iuſtiquè victorias coràm victo prędicat ipſe Deus. Cardinalis Vgo. *Satan terrenos uituperat, ubi dicit circuiui terram, & perambulaui eam, & gloriatur de conculcatione eorum; Dominus è contra commendat ſeruos ſuos, & ſpecialitèr Iob; numquid conſideraſti &c. nec dicit; nũquid circuiſti, uel perambulaſti ſeruũm meum Iob; quia illum nullatenus poterat conculcare: conſiderare potes, præualere non potes*. hæc ille. Quibus Caſſiani etiàm addenda eſt reſponſio: cur coràm dæmone Iuſtorum ſunt præponendæ victoriæ? ſic dicentis: *Quia cunctis conatibus expenſis, cum deceptionem noſtram non potuerit obtinere ſuper caſſato labore ſuo; neceſſe eſt, ut confundatur, & erubeſcat: undè per Dauid confundantur illi, & non confundar ego*. collat. 7. c. 21. vt ergò iactantia confunderetur diaboli, Iobi victorias ſublimi Dominus extollit pręconio.

*Iob. c. 1.*

*Vgo Card.*

Cõfunditur Dæmon dum præualere non poteſt.

*Caſſianus.*

6 Sed quid inter tot Iobi laudes, inuidus Satan? Audi, ſi libet, reſponſum omni ſtupore dignum. *Numquid Iob fruſtra timet Deum: nonnè tu uallaſti eum, ac domum eius, uniuerſamquè ſubſtantiam per circuitum? ſed extende paululum manum tuam*. c. 5. Quæ dęmonis verba legentẽ non poterunt in ſtuporem, non adducere: cur contrà Iobum non propriam, ſed Dominicam manum extendi poſcat! ſi ipſe liuore torquebatur, ſi contra Iuſtum ipſe pugnare debebat; cur non dicit: extẽde manum meam, quòd dicere maluit, extẽde manum tuam? Si poſtea à Domino audierat: *Ecce in manu tua eſt*. c. 2. cur in congreſſu Dominũ manum iterùm poſcit extendi, dicens: *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo dabit pro anima ſua; alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem*. Vbi, & ſi per manus extenſionem, feriendi licẽtiam intelligat Origenes, quùm dicit: *Mitte manum tuam, hoc eſt præceptum tuum, iuſſionem tuam, imperium tuum: hæc nempè ſignificans, dicit: mitte manum tuam, ac ſi diceret: præcipe, iube, manda, permitte; hæc vtiquè uniuerſa habens in mentem ſuã nequiſſimus diabolus dixit: mitte manũ tuã*. Quæ & Gregorij lib. 2. moral. cap. 6. fuit opinio; & Chryſoſtomi de Patiẽtia Iobi hom. 1. Cartuſiani, & Vgonis, & pręcisè Lyrani, dicentis: *Quia dæmon nihil poteſt nocere hominibus, niſi ſecundum diuinam permiſſionem; ideò dicit: extendam manum meam*. Tamen propriam ſententiam inter tot ſacræ ſcripturæ expoſitores dicere, ſi licebit; hæc erit: Quòd nè Iobũ iterùm aggredi cogeretur contra illum, Dominicam manum extendi poſcebat, aliàs enim ſe victum ſentiebat iniquus; ideò formidabat, timebat; immò eum videns tremebat; nec contra eum amplius inſurgere audebat; ne iterum victus cum rubore, iterùm fugam arripere cogeretur; idcircò dicebat: extende manum tuam! Quod Gregorius lib. 2. moral. c. 6. tetigit his verbis: *Sanctum virum Satan tentare appetit, & tamen Domino, ut manum ſuam extendere debeat, dicit: ualdè notandum eſt; quia feriendi uires, nec ipſe ſibi tribuit*. Idipſum non parum clariùs Didymus in Gloſſa citatus explicauit, cùm ait: *Hoc autem loco, mittere manum, eſt, affligere; & tangere, atterere: imbecillitatis enim ſuæ conſcius, non dicit: mihi permitte; ſed mitte manum tuam: ubi ſumma improbitas eſt bonitatem ipſam ad malum prouocare*. cuius ſi non paruipendes verba illa. *Imbecillitatis enim ſuæ conſcius: non dicit: mihi permitte; ſed mitte manum tuam*. Quàm ſecundò vinci timeat diabolus haud difficilè percipies.

*Iob. c. 5.*

*Iob. c. 2.*

*Origenes.*

Cõtra Iobũ inſurgere formidabat Diabolus.

*Lyranus.*

*Gregorius.*

*Didymus.*

Vt ſuam tegat imbecillitatem Diabolus Deum contra Iob prouocat.

7 Dubitare vlteriùs quis poterit:

cur

cur inter tot armentorum, famulorum, filiorumquè interneciones, vna ipſi Sãcti viri inoffenſa ſẽper relicta ſit vxor? ſi ſęuiſſimum in omnibus ſe geſſerat hoſtis, cur ſe ergà mulierẽ tantùm mitem oſtendere voluit, ipſam omninò relinquens incolumem? In qua difficultate me non latet, multos vocaſſe mulierem Dęmonis rete ad capiendos incautos. iuxtà illud Ezechiel. 12. *Extendam rete meum ſuper eum: & capietur in ſagena mea, & adducam eum in Babilonem terram Caldæorũ, & ipſam non videbit: ibiquè morietur*. Quod clarè in primo homine hac comprehenſo ſagena, viſum eſt, dicente Auguſtino. *Potuiſſet Adam inter delicias Paradiſi inconcuſſus manere, ſi ibi non fuiſſet Eua*. Ex dictis tamen ad excludendam omnem dubirationem ſubtilior elici poteſt reſponſio: quòd ideò mulierem reliquit, ideò inter tot neces, atquè ruinas, vnà, & inoffenſa relicta eſt mulier, vt ſi ſemel à Iobo ſe victum ſentiret, mulierem contra victorem incitaret, ne in illum iterum ipſe inſurgere cogeretur: quòd non obſcurè declarauit Gregorius lib. 3. moral. c. 6. ſuper verba illa: *Benedic Deo, & morere, Quia enim aperto certamine ſuperari ſe doluit, de ore cõiugis iaculum, quaſi de inſidijs intorſit, quæ profectò diceret? Adhuc permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & morere.*

*Ezechiel. cap. 12.*

*Auguſt.*

*Gregorius.*

Mulier ſuccurrit diabolo iam victo.

8 In quorum omnium figuram ſacra enarrat hiſtoria, quòd completo diluuio, clauſiſquè Abyſſi fontibus, quieſcente ſuper Armeniæ montes Arca, aperuit Noè feneſtram, emiſitquè Coruum, qui ad eum ampliùs non eſt reuerſus, vt habetur Geneſ. 8. *Cumquè tranſirent quadraginta dies, aperiens Noè feneſtram Arcæ, quam fecerat, dimiſitquè Coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.* Vbi quid per Arcam intelligi debet, niſi hominis cor, atquè Anima: quiduè per Coruum, niſi dęmon; iuxta D. Bernardini Senẽſis expoſitionem? Sed emiſſus ſemel Coruus in Arcam denuò non regreditur; quia expulſus ſemel ab Anima inimicus, ad eam iterum redire formidat. Chryſoſtomus hom. 5. de Patiẽtia Iob. *Diabolus ſi viderit deridentem ſe, ac deſpicientes ſuos conatus, cedit, ex via hac non iàm ulteriùs propinquans.* Reſiſtamus ergò, vincamus igitur, vt dicere poſſimus cùm Dauide: *confringam illos, nec poterunt ſtare, cadent ſubtus pedes meos.* Pſal. 17.

*Geneſ. 8.*

*Chryſoſt.*

Cedit Dæmon, ſi illi reſiſtitur.

*Pſal. 17.*

FERIA

# FERIA SECVNDA POST DOMINICAM PRIMAM. QVADRAGESIMAE:

## Statuit Agnos à dextris, Hædos autem à ſiniſtris: Matth. 25.

### §. I.

*Quiſnam iuſtus magis pro Cælo, an iniuſtus propter Infernum deſudet expenditur.*

1 AGNI, quòd vocentur iuſti; Ouibus, quòd comparentur electi, certè nil mirum; quia ſi illi, nec balãtes quidèm ad occiſionem ducuntur, ſic inter tot maledicta, totq; inter tormenta, nec os operire, niſi in Dei laudem conſueuerunt, & iſti; quod luculenter D. explicauit Chryſoſtomus hom. 54. ex cap. Matth. 25. cùm ait: *Oues ſunt homines iuſti, propter manſuetudinem; quia ſicut Oues, quando ligantur, aut tacent, aut in ſimplicitate balant; ſic & Sancti, cùm læduntur, aut tacent, aut certè in benignitate probati, preces tranſmittunt ad Deum. Et ſicut Ouis ad mortem ducitur, et non clamat; vita eius tollitur, & manſuetudo eius nõ immutatur; ſic & Sancti maledicuntur, & nõ remaledicũt: percutiuntur, & non repercutiunt; bona eorum diripiuntur, & illi non contradicunt: dolorem ſentiunt, & clamorem non emittunt.*

*Chryſoſt.*

Cur iuſti ouibus, mali hædis comparentur.

Quod autem difficultatem poſſet mouere non paruam, eſt: Cur Agnis, Ouibuſq; reprobi non aſſimilentur & ipſi: quòd Hædi potiùs veritatis ore vocantur: *Hædos autem à ſiniſtris.* Et licèt Chryſoſtomus in citata homilia huius difficultatis rationem aſſignet, dicẽdo: *Hædos autem homines peccatores dicit: quia in Capris naturaliter hæc inſunt vitia: Libido præ cæteris Animalibus, ſuperbia, rixa. Semper enim ſe percutientes incedũt: & modò humero pulſante, interdum cornu percutiunt. In omnibus his vitijs peccatores abundant; & ideò hædis ſunt aſſimilati.*

*Matt. c. 25.*

*Chryſoſt.*

Ex Origene tamen ad noſtrum præſens inſtitutum, aliam elicio rationem, & eſt: quòd ſicut oues facilia aggrediuntur itinera, planaſq; gradiuntur per vias; Hædi autem dura aſcendunt ſaxa, difficiles, pręcipiteſq; incedunt per ſemitas; ſic iuſti per latam, facilemq; mandatorum obſeruantiam, iuxtà illud Dauidis. Pſal. 118. *Latum mandatum tuum nimis*, ad Cęlum gradiuntur: Reprobi autem, vt petulantes Hirci, nihil non durum, non aſperum, non difficile in peccatis experiuntur, quibus demum æternales mercantur pœnas. Vndè de ipſis, Origenes hom. 34. in Matth. ait. *Hædi autẽ dicuntur mali, quia aſpera, & dura ſaxa aſcendunt, & per præcipitia eorum incedũt.* Quòd haud paulò clariùs declarauit Brugenſis hiſce verbis: *Sicut Hircus locis altis, & præcipitijs gaudet: ſic enim, & impij ambulant difficiles, & periculoſas vias: vt ſapientia 5. habetur: Ambulauimus vias difficiles, laſſati ſumus in via iniquitatis: lumen veritatis non illuxit nobis.* Quæ veritas, vt peccatoribus etiam in præſenti magis, magiſq; illuceat; ſequẽtes probationes in medium affero.

*Pſal. 118.*

*Origenes.*

Mali cur hædi.

*Brugenſis.*

Peccatores in via iniquitatis laſſantur.

2 Licèt difficilis primo intuitu appareat virtus, dicẽte Philoſopho, quòd virtus verſatur circà difficile: & Ouidio:

*Philoſoph.*

*Difficile eſt fateor, ſed tendit in ardua virtus.*

*Ouidius.*

Et Dauide Pſ. 16. *Propter verba oris tui, cuſtodiui vias duras*: Cùm tamen intrepidè eius capitur via, in facilitatem omnis vertitur difficultas, & in ſuauitatem aſperitas; dicente Dauide. *Guſtate, et videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*: & alibi: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia*

Virtus circa difficile verſatur.

*ua*: itȧ quòd mandatorum obſeruantia, quæ anguſta priùs, & difficilis, ad Cœlum videbatur via: poſteȧ lata nimis; vt idem teſtatus eſt Dauid Pſ. 118. *Latum mandatum tuum nimis*, faciliſquè currentibus apparet, iuxtȧ illud Pſ. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum*. E contra ruinæ, perditioneſq; via, & ſi prima facie lata, & facilis uideatur, ſecundùm illud Saluatoris. Matth. 7. *Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem*: Ab incedentibus tamen per eam, poſteȧ anguſta, difficilis, præceps, & lubrica reperitur non parùm: vt clarè fatetur Dauid Pſal. 34. *Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos*. & Pſal. 35. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare*. Quod etiam his cecinit Virgilius carminibus Epigram.

*Pſal. 118.* *Matt. c. 7.* *Pſal. 34.* *Pſal. 35.*

*Molle oſtētat iter via lata: ſed vltima meta*
*Præcipitat captos, voluitq; per ardua ſaxa.*

Quod ſi verum eſt; quid mirum, ſi oues vocentur electi, hædiq; reprobi, dura cum iſti gradientes per ſaxa, difficileſquè per vias, non illi; illos facilè ſuperent in laboribus. Audiendus nunc eſt Chryſoſtomus, qui hom. 39. in cap. Matth. 11. de virtute, & vitijs in hunc loquitur modum: *Quòd ſi poſt hæc omnia vehementer ardua, difficiliſquè virtus videtur, veniat in mentem tibi, quantò difficilior vitioſitas eſt: vndè ipſe Dominus dicit: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. qui laboratis ſolummodò non ait, ſed onerati eſtis.* Quis ergò peccatores, ſtolidos non vocabit hædos; qui ſic in vitijs laborant, deſudant; immò conteruntur: quòd iuſtos etiam ipſos facilè ſuperant in laboribus?

*Chryſoſt.*

**Via malorū difficilior, via bonorum.**

3 Et quidèm vtinàm pro iuſtitia tantùm laborarent, quantùm pro iniquitate deſudant iniuſti! quia certè vulgares in virtute minimè dicerētur. Abſolutè meum non eſt hoc deſideriū; ſed Magni illius Concionatoris, qui cunctos optans perfectos, cunctis in locis perfectionem prædicabat; Pauli inquam, qui Romanos mundialibus conſiderans vanitatibus deditos, eos ſic alloquitur: *Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatē; nunc itȧ exhibete mēbra ueſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationē*. Ad Rom. 6. Quam comparationem cōſiderans Chryſologus ſerm. 114. ſolito ingenij acumine, ait: *Abſurda fratres, atq; indecens uidetur comparatio, quæ tantùm gloriæ, quantùm turpitudini, hominem cupit eſſe ſubiectum; quare non plus virtuti, quàm uitijs, ſanctitati, quàm iniquitati dicit eſſe incumbendum.* Si ipſe eſt ille, qui omnes, vt ſe optabat eſſe perfectos (vndè dicente Agrippa, vt habetur in actibus Apoſtolorū 26. *In modico ſuades me Chriſtianū fieri*: reſpōdit ipſe. *Opto apud Deū, et in modico, et in magno, non tantū te, ſed etiā omnes qui audiunt hodie fieri tales, qualis ego ſum*) quomodò nunc in modico ſiſtit, non magis feruentes in virtutibus deſiderans pœnitentes, quàm ſedulos in vitijs extitiſſe putabat, dicendo: *Sicut exhibuiſtis membra ueſtra ſeruire iniquitati; itȧ exhibete membra ueſtra ſeruire iuſtitiæ?* Cui difficultati reſpondet præfatus Chryſologus in ſermone citato hiſce verbis. *Sed utinàm, uel tantùm. Et quando tantùm Deo, quantùm mundo, quando tantùm Cælo, quantùm terræ, tantùm uirtuti quantū vitijs fragilitas humana famulatur? Totus homo miſer, ſic carni deditur, ſic rebus præsētibus occupatur, ut nihil in ſe, quod futuræ uitæ, quod diuinis bonis deſeruiat, derelinquit!* Sciebat ſiquidē bonus hic virtutū magiſter multùm, nō parùm pro vanitatibus, pro cupiditatibus, atquè pro concupiſcentijs peccatores laborare; nouerat ſanè ipſos pro vanis, caduciſq; rebus laboribus conteri magnis, vigilijſquè multis: quamobrem pro certo habebat, quòd ſi hæc eadem, & non alia pro iuſtitia efficerent, nequaquàm vulgares in virtute, immò iuſtos multos ſuperare dicerentur.

**Sufficit, vt pro Deo facias, quod facis pro mundo.**

*Ad Rom. c. 6.*

*Chriſolog.*

*Act. c. 26.*

**Iuſti ab iniuſtis in laboribus facilè vincuntur.**

*Chryſolog:*

4 Quod optimè nouit Sanctus quidam, vt habetur in vitis Patrum, qui die quadam vanam uidens mulierculā, ad intuentium oculis placendum, non parùm ornatam, multis cum lacrymis oculis ad cœlum uerſis corde non ore ad Deum clamauit. *Ignoſce mihi Omnipotens Deus, quia unus dies ornatus iſtius mulieris ſuperauit totius uitæ meæ induſtriæ ornamenta.* Interrogatus autem ab aſtātibus, quare ſic largiter fleret: reſpōdit: *Duæ res me mouent: una de illius perditione; alia de mea remiſſione, quia non habeo tantum ſtudium placendi Deo, quantum habet illa, ad placendum hominibus malis, et*

**Sancti viri dictum memorabile.**

*Diabolo*. Vide quæſo, quàm iuſtos facilè uincãt in laboribus iniqui, qui una die, pro vanis rebus magis deſudant, quàm iuſti cunctis diebus vitæ ſuæ pro æternis. Vndè ſapiẽtèr nimis, ait Paulus: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati: ità exhibete membra veſtra ſeruire Iuſtitia in ſanctiſicationem.* (*Ad Rom. c. 6.*)

5 Dicere hinc ſoleo, quòd magis iniquus propter Infernum, quàm Martyr quilibet propter Cœlum laborare conſueuit, & pati: quod vt efficaciter probetur; quid peccatores ad pœnitentiam vocando, dixerit Saluator, percurrere oportet. (*Matt. c. 11.*) *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos: Tollite iugum meum ſuper vos: Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. Matt. 11. In quibus verbis, & ſi Auguſtinus ſerm. 9. de verbis Domini, vnicam monear difficultatem, dicendo: (*Auguſt.*) *Quomodò dicit, venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; ac non potiùs dicit: venite, qui uacatis, ut laboretis: nàm, & uacantes inuenit, quos conduxit in uineam, ut ferrent pondus diei, et æſtus*. Ego támen aliam, & non minorem reperio difficultatem, cùm audio: *Ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper uos*. Et eſt: ſi ad quietem vocat; iugum quomodò ſe impoſiturum dicit? aperta videtur contradictio, ad quietem vocare, & iugum imponere: nec enim quietis indicium eſt, quando Boui iugum imponitur, ſed laboris: quid ergo eſt hoc, quod dicit: *Ego reficiam vos; tollite iugum meum ſuper vos*. Sed ò mira Domini Saluatoris ſapientia, quæ his verbis declarare voluit! & quòd peccatores laborum expertes non ſint: ideò dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis*; cum concupiſcentijs fræna laxare magnus ſit labor, iuxta illud Ieremię. 9. (*Ierem. c. 9.*) *Vt iniquè agerent, laborauerunt*. Vndè Ioannes Ferus (*Ioannes Ferus.*) ſuper citata Euangeliſtæ verba, dicere non dubitauit. *Laborat, qui ambitioni, & auaritiæ ſeruit; laborat, qui miſerè amat*. & quòd in laboribus, ærumnis, & cruciatibus martyres ipſos vincant, & ſuperent: (Iugum mũdi graue eſt, Chriſti autẽ ſuaue.) ea propter ſubdit: *Ego reficiam uos; tollite iugum meum ſuper uos:* quia tàm graue eſt iugum mundi, ſecundùm illud Eccleſiaſtici 40. (*Eccleſiaſt. cap. 40.*) *Iugum graue ſuper filios Adam à die exitus ipſorum de uentre matris, uſquè ad diem ſepulturæ eius*: tàm crudele martyrium, quòd longa mandatorum omnium obſeruantia; immò inhumaniter pro Chriſto necari, in illius cõparatione leue eſt onus, & ſuaue iugũ; vnde refectio dici poterit huius oneris impoſitio, non laboris initium. Optimè lepideque rem tetigit iſtam Petrus Bleſenſis, qui in quadam epiſtola ad Clericos de Cappella Regis Enrici directa, de mundanis, eorũq; labore, & martyrio hunc ſcripſit in modum. (*Petrus Bleſenſis.*) *Pro uaniſſima uanitate militant hodiè miniſtri curiales in labore, & ærumna, in uigilijs multis, & periculis magnis, periculis maris, periculis fluminum, periculis pontium, periculis in falſis fratribus, in mortibus frequenter, in confractione, et colliſione corporis, atquè in alijs uita diſcriminibus, in quibus gloriam martyrij mererentur, ſi hæc pro Chriſti nomine ſuſtinerent; nunc autem martyres ſunt mundi, ſeculi profeſſores, diſcipuli Curiæ, et per multas deniquè tribulationes promerentur Infernum.* (Mundani quã paciẽtes martyres Diaboli.)

6 Audiendus nunc eſt Ambroſius, qui in regreſſu prodigi Patrem conſiderans accurrentem, & ſuper illius collum cadentem; vt ſcripſit Lucas: (*Luc. c. 15.*) *Accurrens cecidit ſuper collum eius, et oſculatus eſt eum*: cap. 15. dicit: ſi laſſus erat ex itinere adoleſceus iſte, ſi fame tabeſcebat, ſi ſtare vix poterat; cur Bone Deus, nouo grauatur onere? ſi pietatem, beneuolentiam, amoremquè oſtẽdere volebat pijſſimus Pater, eum ſtrictis brachijs amplexari debebat; & non ſe ſuper feſſi proſternere collum, dicente Euangeliſta: (Prodigi pater cur ſupra filii collum cadere voluit.) *Cecidit ſuper collum eius*? At magno cum conſilio hoc geſtum aſſerit Ambroſius: quia videbat pijſſimus Pater, grauiſsimo mundi iugo filium ſuppoſuiſſe ceruicem; ac pro terrenis cupiditatibus, & infructuoſè ſemper multis elaboraſſe diebus: ideò vt eum proſpexit, nulla interpoſita mora cucurrit, & ſuper collum eius cecidit; quia grauiſsimo, moleſtiſſimoquè ablato mundi iugo, ſuum voluit, vt experiretur onus, quàm in illius comparatione ſit leue: Nihil prorſùs aliter Ambroſius. (*Ambroſ.*) *Cadit in collum Chriſtus, ut ceruicem iugo exuat ſeruitutis, et collo tuo iugum ſuaue ſuſpendat; cadit in collum cum dicit: uenite ad me omnes, qui laboratis, et onerati eſtis; et ego reficiam uos; tollite iugum meum ſuper uos*. (Iugum mũdi quàm graue.) Perindè ac ſi ad filium diceret chariſsimus Pater: multis diebus grauiſsimum mundi ex-

per-

Digitized by Google

pectus es iugum, ò fili! multo tempore onere es prægrauatus non paruo, abiecto nunc illo, meum volo, vt aliquantulum experiaris iugum, quàm facile, quã leue, & quàm ſuaue ſit, vt quàm iuſtos, immò martyres ipſos iniuſti ſuperent in laboribus & ærumnis, agnoſcas.

7 Veruntamèn parùm certè eſſet, ſi martyres tantùm ſuperarent in laboribus iniqui, niſi vltrà procederent ipſa impoſſibilia (quod omni ſtupore dignum puto) quandoquè tentando, vt ſuis ſatisfaciant cupiditatibus, quod videre eſt in illis dèmentibus, qui vt mundanam venarentur gloriam, terrenamque apud poſteros vt acquirerent laudem, Turrim Cęlum pertingentem conſtruere decreuerunt, dicentes: *Venite, faciamus nobis Ciuitatem & Turrim, cuius culmen pertingat ad Cælum: & celebremus nomen noſtrum.* Geneſ. 11. Stultum omninò conſilium. Exeogitari enim impoſſibilius quid poterit vnquàm, quàm Cęlum pertingere? Cæca tamen mũdanorum mens, ob terrenam laudem, quæ vento comparari ſolet inflanti, & non implenti, etiàm ipſum impoſſibile non ſine magnis ſudoribus tentare non deſiſtit. Vndè Rupertus Holchot lect. 19. ſuper cap. ſap. 2. de ambitioſis factum intelligens, hęc ait: *Omnes ambitioſi exponunt ſe maximis periculis, & laboribus pro honoribus conſequendis: intantum, quòd ſi tertiam partem facerent propter Deum, maximi meriti eſſent: vndè iſti ad ædificandum, ad fodiendum, & ad conſtruendum ſe applicant, & exponunt.* Miſera prorſùs mundanorum conditio, quæ pro vilibus, fugacibuſque rebus, nedùm deſudat, verùm etiam ipſa impoſſibilia attentare non timet.

Geneſ. c. 11.

Rupertus Holchot.

Malus etiã impoſſibilia tentat.

8 Quæ omnia quis ſcit, ſi conſiderans Ioannes, ad peccatores dicere ſolebat: *Pœnitentiam agite: Et erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.* Luc. 3. ac ſi nimis ſapientèr diceret: vt quid laboribus, ſudoribus, periculis, & ęrumnis, pòſt peccata currendo, conterimini peccatores? pœnitentiam nunc agite, viam currite mandatorum: & dicere procul dubio poteritis: facta ſunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Vbi Sebaſtianus Gomezius. *Lex Chriſti tempore ipſius promulganda, oſtenſura erat vias rectas, & planas, & faciles, per quas in Cælos homines facillimè ire poſſent.* Vtinam opportuno tempore hoc intellexiſſent illi, qui nunc proprio fatentur ore: *Ambulauimus vias difficiles: laſſati ſumus in via iniquitatis: lumen veritatis non illuxit nobis!* Sap. 5. Quia fortè difficiles in faciles mutando vias, laſſati vt nunc minimè reperirentur. Quæ veritas ſi alicui nunc, dùm tempus eſt illuceſcit, praua mutet in directa, & aſpera in vias planas, vt dicere poſſit cum Dauide. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti Cor meum.* Pſalm. 118.

Luc. c. 3.

Sebaſt. Gomezius.

Peccatores per aſpera gradiuntur, iuſti autem per vias planas.

Sap. c. 5.

Pſ. 118.

## Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Matt. 25.

### §. II.

*Magnum ſalutis argumentum diuina eſt benedictio; cùm ſemel à Deo benedictus, maledici nequeat.*

1 AMica vox, fælix vocatio, & pluſquàm beata verba sũt iſta: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnũ à cõſtitutione mundi:* ſed nõ modicam pariunt difficultatem: omitto illam: quomodò vocandi ſunt electi, vt accedant: *Venite.* Si verum eſt, quod Pſalmiſta ait: *Abſorti ſunt, iuncti petræ Iudices eorum.* Pſal. 140. quia Brugenſem noui rem iſtam declaraſſe his verbis: *Venite, adiungimini mihi, vox iſta ſingularis cuiuſdam fauoris, & amici complexus affectum notat.* Relinquo aliam: quare benedictos Patris potiùs dicat, quàm ſuos? quia vt idem ait Brugenſis: *Facit pro ſuo more, quo Patri ſolet aſcribere ſua, & ſuorum omnia, tanquàm primo fonti.* Nec tãdèm immoror in verbo illo: *Poſſidete:* cùm Chryſoſtomum benè nouerim, dicentem: *Nota autem, quòd non dixit accipite, ſed poſſidete, ſiuè hæreditate, ſicut familiaria bona, ſicut paterna, ſicut veſtra; vobis antiquitùs debita.* Sed quod mihi ſpeculandi anſam poſſet præbere nõ paruam, eſt: cur Regnum electis ab ori-

Pſal. 140.

Brugenſis.

Chryſoſt.

gine mundi paratum dicit : *Poſſidete paratū vobis Regnum à cōſtitutione mundi;* & non potiùs abſolutè , & ſimpliciter; poſſidete Regnum? niſi ſcirem, quòd ſicut ex veris ac neceſſarijs præmiſſis, vera & neceſſaria ſequitur concluſio; ſic ex diuina benedictione ſequi aliud non poterat, niſi ſalus & beatitudo ; & ſicut illa fuit ab origine mundi , ſic & pacatiſſimum hoc beatitudinis Regnū ab origine mundi paratum dicitur. Vndè Rupertus Holchot lect. 29. in cap. Eccleſiaſtici 23. de hac æterna beatitudine in hūc loquitur modum. *Benedictio diuina eſt æternalis ; ideò dicitur Matt. 25. venite benedicti Patris mei, percipite Regnum vobis paratum ab origine mundi:* cauſalem, ni fallor , formare ſic volens: quia æterna eſt Patris benedictio, ideò Regnum ab æterno paratum dicitur; quia ſicut premiſſas ſequitur concluſio, ſic diuinam benedictionem ſequitur fęlicitas . Ex quibus verbis, quàm certum æternæ ſalutis argumentum diuina ſit benedictio, facilè colligi poteſt.

*Rupertus Holchot.*

Benedictio diuina ſalutem certam imperat.

2 Quodnam fortius, efficacius, clariuſque ſalutis reperiri poteſt argumētum, quàm maledici nō poſſe, cùm certum ſit , quòd cunctis reprobis ſit dicturus cæleſtis Iudex : *Ite maledicti in ignē æternum:* Si quis ergò ſe maledictionis expertem agnoſceret , ſe cum Deo regnaturum pro certo haberet; ergò cū ex ſacris ſcripturis colligam , ſemel à Deo benedictum maledici vlteriùs non poſſe: magnum ſalutis indicium diuina dicenda eſt benedictio. Quòd autem ſemel à Deo benedictus, maledictione affici nequear , lege ( ſi libet) cap. Geneſ. 27. & reperies , quòd cùm cæcutiens Iſaac morti eſſet propinquus, & Primogenito benedicere vellet, ait: *Sume arma tua, pharetrā, & arcum , & egredere foras; cumque venatu aliquid apprehenderis , fac mihi indè pulmentum , & affer vt comedam : & benedicat tibi anima mea antequā moriar.* Quo Rebecca audito, ſuaſit filio ſuo Iacob, vt dùm feras Eſaù venabatur in campis , benedictionem ipſe ſibi procuraret in domo: & reſiſtente filio , atque dicente : *Si attrectauerit me Pater meus, & ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere , & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione* , vt omni excuſſo timore, ſecurus redderetur; ſic ipſam eſſe affatā ſacra teſtatur pagina: *In me ſit iſta maledictio , fili mi: tātùm audi vocē meā, & pergēs affer quæ dixi.* Magna certè benedictionis confidentia, magna obtinendi ſecuritas: Sed vndè originem ducat, audi Chryſoſtomū, hom. 53. *Quid igitur Rebecca admirabilis illa, quia non ex ſua tantùm ſententia faciebat , ſed & diuino miniſtrabat oraculo; ideò omni ſtudio conatur eximere puero metum , & addere animum , vt conſilium perficiat electus.* Si Iacob à Deo erat benedictus , vt poſtea declarauit Paulus , de ipſo & Eſaù ad Romanos ſcribēs, *Cùm enim nondùm nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, non ex operibus , ſed ex uocante dictum eſt ei: Iacob dilexi, Exaù autē odio habui:* c. 9. dubitare nō poterat Rebecca; de maledictione timere quomodò poterat; cùm fortaſſè ſciret à Deo benedictū, maledici vltrà nō poſſe: idcircò ſecura dicebat: *In me ſit iſta maledictio, fili mi: tātummodò vocem meam:* Quod non obſcurè confirmauit Rupertus lib. 2. in Num. cap. 18. ſequentibus verbis: *Nemo quippè maledicere, aut deteſtari efficaciter poteſt eum , cui à Domino benedictio data eſt.*

*Matt. c. 5.*

*Gen. c. 27.*

Rebecca vndè de Iacobi benedictione ſecura ?

*Chryſoſt.*

*Ad Rom. cap. 9.*

*Rupertus Abbas*

Iacob à Deo benedictus maledici nō poterat.

3 Et quidèm rei probauit euentus, quàm ſecurè , cùm Iacob à Deo eſſet benedictus, dicere poterat Rebecca: *In me ſit iſta maledictio, fili mi* ; nàm paratis omnibus, & ad Patrem allatis, cùm comediſſet ille ( diuino ſic diſponente benedictionum Auctore ) ad benedictionem proceſſit , dicens : *Det tibi Deus de rore Cæli , & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini . Et ſeruiant tibi populi, & adorent te Tribus : eſto Dominus fratrum tuorum. Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus : & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* . Geneſ. 27. vbi Chryſoſtomus hom. 53. ad rem noſtrā nimis pulchram mouet difficultatem : ſi de benedictionibus agebatur, ſi paulò antè Sanctus iſte ſenex dixerat: *vt benedicat tibi Anima mea, antequàm moriar* : quare nunc non tantùm de benedictionibus, ſed etiàm de maledictionibus mentionem facit, dicendo: *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus.* Sed ò myſterium ingens ! timebat Iacob ne pro benedictione induceret ſuper ſe maledictionem : ideò Pater ſpiritu ductus diuino , eum non ſolùm benedictionibus repletſed & maledicentibus

*Geneſ. c. 27.*

ma-

maledicit; tanquàm ſi diceret: maledictionem timebas, fili, detrectari formidebas? errabas certè, errabas non parum: quia à Deo tu cùm ſis benedictus, à me quomodò maledici poteras? Quē, vt cognoſcas errorem, & copioſas ſuper te benedictiones effundo, & maledicentes tibi, ſine multis maledictionibus non relinquo. Chryſoſtomus in citata hom. *Qui timuerat, nè maledictionem acciperet pro benedictione, non ſolùm benedictiones à Patre reportauit; ſed & illi maledicuntur, qui attentant eum maledicere.* Sapientiſſimam quis nunc non vocabit Rebeccam, quę dicere non timebat. *In me ſit iſta maledictio, fili mi*: magnum quis non confitebitur ſalutis argumentum diuinam benedictionem, quæ omnem ſiuè in Cœlis, ſiuè in terra maledictionem excludit.

*Chryſoſt.*

Benedictus à Deo, maledici non poteſt.

4 Quod clariſſimis verbis declarauit Balaam, qui à Balach Rege, vt Dei populum malediceret, pluries exhortatus: *Veni, maledic Iacob: propera, & deteſtare Iſrael.* Num. 23. tandem ſic reſpondit: *Quo modo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione deteſter, quem Dominus non deteſtatur?* Vbi Toſtatus quæſt. 5. in Prophetæ perſona, ad Balach in hunc loquitur modum: *Petis aliquid irrationale ò Rex; quia ego non poſſum maledicere, niſi cui Deus maledicit; ſed Deus benedicit Iſraelitis, quomodò potero maledicere eis.* Stulta prorſùs petitio, effrenata cupiditas, quæ Dei voluntati obſiſtere putabat, ſemel à Deo benedictos maledictionibus afficere ſtudendo. Sed nunquid tantùm ſtetit in dictis verbis Balaam? minimè quidem: ſed Iſraelitica videns agmina maledictionis loco, benedictiones multas protulit, dicendo: *Quis dinumerare poſſit puluerem Iacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſrael? Moriatur anima mea morte Iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.* Num. ibidē. Quæ audiens Balach ſe cōtinere non potuit, quin diceret: *Quid eſt hoc, quod agis? Vt malediceres inimicis meis vocaui te: & tu è contrario benedicis eis.* At quid ad hęc Propheta? Audi quęſo. *Numquid aliud poſſum loqui, niſi quod iuſſerit Dominus?* Quæ verba Toſtatus quæſt. 6. ibidem explicans; ſic ait: *Quaſi dicat: non ſum culpabilis in hoc, quia ego vellem maledicere, ſicut tu me ad maledicendum vocaſti, ſed non poſſum facere*: vt ſi diceret; maledicendi, deteſtandi, & imprecandi quidèm voluntatem habeo, vt tuis ſatisfaciam petitionibus, ò Rex; ſed ad maledictionis effectum procedere non poſſum, deteſtationis verba proferre non valeo; immò, quia pro maledictione benedictionem me protuliſſe intelligo, ea de cauſa dicere cogor, quòd non poſſum loqui, niſi quod iuſſerit Deus. Sed vndè talis maledicendi impotentia? explicat Toſtatus ibidem. *Hoc autem poterat eſſe, quia Deus mouebat labia eius, vt ipſe volens maledictionis verba proferre, benedictionem proferret; ità quod Deus moueret inſtrumenta eius formatiua vocis contra voluntatem ipſius*: Efficax planè noſtri inſtituti probatio, qua clarè nimis oſtenditur, ſemel à Deo benedictum, maledici nequaquàm poſſe; immò pro maledictionibus etiam inuitè benedictionibus repleri, cùm humana voluntas diuinæ nequeat reſiſtere voluntati.

*Num. c. 23.*

*Toſtatus.*

*Toſtatus.*

Maledictio Balaam in benedictionem mutatur.

5 Ex modò autem dictis, alterius pendet difficultatis ſolutio. Cur propter irreuerentiam, atquè peccatum Cham, non ipſe, ſed Chanaan filius eius maledictus ſit à Noè; dicente ſcriptura. *Euigilans autem Noè ex vino, cùm didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait: Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Geneſ. 9. Et licèt huius difficultatis rationem aſſignent aliqui, dicentes: quia à Chanaan flagitium inceperat, ideò maledici debebat ipſe, non Cham. Vndè ad mentem iſtorum Lyranus. *Maledixit Patri in filio, quia filius iſtud flagitium inceperat, vt dictum eſt ſecundùm aliquos*: tamen cùm ex Ambroſio apertè habeatur, quòd tunc nōdùm erat natus Chanaan, dicente ſcriptura. c. ſequenti. *Hæ ſunt generationes filiorum Noè, Sem, Cham, & Iaphet: natique ſunt eis filij pòſt diluuium.* Vndè citatus Ambroſius in lib. de Noè, & Arca cap. 30. ait. *Vtiquè Chanaan natus non erat: cur ergò nomen addidit filij.* Alia eſt quærenda difficultatis ſolutio, quā facilè in Anaſtaſio Sinayta reperio, aſſerente, quòd ideò non maledixit Cham; quia ſemel à Deo benedictus, nequaquàm vltrà maledici poteſt: Et quia in egreſſu de Arca, cum alijs duobus fratribus, & Patre à Deo benedictus fuerat Cham, vt in-

*Geneſ. c. 9.*

*Lyranus.*

*Ambroſ.*

ca-

capite huius 9. capituli habetur: *Benedixitque Deus Noë, & filijs eius. Et dixit ad eos: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*. Ideò Noë maledictionẽ ergà eũ proferre non eſt auſus; ſed iuſta indignatione motus, in eius filium maledictionem inflexit, dicendó: *Maledictus Chanaan*. Perbellè rem iſtam declarauit citatus Anaſtaſius in Exameron lib. 11. *Poſtquàm à ſomno excitatus Noë, agnouiſſet filij Cham iniquitatẽ, non eſt auſus Noë execrari filiũ, quoniã fuit à Deo Benedictus cum duobus alijs fratribus, pòſt diluuium, quamobrem non dicit maledictus Cham; ſed maledictus Chanaan execratus eos, qui ex ipſo erant naſcituri, & non Cham.* Quid ſi diuinæ benedictionis expers fuiſſet Cham? quid ſi ſemel à Deo benedictus non eſſet? quomodò paternam maledictionem effugere potuiſſet? Proculdubio nõ ergà filium, ſed contrà ſe prolatam audiuiſſet ſententiam. maledictus Cham, & non maledictus Chanaan.

*Anaſtaſ. Sinayta.*

**Cham à Deo benedictus, à Noe maledici non potuit.**

6 At cùm parua ſint, quæ vſquè modò dixi: rem dicam omni ſtupore dignam. Quòd nedùm homines, ſed ipſa quoquè irrationabilia ſemel à Deo benedicta, vltrà maledici nequaquàm poſſint. Ad cuius dicti probationem nõ parùm faciunt, quæ de irrationabilium productione dixit Cancellarius creationis Moyſes, quòd creatis piſcibus, productiſque auibus, largam ſuper eos benedictionem effudit Dominus. *Creauit Deus Cete grandia, & omnem animam viuentem atquè motabilem, quam produxerãt aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundũ genus ſuũ. Et vidit Deus quòd eſſet bonum Benedixitque eis, dicens: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris: Auesque multiplicentur ſuper terram.* Gen. 1. Creatis poſtea beſtijs terræ, nullam eis benedictionem contuliſſe commemorat; ſed ſimplicitèr ait: *Fecit Deus beſtias terræ iuxtà ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, & ait: Faciamus hominem, &c.* ibidem: Sed cur, piiſſime Deus, non etiã beſtijs benedicis, vt auibus, & piſcibus? quid tunc læſerant belluæ, quòd benedictione priuantur? An quia aliquã illarum, vt diaboli organũ, & vt tranſgreſſionis inſtrumentum, maledicendam prænoſcis? Ità ſanè: quia ſerpenti ſe maledicturum (vt ex cap. 3. habetur: *Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ.*) præſciebat: ideò beſtijs terræ benedicere noluit: ſecus autem de piſcibus, & volucribus, quorum cùm nullũ execrationes ſubiturũ prænoſceret, proptereà his benedixit, non illis. Præſtat audire Anaſtaſiũ in loco citato. *Propter ſerpentem, & execrationem, ſeu maledictionem, quam erat laturus, ea de cauſa, animãtibus non benedixit. Non enim inuenies in tota ſcriptura, aliqua ex ore Dei fuiſſe benedicta, & rurſus a Deo fuiſſe ſubiecta execrationi.* Quę verba, & ſi omnia plena ſint ponderibus, illa tamen præcipuè, *Non enim inuenies in tota ſcriptura, aliqua ex ore Dei fuiſſe benedicta, & rurſus a Deo fuiſſe ſubiecta execrationi*, optimè probant hoc noſtrum inſtitutum, de quo loquimur: quòd videlicet ſemel à Deo benedictus execrationibus deinceps reddatur immunis.

*Geneſ. c. 1.*

*Geneſ. c. 3.*

*Anaſtaſ.*

**Iumentis nõ benedixit Deus, quia ſerpenti maledicturus erat.**

7 Ergò ſi vera, immò veriſſima ſunt, quæ vſquè modò diximus, quis fælices, & pluſquàm beatos non vocabit illos, qui hac cæleſti benedictione ſunt præditi, qui aliud expectare non poſſunt, quàm audire: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum*: quod & notauit Origines hom. 11. in cap. Geneſ. 22. conſiderans illa verba: *Benedixit Deus Iſaac, qui habitauit iuxtà puteum nomine viuentis, & videntis.* Geneſ. 25. quùm ait: *Intelligentibus grandis eſt iſta benedictio; vtinam & Dominus mihi donet hanc benedictionem, vt habitare merear ad puteum viſionis. Quis poteſt ſcire, & intelligere, quæ eſt iſta viſio?* & paulò infrà; *feſtinate ergò vos, & ſatiſagite, vt iſta ad vos benedictio veniat, quæ apud puteum viſionis habitare poſſitis; vt aperiat Dominus oculos veſtros, & videatis puteum viſionis, & percipiatis ex eo aquam viuam, quæ fiat in vobis fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Quod nobis ex ſua pietate concedere dignetur ille, qui electos, & benedictos ad illum vocabit viſionis puteum, de quo ſcriptum eſt: *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Pſalm. 35.

*Matt. c. 25.*

*Geneſ. c. 25.*
*Origenes.*

**Benedictus benedictionem expectet.**

*Pſal. 35.*

✠

Eſu-

## Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere. Matt. 25.

### §. III.

*Compendioſa ad Cœlum via; eleemoſyna eſt.*

1 MVltis decoratæ virtutibus, ditatæ meritis, & repletæ gratijs, ſi iuſtorum Animæ iuſto offerentur Iudici in die vniuerſalis Iudicij: iuxta illud Dauidis Pſal. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deauraro, circundata varietate.* Vbi D. Bruno: *Aſtitit in veſtitu, non fœdo, ſed deaurato, ideſt, in perfectione virtutum, qua ornabitur, ſicut veſtimento pretioſo corpus ornatur. Et non in ſimplici veſtitu, ideſt, in vna ſola virtute, ſed circundata, ideſt, adornata varietate virtutum: à ſimilitudine ſpõſa, quæ varijs gemmis adornatur.* Quid eſt, quòd in eis ſola laudabitur largitas, prędicabitur munificentia, & tantùm erga egenos commendabitur pietas? *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare* &c. An quia cùm multæ, & nimis longæ ſint vię, quæ ad Cælum ducunt: Vndè Dauid ſine celeri curſu, ad longa mandatorum omnium obſeruantiam ſe minimè peruenire poſſe putabat, quùm aiebat: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Pſal. 11. vnam hanc ergà pauperes pietatem, ergà egenos miſerationem breuiſſimã oſtendere voluit: ità Chryſoſtomus hom. 73. in cap. Ioannis. 14. *Variæ ſunt viæ, quas benigniſſimus Deus nobis largitus eſt, quarum prima eſt eleemoſyna:* compẽdioſa quidèm, cùm pro paruo pane, immò pro poculo aquę frigidæ fęlicitas acquiratur æterna. Vndè citatus Chryſoſtomus conſiderans illa; *Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis Regnum: eſuriui, & dediſtis mihi manducare;* exclamat: *O quanta glorię, quanta beatitudinis hæc uerba ſunt! quibus uerò pro rebus, hæc ſibi retribuuntur? pro tecto, pro ueſte, pro aqua frigida, pro uiſitatione, quia carcerem ingreſſi uinctum conſolati ſunt:* Et hæc erit tota origo obiurgationis iniquorum; quia breuiſſimum pietatis iter tenere noluerunt. *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi bibere.* Perindè ac ſi diceret: ſi longa fuiſſet Cęli via, aliqualitèr vos excuſare poſſetis; ſed cùm hæc miſericordiæ breuiſſima ſit, quam excuſationem habebitis? ſi paucis, viliſſimiſquè rebus cæleſte theſaurum emere poteratis, cur non emiſtis? Nil alirèr Chryſoſtomus hom. 5. de pœnitentia in Chriſti perſona ad interrogationem à ſe factam; & eſt: *Quare autem, Domine, viarum aliarum non recordaris?* Reſpondet: *Non iudico inquit peccatum, ſed inclementiam; non peccantes, ſed immiſericordes iudico, inclementia vos damno; quia tantam ſalutis medicinam neglexiſtis.* Breuis ergò nimis, & compendioſa dicatur Cęli via ergà pauperes pietas, cùm pro parua eleemoſyna retributio promittatur tanta: quod ex ſequentibus magis patebit.

Pſalm. 44. — Bruno. — Matt. c. 25. — Pſal. 11. — Chryſoſt. — Via ad Cœlum præcipua; eleemoſyna. — Matt. c. 25. — Chryſoſt. — Chryſoſt. — Eleemoſyna ſalutis medicina.

2 De eleemoſyna Chryſoſtomus in hom. 9. de Pœnitentia, ſermonem habens; eam non timuit omnium virtutum appellare Reginam, quàm ait: *Eleemoſyna Regina virtutum eſt.* Cuius tituli aliam non quęro rationem, quare munificentia ſit hoc nomine inſignita, præter illam ab ipſo ad hoc allatam, quæ mihi non parùm arridet, & eſt; vt ipſe ait: *Quia homines celerrimè ipſorum in Cælorum axes adducet,* quaſi diceret: cùm eleemoſyna citò ad Regnum veluti celeri volatu nos peruenire faciat, ipſam virtutum omnium vocare Reginam: quia ſi per virtutes, quaſi per quoſdam gradus pedetentim, & non ſine magno ſudore ad Cœlum aſcenditur, dicente Dauide: *Ibunt de virtute in virtutum: videbitur Deus Deorum in Sion.* Pſal. 83. cùm abſquè labore; immò veluti abſquè medio à largitate tranſeatur ad Cęlum, dicatur, & meritò, quòd eleemoſyna virtutum Regina eſt.

Chryſoſt. — Virtutum Regina. — Chryſoſt. — Pſal. 83.

3 Quod, quàm verum ſit, ipſe Dominus declarauit; vt Matth. c. 6. refert, qui cum virtutes non paucas enumerare vellet, in capite eleemoſynam poſuit, dicens: *Cum ergò facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, vt hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus.* In qua virtutum ſerie, ſicut,

Matth. c. 6.

eut non miror, quòd pietas, velnti Regina, in capite ponatur, cùm ex charitate, quæ virtutum eſt maxima, vt ait D.Paulus 1. Cotint.13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, trium autem horum maior eſt Charitas*, originem ducat: ſie quòd particula illa; *Ergò*; poſita ſit in prima virtute, non in vltima, dicente Domino: *Cùm ergò facis eleemoſynā.* Non poſſum admiratione non affici, præcipuè noſcens ſyllogiſticum diſcurſum conelufioni illam adiungere, non præmiſſis: Cur autem ſic ſyllogiſticus ordo à ſciētiarum omnium Domino, ac magiſtro mutatus ſit, prorſùs non intelligerem, niſi me ex hac difficultate extraxiſſet D. Ambroſius, qui omiſſo, ꝙ pietas virtutum omnium poſſet dici concluſio; ait: quòd vt oſtēderet, quàm breuis Cœli via ſit Eleemoſyna, ſic incipiendum exiſtimauit: *Cùm ergò facis Eleemoſynam*: ceù ſi clariſſimis verbis diceret: ſicut in entimemate, poſt antecedens ſtatim, & abſq; vllo alio medio, ſequitur conſeqnens, ſic eleemoſinam ſtatim cœleſtis ſequitur retributio. Nō aliter rem iſtam declarauit Ambroſius citatus in Catena, cùm ait: *Omnis autem ſententia diſeiplinæ Chriſtianæ in miſericordia, & pietate eſt; ideò ab Eleemoſyna incipit, dicēs: cum ergo facis Eleemoſynam*; Quàm igitur compendioſus eſt per entimemata argumentandi modus, tàm breuis ſit per pietatem Cœli via, cùm in ipſa totius Chriſtianæ diſciplinæ cōtineatur perfectio.

1. Corinth. c. 13.

*Ambroſ. in Catena.*
Diſciplinæ Chriſtianæ initium.

4 Oculos, qui nunc ad Zachæum vertet, quærere poterit, & non immeritò, quomodò de peccatore, iuſtus; de auaro diuite, voluntate pauper; & de mundi mancipio perfectiſſimus Chriſti diſcipulus tàm citò euadere potuerit; quōd proprijs auribus audire meruit: *Hodiè huic domui ſalus à Deo facta eſt?* Luc. 19. Quod opus, quæ virtus, quis vnquā pœnitentiæ, contritioniſq; actus velocem, ac tantam obtinere potuit retributionem? Magdalenam uoui ob nimiā contritionem, multaſq; ob lacrymas, citò peccatorū ueniā impetraſſe, dicente Domino. *Remittūtur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Luc. 21. Sed de ſalutis cettitudine, quod Zachæus audiuit, nō audiuit ipſa: nā de illo proprio ore Dominus dignatus eſt dicente: *Hodiè huic domui ſalus à Deo facta eſt.* Et licèt à Gloſſa Zachęi fidei hæc ſubita tribuatur ſaluatio; & diuinæ gratiæ adſcribatur à Bonauentura. Vndè mòx citata Gloſſa explicans uerba illa; *Eò quòd, & ipſe ſit filius Abrahæ*: dixit; *Sicut Abrahā iuſſu Dei Patriam ob ſpem futuræ hæreditatis deſeruit; ſic & ipſe theſaurum in Cœlum ſpe acquirit*. Bonauentura autem de diuina graria in hūc modum locutus eſt: *Hodie huic domui ſalus facta eſt per Diuinæ gratiæ collationem, quæ data eſt ad Chriſti præſentiam, per quem dedicatur, et ſanctificatur Ecclesia.* Quæ ſi huius certæ ſaluationis potiſſimæ fuiſſent rationes, de ea non minùs ſtatim certa fieri debuiſſet peccatrix illa, quæ nec fide, nec gratia Zachęo inferior extitit. Vndè ergò in iſto tàm ſubitæ ſaluationis ſecuritas, explicat D. Laurentius Nouarienſis Epiſcopus in hom. 1. de Pœnit. hiſce uerbis: *Vidiſti elegantiſſimum documentū, vidiſti Zachæum nefas auaritiæ, eleemoſynæ imbribus expiantem? ò quàm ſingulare ſalutis compendium, erogare pauperibus!* Quid mirum, quòd citò Zachæus doctiſſimus Chriſti diſcipulus euaſit, ſi Chriſtianæ diſciplinæ compendio uſus eſt! Quis mirari poterit, quòd tàm citò ad ſalutem peruenerit, ſi breuiſſimam largitatis uiā inuenit? præcitatus Laurentius de eleemoſyna ſic ſubdit: *Eleemoſyna ſubitò conuerſum, de peccatis non ſolum purificauit; ſed etiam coronauit, et fecit de Publicano Paradiſi Ciuem*. Non ſic Magdalena, quę per fletus, per dolores, & per aſperitates longam currere uoluit mandatorum uiam; ſalutem quidem obtinuit, ſed non tàm citò; ad Regnum proculdubio peruenit, ſed poſt multos dies; coronam quidem recepit; Sed poſt multos labores, agones, atquè ſudores: quomodò non Zachæus, qui uix compendioſam pietatis aggreſſus viam, nulla interpoſita mora, audire meruit: *Hodie huic domui ſalus à Deo facta eſt*. Dicatur ergò, & meritò cum citato Laurentio: *O quam ſingulare ſalutis compendium erogare pauperibus*!

*Luc. c. 19.*

*Luc. c. 21.*
Zachæus vndè Abrahę filius diceretur?

*Gloſſa*

*Bonauent.*

*Laurentius Nouarienſ.*
Eleemoſyna ſalutis compendium.

*Laurentius Nouarienſ.*

5 Dicere nunc audeo, quòd ſicuti diſpoſita materia ſtatim introducitur forma; ſic extenſa ad inopes manu, ſtatim diuina ſequitur retributio. Cui meę ſimilitudini; de diſpoſitione, & forma, non parùm fauet, quòd altercantibus

de

Digitized by Google

*Luc. c. 22.*

de primatu diſcipulis, dixit Saluator: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.* Luc. 22. Quæ verba iuxtà communiorem opinionem explicantur à D. Bonauentura,

*Bonauent.*

cùm dicit: *Pater diſpoſuit Filio, quòd perueniret ad exaltationem per humiliationẽ; nàm infrà dicitur, nonnè hæc oportuit pati Chriſtum, & ità intrare in gloriam ſuam; ſic, & filius diſpoſuit nobis, & quantùm ad viam, & quãtùm ad patriam:* Quibus verbis dicere (ni fallor) intendebat Sanctus iſte, quòd hæc momentanea mundialis afflictio ſit via ad cœleſte Regnũ. Tamen Vgonis Cardinalis inhęrendo ſententię, qui de hac diſpoſitione ſic loquitur: *Diſpono, ideſt, præparo, conuiuium vobis in cæleſti Regno:* Eleemoſynam diſpoſitionem vocabo: quod colligo ex verbis Saluatoris, non ſimpliciter de diſpoſitione loquentis, ſed addentis, atq; dicentis: *Vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam,* quæ idem ſonant, ac ſi quis pauperes & egenos ad ſuam menſam vocabit, ſtatim ſibi cęleſte Conuiuium parari pro certò habeat; quia ſicuti diſpoſitionem forma, ſic poſt eleemoſynam, ſtatim ſequitur retributio: Cui meę expoſitioni applaudit Venerabilis Beda, cùm dicit: *Hac eſt illa, quam Pſalmus canit, mutatio dexteræ excelſi, vt qui nunc humiles gaudent miniſtrare conſeruis, tunc ſuper Domini menſam ſublimes vitæ perpetuæ dapibus alantur.* hæc ipſe.

*Vgo Card.* **Eleemoſyna cœleſtis cõuiuij diſpoſitio.**

*Beda*

6 Ego tñ ad huius veritatis confirmationem adduco locum illum Geneſ. 27. *Statimq; vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: Det tibi Dominus de rore Cæli, & de pinguedine terræ, &c. Seruiant tibi populi, & adorent Tribus: eſto Dominus fratrum tuorum.* Vbi, ſicut neceſſe eſt dicere; quòd in myſtico ſenſu, per iuſtorũ veſtimenta virtutes ſint intelligendæ, Iuxtà illud Dauidis Pſal. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Vndè Cardinalis Vgo ſuper citatum locum, ait: *Veſtimenta iuſtorum ſunt virtutes, & opera. Vndè Iſaia 49. Viuit Dominus, quia his omnibus, velut veſtimento veſtieris:* Sic per veſtem odore plurimo fragrãtem, eleemoſyna intelligenda eſt, quia licèt virtutes omnes, vt Origenes ait, ſpirent vnguenta; odor tamen earum in phialis animæ, & in vaſculis corporis claudi poteſt, & contineri, ne ab alijs percipiatur; ſola eleemoſina talis odoris eſt, quòd non poteſt, non ſentiri: quia cùm miſericordia externam reſpiciat miſeriam, in proprio corporis, animęque (vt ità dicam) vaſculo contineri nequit, ne percipiatur; ideò per veſtem redolentem, eleemoſina proculdubio intelligi debet, quod cùm verum ſit; audi nunc myſterium, quod in præpoſitis verbis ante latebat. Cęcutiens Iacob, vt ſentit veſtimentorum fragrantiam, nulla interpoſita mora, filium benedixit: quia vt Deus largitatis, pietatis, & eleemoſinę ſentit odorem, in Eleemoſynarijs, velut in diſpoſita materia, benedictionis (ſi fas eſt dicere) ſtatim formam introducit. Vndè citatus Vgo ſic concludit: *Horum veſtimentorum ſtatim, vt Deus ſentit fragrantiam, dicit. Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, &c.* Et ità concludi poteſt, quòd nimis compendioſa Cœli via ſit eleemoſyna: quia ſicut in diſpoſita materia ſtatim introducitur forma; ſic poſt ipſam ſtatim diuina ſequitur retributio.

*Gen. c. 27.*

*Pſal. 44.*

*Vgo Card.* **Redolentes Eſau veſtes virtutes ſignificant, & præcipuè eleemoſynã.**

*Vgo Card.* **Eleemoſyna virtutum fragrantia.**

7 Sed quid dico de diſpoſitione, & forma? Rem dicam longè maiorem, & eſt; quòd tàm bræuis Cœli via eſt Eleemoſyna, quòd antequàm iter aggrediatur, ad terminum peruenitur, & finem: & (uno ut dicam uerbo) non largitatis opus, ſed ipſa largiendi à Deo remuneratur intentio. Ad cuius dicti probationem non parùm faciunt uerba illa à Saluatore diſcipulis intimata. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum: vendite, quæ poſſidetis, et date eleemoſynã.* Luc. 12. Quæ uerba non paruam pariunt difficultatem: quomodò priùs tribuatur Regnum, quàm pietatis exerceatur opus, cùm certum ſit, quòd per uirtutes, ueluti per longam uiam ad Regnũ perueniatur, dicente Dauide: *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorũ in Sion:* Ergo priùs dicere debebat: uendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam; & poſteà: complacuit Patri ueſtro dare uobis Regnum: & non ante uiam, terminum; & ante congreſſum uictorię coronam tribuere: Et licèt de prædeſtinatio-

*Luc. c. 12.*

*Pſal. 83.*



natio-

Digitized by Google

natione, ordine intentionis hìc loquatur Saluator; quæ non ex meritorum præuiſione, ſed ex mera Dei complacentia, atquè pietate ortum habet; iuxtà illud Pauli de Eſaù, & Iacob ad Rom. 9. *Antequam aliquid mali, aut boni egiſſent, non ex operibus, ſed ex uocante, dictum eſt eis Iacob elegi, Eſaù autem odio habui.* Aliam tamen, ſi licet afferre expoſitionem, hæc erit: quòd inter alias virtutes, & pietatem, hæc differentia eſt; quia per cæteras virtutes acquiritur Regnũ: ſed priùs virtutis actus exerceri debēt, per quos veluti per laborioſam uitam peruenitur ad Patriam. Vndè dicere ſolebat Paulus 2. Tim. 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruari, in reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ.* Attamèn largitas ergà pauperes, ſic Deo grata eſt, vt ipſum largiendi propoſitum remuneretur ab ipſo: vndè, vt quiſqnam de pietate conſultauit, ſtatim diuina ſequitur retributio, quòd ipſe Dominus his verbis dignatus eſt dicere: *Complacuit Patri ueſtro dare uobis Regnũ: uendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam:* ac ſi diceret: complacuit Patri veſtro pietatis, vt aliquarum virtutum non expectare opera, ſed ipſam charitatis intentionem remunerare: proindè priuſquàm veſtra uenderetis, ut ea pauperibus erogaretis, Regnum vobis cæleſte concreditum eſt: Audiendus eſt nunc Chryſologus, ex quo expoſitionē iſtam deſumpſi, qui in ſerm. 2. de terrenorum cura deſpicienda, hęc ait: *Poſt tantam ergo Dominus largitatem, poſt ſuam gratiam tibi copioſiùs collatam, abiecta, & nilia peculia, ſeruitutis iubet abyeere regnaturum.* Mirabilem hanc eleemoſynæ uim, qni conſiderabit; quomodò pietatem ergà pauperes compendioſam Cęli uiam non uocabit? & demùm (ne in lougum ſermonem protraham) ſi ſolo largiendi propoſito ad id peruenitur, ad quod poſt longa tempora, & non ſine multis ſudoribus, tandèm perueniunt alij, quomodo cum Diuo Laurentio Nouarienſe Epiſcopo non clamabimus: *O quàm ſingulare ſalutis compendium erogare pauperibus!*

*Ad Rom. cap. 9.*

Inter pietatē erga egenos, & alias virtutes differentia.

*2. ad Timot. c. 4.*

*Chryſol.*

Non tātùm largitatem, ſed largiēdi propoſitum remunerat Deus.

*Nouarienſ.*

## Ibunt hi in ſuppliciũ æternum: Iuſti autem in vitam æternam. Matt. 25.

### §. IV.

*Inter ipſos extremi Iudicij rigores, etiàm diuina elucebit pietas, quæ ſicut miſericordiæ dilatabit, iuſtitiæ ſic extenuabit effectus.*

1 MVltum nituntur multi, vt notum faciant, quòd ſicut Dei miſericordia iuſtitiam nunc in effectibus excedit, ſic in Iudicio cùm illa pari paſſu inceſſura ſit: vndè ſicut in præſētiarum iuſtorum præmiũ vocatur æternum, ſic iniquorum ſupplicium ſine cariturum, dicitur; ſcribente Euangeliſta. *Ibunt hi in ſupplicium æternum: Iuſti autem in vitam æternam.* Super quæ verba Brugenſis ait: *Oppoſuit æternum æterno ſupplicium vitæ, hinc æternum fore ſignificans ſupplicium, quàm vitam:* Et Auguſtinus in capit. 112. Enchir. contrà Priſcillianiſtas: *Vtrumquè ſine fine dictum eſt, & æternum.* Quod prophetali oculo pręuidit Dauid, quùm clamauit: *Miſericordiam, et Iudicium cantabo tibi Domine.* Pſal. 100. Perindè ac ſi manifeſtè diceret: miſericordiam tantùm, Domine, cano pro nunc, quia ipſa, noſtris hiſcè temporibus, plena eſt terra, in Iudicio autem vtrumquè cantabo; quia tunc vna non magis apparebit, quam alia: idcircò cātabo dico, non canto. Quę verba conſiderans Bernardinus Senenſis. tom. 2. ſer. 13. art. 3. cap. 4. dixit: *Non eſſet completa laus, nec gloria Dei (quæ nihil aliud eſt, quàm ſublimis, clara, & lata illius fama) ſi non eſſet ei perpetua laus, & gloria de iuſtitia, quemadmodùm de bonitate, & miſericordia: Complebit igitur tunc opera iuſtitiæ ſuæ, ſicut, & miſericordiæ: ideò complebuntur laus, & gloria eius, quam diximus ex vtriſque: vndè rectè Dauid: miſericordiam, & iudicium cantabo.* Ego tamèn, ex aſſumptis pro themate verbis, colligo, quòd etiam in Iudicio piſſimus Iudex, quàm ergà iuſtos miſericordiam dilatabit, tàm iuſtitiam contrà iniuſtos, quò

*Brugenſis.*

*Auguſt.*

*Pſ. 100.*

*Bern. Senen.*

Miſericordia, & iudicium pari paſſu ambulabunt.

quo ad fieri poterit, coarctabit; quod videre eſt in verbis illis: *Ibunt hi:* quibus (ni fallor) dicere intendebat Matth. Et ſi primo intuitu ſeueriſſimus appareat Iudex iſte, nihilominùs adeò reſtrictus eſt in ſupplicijs, vt illa non ſuper iniquos, nec ſuper iniquorum nomina; ſed ſuper vnam ſillabam, immò ſuper vnã tantummodò litteram ex tali nomine deſumptam (cùm, H, littera non ſit) ſi fieri poſſet, effundere vellet: ea propter non dico: ibunt iniuſti, vel iniqui: ſed, ibũt, *Hi*, in ſupplicium æternum: miſericordiæ autem, quia veluti aquę copiã facit, electorum nomina, non vt reproborum extenuo; ſed apertè dico, & iuſtos clarè nomino, dicendo: *Iuſti autem in vitam æternam.* Cui meæ expoſitioni non parùm fauet D. Ambroſ. lib. 1. de penitentia cap. 2. quùm ajt: *Quàm propenſus igitur ad miſericordiam ſit Dominus Ieſus, iſta ſatis inſtruunt:* & paulò infrà: *Quod enim eſt miſerationis exagerat, quod eſt vltionis extenuat.* Quàm autem hoc verum ſit, quòd etiam in Iudicio pijſſimus Dominus, ſicuti pietatem dilatabit, ſic iuſtitiam extenuabit: ſelectis ſacræ ſcripturæ locis probare ſtudebo:

*Ambroſ.*

Deus quod eſt miſericordiæ exagerat, quod eſt vltionis extenuat.

2 Diuinam miſericordiam in effectibus, iuſtitiam in præſentiarum excedere, nulli, puto, dubium eſſe: quod cecinit Dauid, cùm ait: *Miſericors Dominus, et Iuſtus, & Deus noſter miſeretur.* Pſal. 114. vbi, vt benè annotauit Ambroſ. Bis Dauid miſericordiam poſuit, ſemel iuſtitiam, vt Miſericordiam pro nunc in effectibus Iuſtitia elucentiorem oſtẽderet: quod etiam declarauit D. Iacobus in 2. Canonica his verbis. *Superexaltat autem miſericordia iudicium:* quę Iacobi ſententia, & ſi diuerſimodè à ſacræ ſcripturæ expoſitoribus explicetur; iuxtà tamen Carthuſiani expoſitionem explicari ſic debet: *Superexaltat miſericordia iudiciũ .i. tranſcendit, & magis apparet in operibus Dei miſericordia eius, quã rigor iudicij, præſertim in vita hac, iuxta illud Pſalmiſtæ; ſuauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* hæc ipſe ibid. art. 4. Ex quo Dominum calumniandi occaſionẽ deſumere præſumebant nonnulli, quando adulteram apud eum accuſabãt, dicentes: *Hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio.* Ioannis. 8. & ipſum, vt legis tranſgreſſorem criminari

*Pſal. 114.*
*Ambroſ.*

*Iacobus in 2. Can.*

*Carthuſ.*

*Ioan. c. 8.*

poſſe putabant, quando legis præcepta promebant, dicentes: *Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare: tu ergò quid dicis?* Quia exiſtimabant iniqui, quòd cum nimis pius eſſet, non mortis, ſed veniæ prolaturus eſſet ſententiam; et ſic maximè pium, impiè accuſare ſperabant: vndè Euſebius Emiſſenus dixit: *Sciebant enim miſericordem, et piũ eſſe; vndè eum potiùs ad miſericordiam, et pietatem, quàm ad legis verba attendere ſperabant, quod ſi feciſſet, illicò accuſare volebant:* Ecce quomodo tũc ab ipſis inimicis agnoſcebatur, quòd nũc ab Eccleſia canitur: *Deus, cui propriũ eſt miſereri ſemper, et parcere.*

*Euſeb. Emiſſ.*

Deus ad miſericordiam potius; quã ad vindictã pronus.

3 Verumtamèn quid magnum de diuina pietate diceretur, ſi nunc tantũ iuſtitiam in effectibus excederet, et in Iudicio nequaquàm: proindè dicam, verumquè me dicere exiſtimabo; quòd nedum nunc, ſed etiam inter ipſos extremi Iudicij rigores diuina magis elucebit pietas, extenuando iuſtitiæ opera, miſerationis autem exagerando. Ad cuius dicti probationem, omiſſa communi omnium Theologorum ſententia; quòd Deus cum iuſtis excedit condignum, non autem cum reprobis, quos ex eorum opinione citrà condignũ punit. Vndè Cardinalis Vgo, ſuper verba illa Iacobi: *Superexaltat autẽ miſericordia Iudicium:* dicit: *Vtrumquè enim facit Deus ex miſericordia, et ſuprà condignum remunerabit bonos, et citrà condignum puniet malos:* tamen ex multis ſacræ ſcripturæ locis, idipſum optimè probari poſſet, et precipuè ex illo Matt. 10. vbi Euãgeliſta Saluatorem ad Diſcipulos, necnon ad omnes Martyres, ſic deſcribit, dicentẽ: *Omnis, qui cõfitebitur me coràm hominibus, confitebor et ego eũ coràm Patre meo: ſi quis autem negauerit me coràm hominibus, negabo et ego eum coràm Patre meo: In die ſcilicet Iudicij.* ait Brugenſis. Ex qua promiſſione, ſatis difficilis de quantitate propoſitionis oritur quæſtio: cur is, qui priùs propoſitionem vniuerſalem formauerat, particularem poſtea addidit, dicendo: *Si quis negauerit me coràm hominibus?* cur, inquam, de confitentibus, et negantibus non vniformiter, ſed diuerſimodè ſic loqui voluerit? Magna poſſet eſſe difficultas, niſi ex dictis pateret, quòd etiam in ipſo ſupremi Iudicii die, quàm miſericordiam dilata-

*Vgo Card.*

Deus punit citra condignum.

*Matt. c. 10.*

*Brugenſis.*

bit, tàm iuſtitiam quò fieri licebit coarctabit: et quia prima propoſitio, ad pietatem ſpectabat; ideò eam ſcientiarum Dominus vniuerſalem formare voluit; ſciens, nullam aliam inueniri hac ampliorem; quia vt Philoſophus ait: Propoſitio vniuerſalis fit per, *dici de omni*, vel per, *dici de nullo*: et tunc nihil eſt ſumere ſub ſubiecto, de quo non dicatur prædicatum: ſecundam verò; quia ad negationem, ad iuſtitiam, atquè vindictam pertinere videbat; ideò eam ad particularitatem reſtrinxit; vt ſicut pietatem, quantùm poterat dilatabat, omnes vniuerſaliter amplectendo, ſic iuſtitiæ temperaret rigorem, eum etiam in Iudicio ſuper vnum tantùm (ſi fieri poſſet) effundere volens, non ſuper plures; quod luculentèr nimis cõfirmauit Ambroſius lib. 1. de pœnitentia c. 2. ſequẽtibus verbis: *Vbi confitetur pro omnibus confitetur, omnes complectitur; ubi negat, non omnes negat: gratiam promittit omnibus, non omnibus minatur iniuriam: quod eſt miſerationis exagerat; quod eſt ultionis extenuat*. hæc ipſe.

*Philoſoph.*

*Ambroſ.*

In iudicio finali cum impiis aliquali miſericordia vtitur.

4 Non minor hac modo dicta, ſi deſideratur probatio, idem legatur Matth. c. 25. vbi de ſupremo Iudicio loquens, ait; quòd tunc quando cunctorum opera proferri debent ad lucem, piſſimus Iudex, ſicut Iuſtorum prædicabit beneſacta, ſic iniquorum ſcelera coràm omnibus reuelabit: ſed cum hoc diſcrimine, quòd Iuſtorum virtutes diſtinctè, et diffusè indicabit dicendo: *Eſuriui enim, et dediſtis mihi manducare: ſitiui, et dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, et collegiſtis me: nudus eram, et cooperuiſtis me: infirmus, et uiſitaſtis me: in carcere eram, et ueniſtis ad me*: Iniuſtorum autem maleſacta, non ſic diſtinctè, ſed tranſitoriè; nec ſic diffusè, ſed breuitèr narrabit, dicendo: *Eſuriui, et non dediſtis mihi manducare etc. Infirmus, et in carcere, et nõ ueniſtis ad me*. Quæ verba Origenes cõſiderans trac. 34. in cap. 25. Matt. Et præcipuè verba illa, in quibus huius meæ ꝓbationis eſt vis, *Infirmus, et in carcere*, quæſtionẽ mouet: cur ad iniquos, ſicut ad iuſtos, nõ diſtinctè dicturus eſt: infirmus erã, & non viſitaſtis me; in carcere eram, & non veniſtis ad me: ſed ſic tranſitoriè dicit: Infirmus, & in carcere, & non veniſtis ad me: quùm ait: *Conſidera, quòd immoratur in vnoquoque verbo loquens ad Iuſtos, & laudans eos, & per ſingulas ſpecies eorum beneſacta dinumerat: loquens autem ad iniuſtos præcidit compendians, & concolligans eorum maleſacta in breue, ideſt Iuſtis quidèm de infirmitate dicit: Infirmus fui, & uiſitaſtis me: ſeparatim autem de Carcere; in carcere fui, & ueniſtis ad me: ad iniuſtos autem, cum potuiſſet ſimiliter facere, præcidens narrationem, ſubunauit vtrumquè dicens: Infirmus fui et in Carcere*. Verùm, ſi quis difficultatis iſtius ſolutionem optat audire, ipſum audiat Origenem, ad pręſens noſtrum inſtitutum excedentem omnem humanam ſubtilitatem: cuius verba ſunt hæc: *Miſericordia Iudicis erat, beneſacta quidem hominum largiùs prædicare, & ampliare: maleſacta uerò eorum tranſitoriè memorari, & abbreuiare*. ibidem. ac ſi diceret: nullus miretur, nullus deinceps quęrat, cur ſic diuerſimodè iuſtorum, & iniquorũ facta ſint enumeranda, & opera: quia prima narratio, cùm pietatis ſit opus, ampliabitur, & vt fas eſt dilatabitur: ideò nimis diſtinctè ſingulæ iuſtorũ prædicabuntur uirtutes: ſecũda autem narratio; quia ex rigore, atque iuſtitia procedit abbreuiabitur, coarctabitur, & meritò præcidetur; vt ex ipſius narrationis reſtrictione, atque præciſione, etiam tunc in ſupremo iudicio iuſtitiæ intelligatur reſtrictio, ex quo vera agnoſcitur Ambroſij aſſertio; quòd: *Quæ ſunt miſerationis, exagerat; quæ ſunt vltionis, extenuat*.

*Matt. c. 25.*

*Origen.*

Deus beneſacta amplific. maleſacta abbreuiat, etiam in iudicio.

5 Cæterùm in Iudicis verbis perſiſtẽdo Origenes, vlteriùs quærit in tract. citato: Cur pauperes, quos priùs fratres vocare nõ dedignabatur, minores poſtea nuncupabit, non fratres? nàm cum iuſtis loquens, eorumq́. volens pietatẽ extollere, dicentibus illis: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te?* Reſpondebit ipſe: *Amen dico vobis; quamdiù feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*; Ergo pauperes, nũc fratres vocat? proculdubio ità: poſtea verò de inhumanitate, ac ſceleribus ſe excuſantibus iniquis, atque dicentibus: *Domine, quando te vidimus eſurientẽ, aut ſitientem, & non miniſtrauimus tibi?* Reſpondebit ipſe: *Amen dico vobis, quãdiù non feciſtis vni de minoribus his; nec mihi feciſtis*. Ecce quomodo, quos priùs fra-

*Matt. c. 25.*

Pauperes cur quandoquè fratres, quandoquè minimos in iudicio Chriſtus vocabit.

tres vocabat, nunc appellat minores: ſed non ab re quidèm; immò, vt Origenes ait; ſummo Dei conſilio hoc fiet, vt dilatata pietate coanguſtetur iuſtitia: ideò cum iuſtis loquens, egenos, fratres vocare dignabitur, vt iuſtorum miſericordiæ opera magis laudẽtur, præmioquè maiori ſint digna, cùm non erga pauperes ſimpliciter, ſed erga Chriſti fratres agnoſcantur impenſæ: iniquos autẽ redarguens, panperes, non vocabit fratres; nè cùm impietas erga fratres ſit grauior, grauiori ſint pœna multandi; ſed potiùs minores vocabit, vt minores, & ipſi luere teneãtur pœnas, quæ fuit Origenis expoſitio, dicentis: *Volens enim iuſtorum benefacta oſtendere grandia: peccatorum autem culpas, non grandes; ad iuſtos quidèm dicit: ex eò quòd feciſtis vni ex minoribus iſtis fratribus meis, mihi feciſtis: ad iniuſtos autem non adiecit fratribus meis, quemadmodum, cùm loqueretur ad iuſtos.* Magnum profectò diuinæ pietatis indicium, iniquorum culpas non magnas vocare, ne ipſe magnum teneatur inferre ſupplicium! Quia ſicut miſerationis opera exagerare, ſic vltionis in ipſo etiam iudicii die extenuare cupit & ſtudet.

*Origen.*

Etiam in iudicio culpas extenuat, & bona exagerat Deus.

6 Deniq. vt huius rei multas omittam probationes, ex Iudicis humanitate, dicente ipſo Indice: *Cùm venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ*: quis iudicij non colliget humanitatem; nàm vt obſeruauit D. Bernardus ſuper verba illa Ioannis. 5. *Pater omne iudicium dedit Filio, quia filius hominis eſt.* ſer. 73. in Cant. Ideò Pater Filii humanitati poteſtatem tribuit iudicandi, vt humanitèr, miſericorditerquè iniquos citrà condignum puniret: Bernardus loco citato: *Deniquè ipſe Pater dedit Filio iudicij poteſtatem, & non quia ſuus, ſed quia Filius hominis eſt: ò verè Pater miſericordiarum, qui vult per hominem homines iudicari*: & paulò ſuperiùs. *Vult itaquè eum cum poteſtate venire, non tamen in forma Dei in iudicio apparere; ſed ſanè in ea, qua non modo natus, ſed & paruulus natus eſt nobis; idquè ſolo de infirmiori fœmineo ſexu; cur hoc? nempè, vt ex vtroquè admoneatur infirmo miteſcere in die iræ; memineritquè in iudicio miſericordiam ſuperexaltare iudicium.*

*Ioan. c. 5.*

*Bernar.*

Iudicabit in forma hominis ob miſericordiam.

7 Ex quibus omnibus concludo, quòd ſi multa de iudicij terribilitate, ac Iudicis ſeueritate ſcribũtur: vndè Theodoretus verba illa, *Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes eius turbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, et genua eius ad ſe inuicem collidebantur*, Daniel. 5. conſiderans, dicere ſolebat: *Si digitorum ſcribentium ſpecies, ità perterruit eum, qui maximum adminiſtrabat Regnum, vt etiam articulorum compages præ metu diſſoluerentur, & artus tremore occupati concuterentur, quid non ſuſtinuiſſet Deo infenſus, ſi præſteres, ideſt, fulminis genus, aut fulmina conſpexiſſet, aut Angelos toruè intuentes, & nouo figuræ habitu deterrentes, quorum conſpectum, nec ingens quidem Daniel abſquè metu ferre potuit?* A qua conſideratione non diſcedit Gregorius locũ explicans illum: *Quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Iob 26. dùm ſic ait: *Si humilitatem eius admirandam vix ferimus, horrendum, atque terribilem Maieſtatis eius aduentum, qua uirtute tolerabimus? Hunc tonitruum aduentus illius, etiam Pſalmiſta inſinuat dicens: Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, et non ſilebit: ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida.* lib. 17. moral. cap. 26. ſuper 21. Iob. Et lib. 1. in Euang. hom. 12. *Penſate, fratres chariſſimi, ad conſpectum tanti Iudicis, qui in illo die terror erit, quando iàm in pœna remedium non erit, quæ illa confuſio cui reatu ſuo exigente continget, in conuentu omnium Angelorum, hominumquè erubeſcere: qui pauor eum, quem, & tranquillum mens humana capere non valet, etiam iratũ videre?* Si tanti Iudicis rigorem, etiam Sancti timere ſi poſſent, pertimeſcerẽt; vt benè colligit Chryſoſtomus ex verbis illis virginum prudentum: *Ne fortè non ſufficiat nobis, & vobis: ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.* Matth. 25. vbi, *Oſtẽdit* (ait ipſe hom. 52. & cap. Matth. 25.) *in his verbis, quòd ità futurum eſt terribile iudicium, vt nulla innocentia ſibi confidat: & verè quis eſt homo, natus de muliere, qui credit iuſtum eſſe inueniendum in conſpectu illius, de quo Beatiſſimus Iob dicit: ſtellæ in conſpectu eius non ſunt mundæ?* Si Cœli columnæ quatientur, virtutes Cœlorũ mouebuntur, & Angeli ipſi (ſi fieri poſſet) timerent, vt ait Bernardinus Senẽſis in expoſitione ſuper Apocalyp. c. 14. *Quantus tunc erit timor, & terror quantus, quantus fletus, & gemitus! nàm ſi Columnæ Cœli contremiſcunt, & paueſcunt aduentum*

*Daniel. c. 5.*
*Theodoret.*

Finalis iudicii ſeueritas.

Digitorum Dei terribilitas.

*Iob. c. 26.*
*Gregor.*

*Gregor.*

Iudicis æterni rigor.

*Matt. c. 25.*
*Chryſoſt.*

*Bern. Sen.*

*eius;*

*eius;Et Angeli pacis amarè flebunt, peccatores quid facient? Si iuſtus vix ſaluabitur, impius,& peccator,vbi parebunt? Propterea clamabat Propheta: non intres in iudicio cum ſeruo tuo Domine*. Et deniquè ſi æterna damnatione conterit peccatores,dicendo: *Ite maledicti in ignem æternum*.Matth.25. Quam ſententiæ terribilitatē aliquātillùm explicat præfatus Bernardinus.fer.2.poſt 1.Dom.Quadr. ſerm.11.art.2.q.3.de punitione malorum,dùm flens hūc clamat in modum: *O verbum horrendum,ò verbum tremendū, ò uerbum pauendum, pertingens uſque ad diuiſionem animæ à fonte omnium bonorum Deo,ò uerbum compagum, atque medullarum,& omnium interiorum cordis, & corporis concuſſiuum! ò Deus, quis nouit poteſtatem iræ tuæ,et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Et tamen cum his omnibus, vt commune Theologorum eſt axioma, citrà condignū punire dicitur,vt (omiſſis cæteris) benè explicat Carthuſianus ſuper locum illum: *iudicium fiet ſine miſericordia* Iacob.ep.2.*Dicunt Doctores,& ſuper 4.ſentent. declarant, quòd in omni opere Dei miſericordia, & iuſtitia commiſcentur,ità quod etiam reprobi citrà condignum in infernis puniuntur*. Qua pœna multandi eſſent reprobi,ſi iuxtà delictorum exigentiam abſque vlla miſericordia eos puniret, tibi conſiderandum relinquo.

*Matt.c.25.*

*Bern. Sen.*

Damnatorū ſententia quàm horribilis.

*Iacob.ep.2.*
*Carthuſian.*

FERIA

Digitized by Google

# FERIA TERTIA
## POST DOMINICAM PRIMAM
### QVADRAGESIMAE.

**Cùm intraſſet IESVS Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa Ciuitas, dicens: quis eſt hic. Matt. 21.**

## §. I.

*Clara nimis cùm ſit virtus, Præcone non indiget, vt clareſcat, ſed quò magis ob humilitatem abſcōditur, eò magis ſplendeſcere conſueuit.*

*Matt. c. 5. Chryſol.*

1 Diſertiſſimus ille Chryſologus ſer. 9. ſuper illud Matt. 5. *Attendite, ne iuſtitiam ueſtram faciatis coràm hominibus*, virtutis extollens prçconia, in hũc loquutus eſt modum: *Qui poteſt velare radios Solis, iuſtitiæ poterit occultare fulgorem, iuſtitia lux rerum concilijs non velatur obſcuris, iuſtitia cùm ſibi facto claret, omnes illuſtrat exemplo:* quod virtutis encomiũ (vt reor) ex moraliſſimo Seneca deſumpſit, qui de remediis fortuitorum loquens, virtutem ſic extulit: *Bonum, quod eſt, ſupprimitur, ſed nunquam extinguitur, bona fama in tenebris proprium ſplẽdorem tenet:* & ità proculdubio eſt, quia verum cùm ſit, quod Sap. cap. 6. ait: *Clara eſt, & quæ numquam marceſcit ſapientia;* ſupprimi quidem poteſt, & deprimi; abſcondi autem nequaquàm: immò vt clariſſima lux, quantò ob humilitatem à iuſtis ſolet abſcondi, tantò lucidior, atq; micantior apparere cõſueuit, quod & Camerarius his cecinit carminibus.

*Iuſtitiæ lux velari non poteſt.*

*Seneca.*

*Sap. c. 6.*

*Camerar.*

*Pulchra ſuis, veluti eſt volucris Iunonia pennis,*
*Sic virtus proprio lumine clarè nitet.*

Cuius rei ſi nulla alia extaret probatio, pro ſatis commodo argumento deſeruire poſſent, quæ hic de Saluatore narrat Matthæus, quòd vix Ieroſolymam ingreſſum, admirati vniuerſi, obſtupẽtes cuncti, quçrere cœperunt, & dicere: *Quis eſt hic?* Vel, vt Ioannes Ferus legendum putat: *Quantus eſt hic, qui melior homine eſt?* Sed bone Deus! Si nullum tunc oſtẽdebatur ſignũ, nullum patrabatur miraculum; Si nullius tunc (vt concludã) virtutis à virtutũ Domino fiebat oſtenſio; Immò, quod maius eſt, ſi ſanctitatem, quam ſemper docuerat eſſe tegendam, tunc prçcipuè & ipſe abſcondebat; quarè ex omnium ore tanta perſonabat laus? Vndè tàm ſublimis oriebatur cognitio? An quia fulgoris talis eſt virtus, quòd vt clariſſima lux occultari nullatenus poteſt; immò quantò maiori ſtudio abſcōditur; tantò maiori ſplẽdore clareſcit? Ità ſanè: quod & declarauit Origenes in catena citatus, quùm ait: *Quando intrauit Ieſus Ieroſolymam, veterani admirantes virtutes cæleſtes, dicebãt: quis eſt iſte Rex gloriæ?* Ecce quomodò, tacẽte lingua, loquebatur virtus, & clauſo ore, tuba clariùs perſonabant opera, & nil mirùm, talis cùm ſit virtus, quòd, non modò nõ laudata, ſe laudat, verùm etiàm vt clariſſima lux, ſic occultari nõ poteſt, vt apparere nequeat & videri: quòd clariùs ex ſequentibus patebit.

*Ioan. Ferus.*

*Origenes.*

Tacente lingua, clamat virtus.

2 Quotiès in Euangelio Dominum de virtute loquutum fuiſſe reperio; penè toties illam eſſe tegẽdam, ne humanis oculis videatur, docuiſſe, intelligo: vt patet ex multis ſacræ ſcripturæ locis: ſed vt reliquos omittã; ex illo Matt. 6. *Attendite, ne iuſtitiam ueſtram faciatis coràm hominibus, ut uideamini ab eis.* Et hoc quidèm, ſic ſtrictè pluriès præcepit, ut addere non timeam, quòd non ſolum ab alijs, ſed à ſe ipſo ſi fieri poſſet, virtuoſus virtutis opera deberet abſcõdere; iuxtà illud: *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua id, quod facit dextera tua.* Vbi Chryſoſtomus in catena citatus ait. *Hoc autem per ſuperabun-*

*Matt. c. 6.*

*Chryſoſt. in Cat.*

dan-

*dantiam dicitur, ac ſi dicat: ſi poſſibile eſt te ipſum ignorare, & ipſas manus latere poſſibile eſſet, ſtudendum eſt tibi;* cuius iuſſionis ratio; cur videlicèt tàm ſedulò, virtus præcipiatur abſcondi: communiter redditur à Sanctis Patribus, & eſt; vt humilitatem ſectemur: quæ in virtutum oſtenſione ſeruari minimè poſſet. Aliã tamen ſi mihi liceret afferre, hæc eſſet; vt in omnibus, ſeruata ſemper humilitate, etiam in ipſa abſconſione virtus clarior appareat, abſcondi iubetur; quod ſi tibi difficile videtur, naturam boni in mentem reuoca, quæ talis eſt, vt quò ob humilitatem abſconditur, eò clariùs nitet: igitur virtus ideò iubetur abſcondi, vt ſeruetur in abſcondendo humilitas; & vt inter humilitatis nebulas, virtus, vt clariſſima lux, magis ſplẽdere poſſit, & videri: Quod declarauit Elias Cretenſis commen. in oratione 19. Nazianzeni; cùm ait: *Vt generalitèr loquar, in diuini cultus negotio, hoc eſt, vt nihil in ipſis ad artem, et oſtenſionem comparatum ſpectetur; quippè cùm ipſa uirtutis natura eam uim habeat, ut ſui cultorem, etiam latere ſtudentem, conſpicuum reddat.* Ergò quæſtuoſa res eſt dicenda virtutis abſconſio, cùm propter ipſam virtus magis videatur, & niteat.

*Elias Creten. in Nazianz.*

Virtutis cultor diſcooperitur, dum latere ſtudet.

3 Quam veritatem, quòd videlicèt, quùm tegitur virtus, tunc maximè detegatur (ni fallor) cecinit Regius Vates in Pſal. 91. quando de Iuſtis loquẽs, ait: *Plantati in domo Domini in atrijs Dei noſtri florebunt:* quomodo autẽ, qui plantatus eſt in domo, florere poſſit in atrio, non facilè percipitur ab eo, qui atrium à domo differre agnoſcit; cùm certum ſit, quòd vbi plantatur arbor, ac radices figit, ibi flores, fructuſquè producit: nec enim alibi eſſe, & alibi florere poteſt; ſed vndè humorem trahit, ibi eſt, ibiquè nõ alibi florere neceſſe eſt. Quomodò ergo verificari poſſit, quòd plantatus in domo, floreat in atriis; difficilè vt dixi percipi poſſet, niſi Vgo de Sãcto Victore hanc difficultatem explicaret, dicendo; quòd ſicut per domum Eccleſia, ſic per atrium mundus, intelligi debet; vt ſit ſenſus: iuſtus, qui ſecretè in Eccleſia, veluti in quodam clauſo pomario flexis in terra genibus, vt plantata arbor, iugiter perſeuerat, iuxtà illud Matth. 6. *Cùm oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito:* florebit in atrio, ideſt, laudabitur, prædicabitur, totumquè extolletur per orbem propter virtutis odorem, qui cùm clauſus contineri non poſſit, quò ob humilitatem à iuſto ſtudetur abſcondi, eò à mũdo hoc agnoſcente, extollitur: præfatus Vgo hiſce verbis: *Mirum, quòd plãtatur in domo, floreat in atrio: ſed fortaſſe per fidem plantatur iuſtus intùs, & per exẽplum boni operis floret exteriùs.* Ecce quomodò tecta detegitur virtus, quæ quantùm humanos oculos, & ora fugit, tantùm videtur ab omnibus, & laudatur à cunctis.

*Pſal. 91.*

Plantatos in domo, in atriis florere, quomodo intelligẽdũ.

*Matth. c. 6.*

*Vgo de Sancto Victore.*

Tecta detegitur virtus

4 In terminis viſa res eſt, quòd plãtatus in domo, floreat in atrio, in Saluatore, cui ſat non fuit ſurdum, & mutum, quem curare diſpoſuerat, è turbarum medio ſublatum, in ſecretum locũ adducere, vt ait D. Marcus c. 7. *Et apprehendens eum de turba ſeorſùm, miſit digitos ſuos in auriculas eius:* Verùm etiam ferè, non priùs ſanitati reſtituit, quàm & ei, & alijs aſtantibus, ne patratum miraculum publicarent iniunxit: *Statim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè, & præcepit illis, nè cui dicerent.* Vides quanta ſollicitudo abſcondendi virtutem: Sed quid indè? audi Euangeliſtam. *Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plùs clamabãt; & eò ampliùs admirabantur, dicentes: benè omnia fecit; nàm & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Ecce quomodò plantatus in domo, florebat in atrio: quia occultata virtus prædicabatur magis; nec ſine multa ratione, qui rem ſcripſit, non ſimplicitèr ait: *Tantò magis plùs prædicabat: ſed etiam eò ampliùs admirabantur:* quia vbi priùs miraculi tantùm erant Præcones, viſa posteà Domini in occultando humilitate, ampliùs hoc, quàm miraculum ſtupentes, clamare cęperũt: *Benè omnia fecit:* Perindè atq; ſi dicerẽt: quia nõ tñ vnum ſignũ oſtẽdit; ſed duo ſimul; quia non vnum, ſed duo miracula fecit: primum in operando: ſecundũ in abſcondendo: ob id non ſimplicitèr dicimus: Benefecit; ſed addimus; omnia: *Benè omnia fecit:* quia videlicèt; & ſurdum fecit audire; & quia tantum miraculũ ſtuduit occultare. Quod eximiè declarauit Euſebius Emiſſenus, ſequentibus verbis: *Quid eſt hoc, quare eis*

*Marc. c. 7.*

*Euſebius Emiſſenus*

Do-

Plus laudatur, qui laudari renuit. *Dominus hoc præcipiebat, vndè eos inobedientes fore ſciebat? nobis fratres, nobis ſiūt iſta: ad oſtendendum, quòd plus laudantur illi, qui facta ſua abſcondere volunt, quàm illi, qui ea pro vanagloria manifeſtare contendunt: Vnde Beatus Iob dixit, quòd laus hypocritæ ad inſtar puncti*. hæc ipſe. Quibus ad præſens inſtitutum nihil acutius dici poterat, quàm hoc, quòd in atrio magis floret, qui plantatur in domo, quàm qui radices figere ſtudet in atrijs: Cùm plus laudentur illi, qui facta ſua abſcondere volunt, quàm illi, qui pro vanagloria ſe manifeſtare cōtendunt.

5 Hinc fortè dicere conſueuit Saluator: *Sic luceat lux veſtra coràm hominibus, vt videant opera ueſtra bona, & glorificent Patrem ueſtrum, qui in Cælis eſt*. Matth. 5. claré (ni fallor) dicere volens: ſi virtus nequaquàm ità abſcondi poteſt in domo, quin clariùs ſemper fulgeat in atrijs; fulgeat quidem, &, vt clariſſima lux, videatur à cunctis, cùm aliter prorſus fieri nequeat. Quod tamen omni ſtudio debetis quærere, eſt, vt totam virtutis laudem, non vobis, ſed virtutum tribuatis Auctori, vt glorificetur Pater ille, qui hæc mirabilia operatur, non vos. Ad cuius expoſitionis confirmationem, audiendus eſt Chryſoſtom. qui homil. 15. in cap. Matth. 5. ad Dominum, qui alibi virtutes iubet abſcondi, in hunc loquitur modum. *Quid igitur ad oſtentationem nos uiuere, atq; ad gloriæ amorem iubes? Abſit.* Tāquàm ſi diceret: ſi nunquàm iuſtitiam oſtendere; ſi de ſāctitate nunquàm præcipis gloriandū: quomodò nunc virtutem lucere deſideras, dùm dicis: *luceat lux ueſtra?* Et in Dei perſona, ſic ipſe reſpondet: *Non dico iſtud, neq; enim dixi, ut rectè facta ueſtra in medium ſtudeatis afferre, nec, ut illa mōſtretis, admonui; ſed dixi luceat lux ueſtra: quando enim tàm magna uirtus fuerit, & clara, latere non poterit, etiam ſi mille illā contegere uelit modis ille, qui poſſidet, & ſi innumeri illam accuſare cupiant, nullus unquàm offuſcare uos poterit*. Quorum verborum, ſi præcipuè notentur illa: *Quando enim tàm magna uirtus fuerit, & clara, latere non poterit, etiam ſi mille illam contegere uelit modis ille, qui poſſidet*, pluſquā manifeſtè videbitur, quòd virtus in domo plantata, nedùm floret in atrijs, verùm etiàm, cum abſcondita clariùs luceat, non tàm lumen impedire (quod

Matth. c. 5.

Chryſoſt.

Virtus quātò magis tegitur, tantò magis aperitur.

prorſùs impoſſibile eſt) quam iactantiā cohibere intendebat Saluator, cùm diceret: *Luceat lux ueſtra coràm hominibus, &c.* Sed vt glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt, &c.

6 Sed quid dico, quod abſcondita virtus magis fulget: rem dicam longè maiorem, quòd ſuppreſſa, immò innumeris calumnijs affecta, clariùs ſemper micat & fulget, quod quàm verum ſit, percurrentem Suſannæ hiſtoriam non puto latere; cùm ibi legatur, quòd hæc ſancta mulier, ſicut inhoneſtorum minis flecti minimè potuit, nec terreri, ſic coràm vniuerſa multitudine, cùm adulterij falsò inſimularetur, non timuit; immò priùs mortis voluit ſubire ſententiam, quàm aliquid ad ſui defenſionem adducere; *Erat enim*, ait Sacer Textus Daniel. 13. *cor eius fiduciam habens in Domino*. At vndè in fragili vaſculo tanta inueniretur fiducia, & in fœmineo pectore tanta vigeret conſtantia, vt nec calumniam timeret, nec mortem, explicauit D. Maximus hom. 1. de accuſato Domino, & iudicato apud Pilatum, cùm ait; quòd ex innocentia, & virtute, tanta, ac talis oriebatur ſecuritas: ſciebat namquè Suſanna, quòd opprimi quidèm poteſt virtus, ſed non deſtrui; calumnijs affici, ſed non inficī: immò inter ipſas oppreſſiones, atq; calumnias, quia ſciebat virtutem clariùs micare ſolere; ideò non paruam habebat fiduciam, quòd tacente ore, tandem clamare deberet virtus, vt morti traditam, non ampliùs morti ſed honori reſtitueret & gloriæ, cuius verba ſunt hæc. *Non .n. apud Danielē Iudicē uerborū ſe ratione defendit; ſed in ſancta fœmina, tacēte lingua, pro ea loquebatur caſtitas; et caſtitas cū Suſanna affuit in iudicio, quę eam defendit*. hęc ipſe.

7 Quid poſteà de innocentiſſimo Saluatore dicam, qui inter ipſas calumnias, cum feruerent iniuriæ, ſemper à Pilato innocens prædicabatur, & iuſtus; *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, uos uideritis?* Matth. 26. Sed vndè in gentili Iudice tanta oriebatur notitia? vndè ei innoteſcere poterat Saluatoris ſanctitas; ſi accuſatus tacebat, ſi à Iudice interrogatus; *Non audis quanta aduerſum te dicunt teſtimonia*: nihil prorſus reſpondebat? vndè ait ſacer Textus; *Non reſpondit ei ad ullum uerbum; ità ut*

Dan. c. 13.

Maximus.

Oppreſſa virtus ad ſublimia conſurgit.

Matt. c. 26.

Chriſti innocentia etiã ab inimicis viſa. miraretur Præſes uehementèr. Quomodò ergò Saluatoris innocentiam, atq; iuſtitiam agnoſcere poſſet Pilatus, & prędicare, penitùs non intelligerem, niſi declaraſſet D. Hieronymus, quandò dixit; quòd inter contumelias ipſa elucebat virtus, & inter calumnias magis ſemper ſe detegebat Domini innocentia: vndè ſtupens Pilatus clamare cępit, & dicere: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius*: manifeſtiùs dicere volens: fruſtrà nitimini perfidi Iudei, hunc reum oſtẽdere: quoniam quò magis feruens inuidia, iſtius iuſtitiam, & innocentiam ſupprimere ſtudet, eò magis ipſa videtur, agnoſcitur, & prædicatur. Præfatus Hieronymus. *Iudex, qui cogitur contra Dominum ſententiam ferre, non condamnat oblatum, ſed arguit offerentes, iuſtum eſſe prænuncians, qui crucifigendus eſt*. Ecce quomodò inter calumnias Præcone nõ indiget virtus, cùm tũc maximè videatur & luceat.

Hieronym. Etiam apud iniquos iudices lucet virtus.

8 Vnum tandèm pro concluſione dicam, & eſt; quod Chriſtus ipſe, ſi in mundo omnem voluiſſet virtutem abſcondere, nequaquàm poſſet; quia, & ſi Deo nihil ſit impoſſibile, quæ tamen contradictionem implicant, à Deo fieri nequeunt, & cùm virtus lux ſit, iuxtà illud Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi*; luminis autèm natura eſt, vt ſplendorẽ emittat; ſic vt benè notauit Ioann. Ferus ſuper citatum Matt. locum. *Natura luminis eſt, vt lucem, et ſplendorem, quocumque circumfertur, emittat*; ergo impoſſibile eſt, quòd omnis virtus penitùs abſcondi poſſit, nè videatur: cùm contrà virtutis naturam ſit, non lucere. Quam veritatem Chriſtus ipſe expertus eſt; qui vt ait Marcus cap. 7. *Ingreſſus domum, neminem uoluit ſcire, & non potuit latere*: certè vides virtutis præſtantiam, quæ tegi nequit & abſcondi, cùm Chriſtus ipſe in ſecretis cubiculis clauſus volẽs latere, non poſſit: vndè Carthuſ. enartat. 7. conſiderans verba illa: *Neminem voluit ſcire, & non potuit*: in hunc loquitur modum. *Chriſtus quantùm in ſe fuit, occultauit ſe, & non permiſit, vt diſcipuli ſui ſe manifeſtarent, docens fugere oſtenſionem inanem, vt amemus neſciri: & non potuit latere: nàm non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montem poſita*: Ecce quomodo nec ab ipſo Saluatore virtus celari potuit, nec retrudi. Vndè Gregor. ſuper 1. Reg. lib. 4. cap. 10. ſic concludit: *Electi viri quantùm poſſunt, fugiunt; ſed dilitéſcere nequaquàm poſſunt*: Quod quàm verum ſit, ex præcedentibus clarè cùm videatur, ad alia ſermonem vertam.

Matth. c. 5.

Ioa. Ferus.

Marc. c. 7.

Carthuſ. Virtus, quia lux latere non poteſt.

Gregorius.

## Populi autem dicebant: hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilęæ. Matt. 21.

### §. II.

*Ea eſt virtutis præſtantia, quòd ab hoſte, etiàm in hoſte viſa, non poteſt non laudari.*

1 EX inimico ore, à quo veluti ex venenoſo fonte aliud oriri minimè ſolet, niſi fœtida detractionis aqua, quòd quandoq; laus procedat & benedictio, primo intuitu mirum prorsùs apparet: nihilominùs virtutis naturam ſpectantibus, nihil magnum hoc ipſis videtur; cũ virtus, vt Philoſophus l b. 1. mag. moral. ait, *Sit honorabile bonum*: immò cùm de ſe ſit laudabilis, vt Tull. 4. Tuſc. aſſerit. Quinimmò ſi Philoni Hebræo fidẽ præſtare velimus, ſic virtutem de ſe laudabilem dicere cogemur, vt etiam ab ipſis uitiorum ſectatoribus extolli ſoleat & prædicari: vndè citatus Philo lib. 1. de Abraham, de ea ſic loquitur: *Siquidèm peſſimus quiſq; virtutem verbis honorat, & extollit*: hinc fit, ꝙ cum de ſe multũ laudabilis ſit virtus, in quocunq; ſiuè in amico, ſiuè in hoſte conſideretur, ſemper laudatur, extollitur, & prædicatur: undè Nazianz. orat. 20. *Virtus enim hoſti quoquè admirationi eſt*. Quod ſi alitèr clarere non poſſet, ex citatis Matth. uerbis: *Populi autem dicebant: hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilęæ*, ſatis commodè probaretur, cùm ab illamet plebecula, quæ non poſt multos dies, non tantùm clàm mortem ei erat molitura, ſed etiàm palàm clamatura, *Tolle, tolle, crucifige eum*, nunc ſublimibus præconijs extollatur; de qua plebe Hieronymus in hunc loquitur modum.

Philoſoph.

1. Cicero.

Philo Heb.

Peſſimus & virtutẽ laudat, vel in ipſo hoſte.

Naziant.

Matt. c. 21.

Ioan. c. 19.

*Vilis*

*Hieronym.* *Vilis plebecula à minoribus incipit, ut ad maiora perueniat.* Et *Theophil.* Theophilactus. *Non enim dixerunt hic eſt propheta; ſed, propheta ille, hoc eſt, ille, qui expectabatur.* Et licèt Chryſoſtomus in Catena citatus, ipſos laudatores, quid tunc laudarent, aſſerat ignoraſse, quùm dicit: *Chryſoſt. in Catena.* *Puto autem, quòd, nec ipſi, qui laudabant, ſciebant quid laudabant, ſed ſpiritus ſubitò ingreſſus in eos, ueritatis uerba fundabat:* vt tamen ex cæteris Patribus colligo, non tantùm laudem, quam promebant, non ignorabant; ſed etiam, quia virtutum conſiderabant opera, ſimilia prompſerunt in verba. Quod (vt reliquos omittam) declarauit Ioannes Ferus ſequẽtibus verbis: *Ioannes Ferus.* *Nil aliud poſſunt, quàm mirari eius potentiam, bonitatem, ſapientiam, dilectionem &c. ex quibus meritò reſpondetur, hic eſt Ieſus, ideſt, Saluator:* ac ſi diceret: nil mirum, quòd à turba laudibus afficiatur Saluatur, cùm virtus de ſe, ſic laudabilis ſit, quòd etiam in inuiſo hoſte viſa, præconiis non poteſt non extolli ſublimibus.

2 Accedat ad hoc probandum ſuperbiſsimus ille Nabuchodonoſor, qui cùm vltra quàm dici poteſt, ferueret ſuperbia, regali minimè contentus honore, ſtatuam auream erexit, in qua non vt terrenus homo, ſed vt ſublimis Deus à cũctis adorari volebat; quùm præcepit: *Daniel. c. 3.* *In quacumque hora audieritis ſonitũ tubæ, & fiſtulæ, et citharæ, ſambucæ, et pſalterij, et ſymphoniæ, & uniuerſi generis muſicorum, cadentes adorate ſtatuam auream, quam erexit Nabuchodonoſor Rex.* Daniel. 3. quod, quia tres Sancti illi adoleſcentes Sidrach, Miſach, & Abdenago, qui ſemper vnius, veriquè Dei cultores extiterant, facere contempſerũt, in fornacem miſſi ſunt ignis ardẽtis, per quam, cùm omninò illæſi, immò veluti per odoriferos flores ambulantes, diuinas canerẽt laudes, ob rei nouitatem ſtupens Nabuchodonoſor, vt quod ſibi delatũ fuerat propriis oculis cerneret, ad fornacem acceſsit, & introſpiciens, vix, vt viſus famam probauit, exclamare cœpit, & dicere: *Chryſoſt.* *Inimicus virtutem in hoſte commendat.* *Sidrach, Miſach, & Abdenago ſerui Dei excelſi, egredimini, & venite:* quæ verba nõ minus ſtupet Chryſoſtomus, quã miraculi magnitudinem obſtupuerat ille, qui hæc protulit: vndè pueros iſtos ueri Dei cultores agnoſceret Nabuchodonoſor, & poſtea, quod magis mirum uidetur, eſt; ſi puerorum crudeliſsimum ſe oſtenderat hoſtem, quomodò nunc eos laudat, prædicat, & extollit? Sed certè Sanctorum puerorum ſpectata uirtute, nil mirum: nàm ſi hæc ſic de ſe laudabilis eſt, ùt in ipſis etiam inimicis commẽdari ſoleat, quomodo tãta puerorum religio, conſtantia, & fortitudo, illaudata remanere poterat? Quomodo perſpici, & non laudibus affici? Quomodo conſiderari poterat, & non prædicari? Certè cùm hoc fieri neqnaquã poſſet, ut ipſam inimicus Rex cõſiderauit, Sanctorum præco uolens, nolens euaſit, quùm dixit: *Sidrach, Miſach, & Abdenago, ſerui Dei excelſi, egredimini, & venite.* Aſtipulatur Chryſoſtomns hiſce uerbis: *Conſidera igitur quemadmodum Rex alioquin Babilonius tres illos in fornace pueros prædicaret, & certè hoſtis erat, atque apertus inimicus; ſed quia uiriliter eos ſtare perſpexit, prædicat, & coronat.* Magnum certè puerorum præconium, quod ab ipſo inimico ore teſtimonium ſumpſit: ſed nil mirùm, cùm uirtute præditus ab inimicis non minus, quàm ab amicis laudari ſoleat et extolli.

3 Cauſa autem ob quam in ſuccenſam fornacem Sancti iſti miſſi ſunt, quod modò diximus, non parum probat: nàm, vt ait Sacer textus, Regis iuſſionibus quia obtemperare noluerunt; quia videlicèt, ſtatuam auream (vt fas erat) adorare renuerunt, vt Regalium præceptorum contemptores ab inuidis accuſati, ad ignem illicò ſunt deſtinati. *Daniel c. 3.* *Accedentes viri Caldæi, accuſauerunt Iudæos: Sũt ergò viri Iudæi, quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babylonis, Sidrach, Miſach, et Abdenago: viri iſti cõtẽpſerũt, Rex, decretũ tuum: Deos tuos nõ colunt, & ſtatuã auream, quam erexiſti non adorant.* Daniel. 3. Quam accuſationem conſiderãs Chryſoſtomus hom. 4. Ad Populum Antiochenum, de Pœnit. & de toleran. ait: Quę maior laus, quod maius reperiri poterat puerorum præconium, quàm dicere Deos tuos non colunt! ſi nulla maior inſania excogitari poteſt, quàm plures, inaneſq; Deos adorare: ſic maior ſapientia prædicari non poterat, quàm reliquos fictos ſpernendo, vnicũ, verumquè Deum adorare. Et tamen quia hoc dicitur de Sanctis pueris, dum



Digitized by Google

accuſantur; non accuſatio hæc dicenda eſt, ſed laudatio; non criminum propalatio, ſed eximiarum virtutum ab ipſis

*Chryſoſt.* inimicis mira prædicatio: Chryſoſt. in citata homil. *Maxima laus accuſatio, & crimina laudes fiunt, & teſtimonium indubitatum, inimicis ipſum perhibentibus*, ac ſi diceret: quid amplius dicere poſſent amici? immò Genitores ipſi in filiorum laudem, quid ampliùs narrare poſſent, quàm quòd filij ſpretis inanibus Dijs, veri Dei cultores exiſtant? Quòd ergò amicus erga amicum efficere; immò Pater ob filij laudem præſtare poſſet, hoc Sanctorum puerorum inimici, etiã nolentes, accuſando efficiebant. Vndè optimo iure dici poteſt. *Maxima laus accuſatio, & crimina laudes fiunt.*

*Etiam in accuſatione virtus laudatur.*

4 Quis poſtea Saule Dauidi infeſtior? quis contra eum crudelior? quis inhumanior inueniri poterit vnquam? qui liuore exæſtuans, ne glorioſum videret, mortem ei iugiter moliri non deſtitit? nemo: Tamen ab ipſius inuido, & hoſtili ore Dauidis virtutes aliquando decantatas fuiſſe ſacra narrat pagina.

*1. Reg. c. 24* 1. Regum. c. 24. *Leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit, dixitquè ad Dauid: Iuſtior tu es quam ego; tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* Quam laudem, licèt Toſtatus quęſt. 25. magnam exiſtimet, quia per eam Dauidi nullus in pietate ſimilis reperiri poſſe dicebatur,

*Toſtatus.* cuius verba ſunt hęc: *Saul laudabat nimis Dauid, quia ipſe vſus fuerat inſolita clementia, ſcilicèt, quòd nemo alius facere ſic conſueuerat.* Ego tamen maiorem exiſtimo, quia ab inuido ore procedebat; nàm ſi inuidia ex ambitione originem ducit;

*Chryſoſt.* vndè Chryſoſt. hom. 34. ex cap. Matth. 19. *Hoc eſt proprium inuidiæ, quando aliquid alteri additur, ſic dolent inuidi, quaſi illis ſit aliquid ſubductum, quod illi eſt additum: vt putà ſi viderit aliquem fieri ditiorem, putat inuidus ſe pauperem factum; ſi alter ſapientior fuerit factus, ità dolet, quaſi ipſe inſipiens factus ſit: quia ex vana gloria naſcitur inuidia*; mirabile eſt inuidum proximi virtutes laudare. Vndè igitur, Bone Deus, inuidus, quę aliorum abundantia arctatur pinguedine macreſcit, & fęlicitate infęliciſſimus redditur; Nũc Dauid commendat, ac ſe iuſtiorem appellat: *Iuſtior tu es, quàm ego.* Ac certè ſi Dauidis perfectio ſpectetur & ſanctitas, omnis amputabitur dubitandi occaſio; quia talis erat iuſti virtus, dum etiam hoſti infeſtiſſimo in ſpelunca parcere nouit, quòd ab ipſo inuido, & hoſtili ore non potuit non laudari. Ad cuius confirmationem Chryſoſtomum *Chryſoſt.*

*Inuidiæ proprietas.*

*Inuidus aliorum fœlicitate infęlix redditur.*

aduoco dicentem. *Virtutem licèt ipſam non obeamus, commendamus; ſicut viciſſim vitium, licèt operemur, odimus.* hom. 13. ad populum Antioch. ex quo clarè patet, quòd inuidia extollit & prędicat.

*Prodigium, cenſeri poteſt, quod inuidus aliquè laudet.*

5 Modò dictis ſimilia ſunt, quæ de Ioanne ait Herodes, qui, vt D. Lucas c. 9. refert, audita ſama doctrinæ, ac prodigiorum Saluatoris, hæſitantibus cunctis, quiſnam eſſet, qui tàm magna operaretur! ipſe ad Ioannem mentis oculum vertit, dicẽs: *Ioannem ego decollaui:* *Luc. c. 9.* *quis eſt aũt iſte, de quo ego talia audio?* Magna prorſùs Ioãnis laus, cui in toto orbe ab Herode alter ſimilis reperiri minimè putabatur, cũ dicebat: *Ioãnem ego decollaui: quis eſt autem iſte, de quo ego talia audio?* ceu ſi diceret: Ioannis opera mihi videntur iſta, alterius nequaquam; ſi ergò, me iubente, interijt ille, in mundo quis Ioannis ſimilis reperiri poteſt, qui hæc, quæ audio operari valeat? Aut igitur Ioannes, quem decollaui reſurrexit, aut, quæ audio vera non ſunt: ità D. Bonauentura. *Ex hac comparatione, ad-* *Bonauent.* *mirabatur Chriſti virtutem: undè ſubdit: quis eſt autem iſte, de quo talia audio, ideſt, tam magna, & mirabilia, ſi Ioannem ego decollaui?* Ecce quomodò ab Herode crudeliſsimo hoſte, à quo occiſus fuerat Ioannes, nunc maior cunctis hominibus prædicatur, cui alter ſimilis in ſignis, & prodigijs reperiri non poteſt. Sed quis ad hoc dicendum eum impellebat? proculdubio nullus, niſi tantùm Ioannis virtus, quæ cùm de ſe laudabilis eſſet, ab ipſo ſęuiſsimo hoſte, non potuit non prædicari. Meum non eſt hoc, quod dico; ſed Euſebij Emiſſeni, qui in Natali Sancti Petri de Herodis ſtultitia, *Euſebius Emiſſenus.* & de Ioannis virtute; ſic ſermonem orditur: *Stultiſſimus populus, qui dum videt prophetas, eos perſequitur, & vituperat; poſt mortem verò eos veneratur, monumenta eis ædificat, nequè tales vlterius naſci poſſe arbitratur, quales illi fuerunt, quos occiderat,* ſic ipſe.

*Etiam poſt iniuſtam punitionem.*

6 Ego autem ad impiiſſimum Iudam ſermonem vertens; quæro: cur ille,

qui

qui non vt diſcipulus; ſed vt cruēta bellua in magiſtrum inſurrexerat, quùm ait: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Matth. 26. paulò poſt, quem vt reum tradiderat, inter calumnias conſtitutum videns, & vt morte dignum accuſatum audiens, vnus ipſe contrà omnium ſententiam inſurgens, Chriſti innocentiæ, & Sanctitatis teſtis voluit eſſe & præco, cùm dixit: *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtū.* Matth. 27. At miſer, nonnè ille es, qui paulò ante, quicquid contrà Saluatorem moliri potuiſti, efficere non deſtitiſti? nonnè es ille Iudas, qui paulò ante omni poſtpoſita pietate, ne dicam, humanitate, perſecutorum Chriſti caput effectus & princeps, illum, vt multorum criminum reum oſculi ſigno comprehenſoribus tradidiſti? Quomodò nunc innocentiam prodis? iuſtitiam teſtaris? ſanctitatem confiteris & prædicas? An fortè, quia talis eſt Saluatoris virtùs & ſanctitas, quod nedum calumnijs opprimi non poteſt, ſed ab ipſis inimicis, immò quod maius eſt, ab ipſo perſecutorum omnium Principe non poteſt non extolli & prędicari ità Chryſoſt. hom. 86. in cap. Matt. 26. *Itaquè conſidera, vndiquè magnum virtutis ſplendorem conflari ex his rebus, quas aduerſarij agunt, & patiuntur; dixit enim: peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Quis ergò negare poterit virtutis præſtantiam, cùm ipſam in Saluatore, etiam à crudeliſſimo perſequutore laudatam videat, & prędicatam?

*Matt. c. 26.*

*Matt. c. 27.*

Iudas Chriſti innocentiæ teſtis.

*Chryſoſt.*

Magna laus virtutis ab hoſte laudari.

7 Supra modū autem probat præſens inſtitutum locus ille Actorum 4. vbi habetur, quòd tàm ob claudi curationē, quàm ob Petri, & Ioannis doctrinā, atq; conſtantiā admirans Princeps ſacerdotum, & ſtupens totum Concilium inter ſe ſic fari cæperunt: *Quid faciemus hominibus iſtis? quoniā quidem notum ſignum factum eſt per eos, & omnibus habitantibus Ieruſalē, manifeſtū eſt, et non poſſumus negare.* O eximia virtutis excellentia, quæ nec odio opprimi, nec liuore ſupprimi, nec inuidia deprimi poteſt! immò ab ipſo inuido hoſte in quantuncunquè inuiſo inimico, viſa, non poteſt non laudari, commendari, & prædicari, vt proprio ore teſtati ſunt, qui dixerūt: *Notum ſignum factum eſt per eos, & non poſſumus negare.* Quæ verba conſiderās Carthuſian. ait: *Princeps autem ſacerdotū, & populi conati ſunt etiam inuiti virtutem Dei agnoſcere: hinc enim eos dixiſſe legimus: quid faciemus hominibus iſtis? Actor. 4. Quamquam nollent confiteri, ſed ſilentio ſupprimere conarentur.* Quis ergò hac probatione aliam efficaciorē expectare vnquàm poterit, cùm videat, quòd ipſimet inimici velint, nolint, diuinam confiteantur virtutem; & pręcipuè cum proprio ore ſe aliter efficere minimè poſſe teſtentur, dicentes: *Notum ſignum factum eſt, & negare non poſſumus?*

*Actor. c. 4.*

*Carthuſ.*

Virtus ab hoſte, vel inuito non poteſt nō laudari.

8 Quis poſtea fidē præſtaret dicenti, quòd ab ipſo dęmone virtutem prædicari audiſſet? & nihilominus in terminis viſa res eſt in Saluatoris virtute, quam ab ipſo dæmone nonnunquā prædicatam reperio; nàm vt refert D. Matth. c. 27. cùm, vt multorum criminum reus, coràm Pilato accuſaretur Saluator, Pilati vxor, aſtantibus cunctis, ad virum nuncios deſtinauit, dicentes: *Nihil tibi, & iuſto illi*: quæ verba, Diabolo ſuggerente, mulierem protuliſſe, inter cæteros, aſſerit Carthuſ. his verbis: *Diabolus, qui paulò antè miſit in cor Iudæ, vt traderet Ieſum, nunc mittit in cor mulieris, vt redimat eum.* Ex qua autem cauſa ad hoc moueretur Diabolus, explicat Gloſſa, quùm dicit: quòd, vt redemptionem impediret, in Chriſti liberationem, quātùm poterat, incumbebat; *Diabolus apparuit ei, mouens eam ad liberationem Chriſti*: quæ ſi fuiſſet prima Diaboli intentio, Iudæis poſtea, vt clamarent, *Tolle, tolle, crucifige eum*, minimè ſuggeſſiſſet: ergò fortaſſis ob aliam cauſam, ad Chriſti Domini innocentiam prędicandam, mulierem inſtigabat Diabolus: quæ autem hæc fuerit, ex Chryſoſtomo colligo, qui hom. 87. in cap. Matt. 25. dicere non timet, quòd tanta fuit Saluatoris virtus, & talis innocentia, quòd nedum ab impijſſimo Iuda non potuit non declarari, verbis illis: *Peccaui tradens ſanguinem Iuſtum*, & à Pilato non prædicari coràm omni multitudine, quùm ait: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos videritis*: ſed etiam ab ipſo Dæmone, licèt inuitè, inter calumniantium voces per mulieris os non potuit non apertè mōſtrari. Quod perexiniè ſequentibus verbis dixit Chryſoſtomus. *Aduerte rurſùs, quàm mirabile*

*Matt. c. 27.*

*Carthuſian.*

*Gloſſa.*

Quinimmò ab ipſo Diabolo.

*Ioan. c. 19.*

*Matt. c. 25.*

*Chryſoſt.*

hoc

Google

Chriſtus ab ipſo diabolo laudatus.

*hoc eſt, quàm ſufficiens omnes illos reuocare: ad innocentia enim claritatem, non parua res, ſomnium acceſſit: idcireò igitur ex diſpenſatione mulier vidit, vt omnibus notum fieret.* Ecce quomodò ab ipſo Dęmono, vt dixi, licet inuitè, laudatur innocentia, & prędicatur ſanctitas.

9 Ad cuius rei confirmationem Chryſoſtomum reuoco, qui hom. 5. de pœnitentia Iob. Diabolum conſiderans ſemel, & iterum contra Iobum calumniarum verba promentem, videlicèt.

*Iob c. 1.* *Iob c. 2.*

*Numquid Iob fruſtra timet Deum?* &c. c. 1. & *Pellem pro pelle* &c. c. 2. dicit, quòd ideò poſt ſecundùm congreſſum coràm Deo vlteriùs apparere renuerit Diabolus; ne ſi tertiò, quid de Iuſto ſentiret, interrogaretur, impudentiſſimum os in Iobi laudē laxare cogeretur. Sic Chryſoſtomus in citata homil.

*Chryſoſt.*

Iobi virtutes etiā diabolus prædicat.

*Tunc obſtructum eſt turpe illius os, nec tunc quid habuit dicere, clarior namquè, quàm in prioribus iuſtus erat, clarior, quàm in delicijs viuens, eleemoſynaſquè præbens, ſiquidèm eùm illa fiebant, contradixit tamen Diabolus dicens: Numquid fruſtra colit Deum Iob: his verò contingentibus, ſe occultans, terga dedit.* Et clariùs hom. 3. *Inuitè Diabolus Iob virtutem laudat, & prædicat eius potentiam, quoniam ſub ipſo certauit.* certè vides, quòd Diabolus ipſe iuſtorum non poteſt non commendare iuſtitiam, & prædicare virtutem, cùm Iob ſanctitatem, quam priùs calumnijs ſtudebat opprimere, laudibus poſtea teneatur afficere.

*Chryſoſt.*

## Intrauit Ieſus in Templum Dei. Matth. 21.

### §. III.

*Virtutum nulla nobis, ſed omnis Deo virtutum Auctori tribuenda eſt laus.*

1 IN ipſo Ciuitatis ingreſſu, quò bonus filius debebat pergere, niſi ad Patris domum? Ità Imperfectus homil. 38. in Matth. *Hoc erat proprium boni filij, vt veniens, ad Domum curreret Patris, & illi honorem redderet, qui genuit eum.* Quem alium locum quærere debebat ille, qui contineri nullibi poteſt, niſi templum? ut ubi ſumma adoratur Deitas, ibi ipſe ſummus Deus (licèt abſconditus) coleretur. Sic Ericius: *Templum Dominus adijt, vt eum nos Oppidum, vel Caſtellum, ſiuè aliquem locum, vbi domus orationis Deo ſit conſecrata ingredimur, priùs ad illum feſtinare debemus.* Quid aliud tandèm uirtutum omnium Magiſter quærere debebat, niſi gymnaſium, in quo cœleſtem, diuinamq; docere poſſet doctrinam? Ità Ericius: *Quod Dominus Ciuitatem ingreſſus, primò Templum adijt, formam nobis religioſæ conuerſationis, quam ſequi debemus, oſtendit.* Quid autem tunc iſte cœleſtis Magiſter docuerit, explicat Chryſoſtom. in Catena citatus, cùm dicit: quòd cùm ſe à turbis maximis laudibus extolli audiret, ad Cœleſtis Patris domū confugit, ut totā laudē cœleſti Patri tribuens, mundum inſtrueret, non ſibi, ſed Deo uirtutum omnium Patri gloriam, laudem, & honorem adſcribere: ſic Chryſoſt. *Hoc erat proprium boni filij ad domum currere Patris, vt illi honorem redderet, vt tu imitator Chriſti factus, cùm ingreſſus fueris in aliquam Ciuitatem, primò ad Eccleſiam curras.* Cęleſtis prorſùs doctrina, cuius ſenes illi, de quibus Ioann. in Apocal. cap. 4. loquitur non ignari. *Mittebant* (ut ipſe ait) *coronas ſuas ante thronum dicentes, dignus es Domine Deus accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatē tuam erant, & creata ſunt.* Quam doctrinam alibi uerbis, nunc exemplo à Saluatore traditam, nos uerbis, & exemplis aliorum non uulgariter trademus.

*Imperfect.*

*Ericius.*

*Ericius.*

*Chryſoſt.* Noſtra laus Deo adſcribenda.

*Apocalyp. c. 4.*

2 Petrum, & Ioannem, qui præ oculis habebit, & quid poſt claudi curationem dixerint, cogitabit, quàm ſedulò uirtutis laus Deo ſit tribuenda, percipiet: hi namq; cùm ob prodigioſā claudi curationem, in ſtuporem maximum populum conuerſum uiderent, ſacra dicente pagina Actor. 3. *Impleti ſūt ſtupore & extaſi, in eo, quod contigerat illi:* Petrus aſtantibus cunctis fari ſic cæpit: *Viri Iſraelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, glori-*

*Act. c. 3.*

Google

*glorificauit filium ſuum Ieſum. Et fides, quæ per ipſum eſt, dedit integram ſanitatem iſtã in conſpectu omnium veſtrum.* Veteranus procul dubio Chriſti diſcipulus, vt in admirationem, ſtuporemq́; multitudinẽ verſam vidit, non expectauit, quòd in eius laudem ora laxarent: ſed etiam omnẽ præuisã laudẽ cõtemnendo, ipſe Saluatorem laudare cœpit, & dicere: *Quid nos intuemini, quaſi noſtra virtute fecerimus hunc ambulare, Deus Abraham, &c. glorificauit filium ſuum Ieſum, &c.* Vt poſteà ſtupentis populi prima vox, non propriam perſonaret laudem, ſed Dei. Bonus teſtis huius rei, quam modò dixi, eſt Victor Antiochenus. *Et tu hinc modò perpende, quàm modeſtus Apoſtolus Petrus poſt lapſum euaſerit, qui enim ante caſum, nihil non ſibi arrogare audebat: is poſt lapſum cõtraria ſtudia ſectatus, nihil quicquã ſibi, ſed omnia Chriſto Domino tribuebat, dicens; viri Iſraelitæ, quid miramini, &c.* Ecce quomodo, & laudem non magis, quàm laudum ſigna in populi ſtupore prætenſa, fugiens Petrus, utrumq; uirtutũ Parẽti adſcribere ſtuduit, cùm ait: *Deus Abrahã glorificauit filium ſuũ Ieſum.*

*Victor Antiochenus.*
Virtutes omnes in Deum referendæ.

3 Et certè nil mirum, quòd ſic ſapienter loquatur Petrus; quia inter cæteros in ſupremi Magiſtri gymnaſio, nõ ſemel ex eius ore, hanc audierat doctrinam: *Attendite ne iuſtitiam ueſtram faciatis coràm hominibus, vt uideamini ab eis.* Matth. 5. Quæ uerba iuxtà communem Sanctorum Patrum expoſitionem hũc habent ſenſum: Attendite, ne quod rectè geritis, ad humanam laudem captãdam geratis; ſed potiùs humilitatem ſectantes, uirtutem abſcondite, & humanos oculos fugite; Tamen ſi quis Chriſtiani Ruthmani ſententiam ſequi uoluerit, in hunc modum uerba hæc diſtinguere poterit: *Attendite ne Iuſtitiam;* & poſteà, *veſtram faciatis*: ut ſit ſenſus: Attendite, ne uirtutem, uirtutiſq; laudẽ uobis tribuatis, non Deo; quia ei honor debetur & gloria, non uobis. Nil alitèr præcitatus Ruthmanus, qui mihi hanc expoſitionem ſuggeſſit, cùm dixit: *Si volumus, poſſumus ſic diſtinguere; vt dicamus: Attendite, ne iuſtitiam: & poſteà ſubinferamus: ueſtram faciatis, ideſt, eam iuſtitiam, quæ Dei eſt, noſtram uelimus facere: quia nullus iuſtè, uel iuſtitiam facit, niſi ex dono Dei, & quicquid boni eſt, Dei eſt.* Quã diuinam lectionem; quia à cœleſti magiſtro acceperat Petrus, claudi curationem, ſuam facere minimè uoluit, ſed Dei, cum non ſibi, ſed Deo tanti miraculi laudem tribuerꝫt, dicendo: *Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut quid nos intuemini, quaſi noſtra uirtute fecerimus hunc ambulare*: Deus *Abraham, & Deus, etc. glorificauit filium ſuum Ieſum.*

*Matth. c. 5.*
*Ruthman.*
Nil boni nobis attribuendum.
*Actor. c. 3.*

4 Facilè nunc percipio: cur ſerui illius Patrisfamilias, qui cùm ex Domini iuſſu optima ſemina terrę mandaſſent, poſt quietem, cùm præter omnem opinionem, triticum undiquè Zizaniјs redundare viderent, Dominum in hunc modum ſint alloquuti: *Domine nonnè bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo; undè ergo habet zizania?* Matth. 13. Quibus uerbis Dominum triticum ſeminaſſe aſſerunt, & nihilominus, ſi antecedentia legantur, non Dominum immediatè, ſed ipſos fuiſſe Satores reperietur: cur poſteà ſeminaſti, non ſeminauimus dicere maluerint; explicat Chryſologus ſer. 97. cùm ait; quòd in ſenſu myſtico per hunc Dominum, Saluator eſt intelligẽdus, ſicuti per agrum, Eccleſia; per frumentum, boni; per zizania, mali; & per Agricolas, Pręlati, qui quantuncunquè optima uerborum, atq; exemplorum ſemina ad excolendam Eccleſiæ vineam iaciant; ſemper tamen totum Deo Auctori adſcribunt, non ſibi: ideò non ſeminauimus, ſed ſeminaſti dicere voluerunt. Ità prorsùs Chryſologus in citato ſermone, cùm ſeruos introducit Domino ſic loquentes: *Quod per te facimus, tibi ſemper noſtro aſſignamus Auctori, nos præter tuam gratiam, nihil habemus, per quam ſumus, mouemur, et viuimus.* Certè vides, quàm fideles Domini ſerui, & quàm perfecti huius cęleſtis magiſtri diſcipuli extiterint iſti, qui iuſtitiã non ſuam facientes, ſed Dei, virtutum laudes, non ſibi, ſed virtutum auctori tribuere ſtudebant, dicentes: *Nonnè bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo?*

*Matt. c. 13.*
*Chryſol.*
In Deũ auctorem omnia ſunt referenda.

5 Verumenimuerò ſi hęc de diſcipulis diximus, de uirtutum omnium Magiſtra quid dicemus? Quàm ſedulò omnem virtutem, laudem, & honorem Deo adſcriberet, quis ſufficienter demonſtrare poterit? certè nullus, niſi ille, qui ipſam inter honorum culmina cõſtitutam ſemper ima petentem deſcri-

bit,

Digitized by Google

bit, dicẽs; quòd cùm Angelico ore Domini Mater vocaretur; ipſa ſe ancillam vocabat: *Ecce Ancilla Domini.* Luc. 1. *Luc.c.1.* Cur autem Ancillam, non Matrem, vt ab Angelo vocabatur, ſe appellare maluerit; communitèr Sancti Patres, ob maximam humilitatem à Virgine hoc factum eſſe autumant.

Cur non ſe Dei matrẽ, ſed ancillã vocabat Virgo Beata.

Subtiliùs tamen rem ego perpẽdens, & legis præceptum reperiens, quòd: *Quicquid acquirit ſeruus, acquirat Domino, non ſibi:* Myſterium magnum in his verbis, *Ecce ancilla Domini,* reperio, & eſt; quòd Dei ancillam ſe vocauit, vt omnem laudem non ſibi, ſed Deo adiudicaret; angelico enim ore præconijs multis ſe audiebat extolli: quia Spiritus ſancti virtute eum ſe genituram intelligebat, quem à patre æternaliter genitum non ignorabat: ideò tantarum laudum nequid ſibi tribueretur, ſe ancillam nominauit: tacitè (ni fallor) Angelo dicere volens: parua non ſunt, ò Gabriel, quæ dicis, promittis, & prædicas: tamen tot inter præconia ancillam me voco, non matrem, vt agnoſcas, Deo virtutũ Auctori me omnia aſciſcere, nõ mihi; cùm quicquid acquirit ancilla, Domino acquirat, non ſibi: Ad cuius rei confirmationem do tibi D. Antoninũ. tom. 4. tit. 15. cap. 8. de Annunciatione Dominica, dicentem: *Ecce Ancilla Domini: non ait mater, vel filia, vel ſponſa Dei; quia ancilla totum, quod lucratur, Domino, vt ſuum tribuit; ſic B. Virgo Maria totum Domino tribuebat, vt ſuum.*

*D. Antonin. de Florent.*

In Deum, vt ſerui omnia referre debemus.

6 Nec his contenta virtutum magiſtra, annunciantis Angeli verbis aſſentiri quidèm voluit; ſed aſſenſum his verbis præſtare decreuit, non aliis: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Lucæ 1. quẽ loquendi modum conſiderans Toletus miratur non parùm: cur Virgo Beata dicere noluit; faciam verbum tuum; ſed potiùs: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum?* *Luc.c.1.* Si ipſa ad filii productionem, videlicèt, vſque ad perfectam corporis organizationem concurrere debebat? Si ipſa (ne in longum difficultatem traham) æternum, inuiſibilemquè Deũ humanæ carnis amictu in ſuo vtero induere debebat, dicere potiùs eã decebat: Ecce Ancilla Domini, faciam verbum tuũ, quàm fiat mihi ſecundum verbum tuum? Sed, ò magnam Virginis ſapientiam, non paruæ humilitati coniunctam! Sciebat quippè hæc perdocta Spiritus Sãcti diſcipula, quòd ſi faciam dixiſset, non ſic perfectè ad Deum omnia adiungeret, ſicut, dicendo, fiat, quia ſi per faciam propriam aliquam indicabat actionẽ; per fiat, non tantùm actionis laudem, ſed ipſam etiam actionem ad Deũ ſpectare indicabat. Toletus in cap. 1. Lucę. *Toletus.* *Deum ipſum Auctorem huius myſterij confitetur; non enim inquit, faciam, quod dicis; ſed fiat mihi, ideſt, operetur Deus in me, qua tu eum facturum annuncias, non hoc opus mihi arrogo, aut vſurpo, ſed virtutem omnipotentis agnoſco.*

Iuſti aliquid feciſſe apud Deum dicere non audent.

Quis cœcus nũc non videbit, quàm benè edocta fuerit hæc Spiritus ſancti diſcipula, quæ non tantum Dei Ancillam ſe nominauit, vt ei quicquid acquiſierat, adiudicaret, ſed ẽt, vt nihil prorsùs actura fuiſſet, faciã dicere noluit, ſed fiat; vt illa, quæ optimè nouerat, & ſibi, & aliis à Domino eſſe dictum: *Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Cant. 8. vt tàm cogitationes, quæ ex corde exeunt, quàm opera, quæ in brachio figurantur ſuo ſignata ſigillo, nõ nobis arrogare, ſed ſibi ſtuderemus aſciſcere. *Cant.c. 8.* Quod explicauit Gloſſa interlin. quùm ait: *Sigillatum ſit nomine meo, ne vllatenus ſurrepat ſaltem viſus adulteri.* *Gloſſa.*

7 Nec in vita tantùm nihil penitùs ſibi vendicant iuſti, ſed poſt mortem etiam, immò in ipſa cęleſti beatitudine non ſibi, ſed virtutum parenti adſcribũt omnia: quã rẽ mirè declarauit Matth. c. 25. dum ait; quòd cùm ſedens in maieſtatis ſolio iuſtiſſimus Iudex: in dextera conſtitutis ob pietatis opera coronas largitus fuerit & præmia, dicendo: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere:* *Matt. c. 25.* Tunc reſpondebunt ipſi (ait Matth.) dicentes: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te, ſitientem, & dedimus tibi potum:* Ergo coràm Deo hæc pietatis opera ſe egiſſe negabunt iuſti? Ità ſanè. Sed quid eſt hoc Bone Deus! Si Martha, Zachęus, Matthæus, multiquè alij, & te exceperunt, & tibi victui neceſſaria præbuerunt, in iudicio quomodò dicere poterunt: *Quando te vidimus eſurientem, & pauimus te? ſitientem, & dedimus tibi potũ?* An quia, quod, in perſo-

Etiam poſt mortem humiles humilitatem ſeruant.

na pauperum tibi prȩſtitum, dicis, hoc ipſi negant de tua? proculdubio ità. Sed Chryſoſtomus hom. 54. in cap. Matth. 25. aliam ianuam ad reſpondendum mihi aperuit, & eſt; quòd non ideò iuſti hæc ſe egiſſe negabunt; quia bonorum ampliùs non meminerint, ſed vt bonorum Auctori ea tribuant, non ſibi; quapropter dicunt: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te? ac ſi iuſti ad Deum eſſent dicturi: verum eſt Domine, quòd in pauperibus te recepimus, ſed iſtud Charitatis officium noſtrum non fuit, ſed tuum; cùm omne bonum à te procedat, non à nobis: idcircò omnia tibi adſcribentes, vt ſeruos inutiles, nihil nos egiſſe confitemur, quùm dicimus: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te? Vndè

*Chryſoſt.* Chryſoſtomus in citata homil. *O humilitas* (exclamat) *quorum nec pòſt mortem deficiet! debitam enim ſibi laudem, tunc repellentes, dicunt: quando te vidimus eſurientem?* cuius præcipua verba ſi cõſiderentur illa; *Debitam enim ſibi laudem tunc repellentes*: pluſquam clarè videbitur, quòd etiam pòſt mortem, nihil ſibi iuſti arrogare, ſed omnia (vt fas eſt) Deo ſtudebunt adſcribere.

Etiam beati in Deum bona accepta referunt.

8 Deſeruiat tandem pro hac materia, quod Moyſes orando, docuit, qui vt ſacra narrat hiſtoria Exod. 17. cùm populum contra Amalech pugnare iuſſiſſet; in ipſa certaminis hora, eleuatis ad Cȩlum manibus, orare non deſtitit; quouſque completa eſſet Victoria.

*Exod. 17.* *Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael*: Dominum etiam in vltimo congreſſu oraſſe quidèm reperio; dicente

*Ad Hebr. 5* Paulo ad Hebræos. 5. *Cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Aſt manus tunc eleuaſſe ex ſacris ſcriptoribus nõ colligitur, benè tamen teſtatur idẽ Paulus ad Rom. 10. quòd ad populum duræ ceruicis, il-

*Ad Rom. 10.* las tunc extendit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* Ergo non vno, eodemq; modo Moyſen, & Dominum oraſſe, ſacra narrat hiſtoria? ſic profectò: nàm ille eleuatis, hic autèm extenſis manibus orabat. Vndè Auguſt. ſerm. 93. de tem-

*Auguſt.* pore. *Aduertite fratres, quòd Moyſes quidèm manus leuat, non tamen extendit: cui ergò ſeruabatur, vt manus extenderet, niſi Domino Noſtro Ieſu Chriſto, qui extenſus in Cruce uniuerſum orbem complexus, brachia pietatis expandit?* Sed vndè talis orandi diuerſitas? cur non, vt Moyſes Dominus, nec vt Dominus Moyſes orare voluerit? Aſſignat idem Auguſt. ibidem, quùm dicit; quòd cùm in ſacris paginis per manus, opera ſoleant ſignificari, inter pugnas, atquè certamina orans Moyſes, manus ad Cȩlum leuabat, vt uincenti populo, cui opera, atquè uictoria eſſent tribuẽda, digito, manibus, geſtibuſquè oſtenderet: ac ſi uictoribus, tacitè diceret: Cȩlo, non terræ; Deo, nõ nobis, uictoriã adſcribite uictores: quia non ex ueſtra uirtute, ſed ex illius auxilio procedit: Dominus autem, quia propria, non aliena uirtute uincebat; manus non eleuabat, ſed extendebat, ut fugato hoſte, diſperſos filios cõgregaret. Ità in cit. ſermone Auguſtinus, *Auguſt.*

quùm ſubdit. *In manibus opera debemus accipere; ſi ergò talia ſunt opera tua, vt illa poſſis in altum in conſpectu Domini leuare. Quis benè manus leuat? ille vtiquè, qui implet illud Apoſtoli Timoth. 2. eleuantes puras manus.* Ecce quomodò Moyſes orãs, & manus leuans, mundum perfectè inſtruit, opera, uirtutes, atquè uictorias Deo eſſe adſcribendas: quod verum cũ ſit, ad ipſum clamemus omnes cum Dauide: *Non nobis, Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam Pſal. 118.* *Pſal. 118.*

Manus operum in Deũ leuandæ.

## Acceſſerunt ad eum cæci, & claudi, & ſanauit eos. Matth. 21.

### §. IV.

*Et egentium petitiones, & egeſtates ipſas diuina ſolet præcurrere pietas.*

1 SOle clarius ſi eſt, quòd beneficia ſpontè oblata paruipendi, non magnipendi; contemni, non æſtimari ſolent, vt inter cæteros notauit D. Ennodius lib. 7. epiſtolarum 15. quùm ait: *Deuenuſtat ſequutura hilaritatis genium velox impetratio.* Quid eſt, quòd Saluator ad ſe acce- *Ennodius.*

dentes infirmos, nulla interpoſita mora, nulla prorſùs de valetudine expectata petitione, eos priſtinæ reſtituit ſanitati, dicente Euangeliſta: *Acceſſerunt ad eum cæci, & claudi, & ſanauit eos.* Et licèt Carthuſianum me non lateat, dixiſſe; quòd vt præconium ſibi à pueris exhibitum, confirmaret, cæcis viſum, claudis greſſum, & à perfecta priuatione (quod naturaliter fieri nequit) ad habitum regreſſum, concedere voluit; cuius verba

Carthuſ.

ſunt hæc: *Per horum operationem miraculorum Chriſtus confirmauit, & verum oſtendit præconium ſibi à turba exhibitum: denique ſi totum Euangelicæ paginæ textum conſideremus, inueniemus vbique doctrinæ, & verbis Chriſti miſta, & iuncta eſſe miracula, quatenùs ſupernaturalis ueritas per ſupernaturalia opera comprobaretur, vt fides noſtra, ſecundùm Apoſtolum, non ſit in ſermone, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtute:* Nihilominus ego, qui moraliſſimum Senecam percurri, in lib. de beneficijs,

Seneca.

dicentem: *Omnis benignitas properat, & proprium eſt liberaliter facientis, citò facere:* cumque Dominum piſſimum, liberaliſſimumque ſciam, iuxta illud Dauidis Pſal. 144. *Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.*

Pſal. 144.

Ideò horum cæcorum, atque claudorũ aſſero non expectaſſe petitiones; quia dominica pietas, vt egenorum neceſſitatibus conſulat, ſic properare ſolet, vt & petitiones, & neceſſitates quoque ipſas, aliquando præueniat. Vndè Cyrillus ſuper illa verba; *Vis ſanus fieri.* Ioannis 5. *Magnum argumentum* (clamare ſolet & dicere) *Charitatis Chriſti eſt, non expectare laborantium preces, ſed ſua miſericordia præuenire.* Quod in cœcis, claudiſquè ab Euangeliſta modò recẽſitis, huc vſquè ſi viſum eſt, ex ſequẽtibus tamen magis videbitur.

Cyrillus.

Deus ſtatim poſtulata, & non poſtulata concedit.

2 Quod inſtitutum, vt exordiar, adulteram illam in medium affero, quæ poſt accuſationes: *Hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio:* poſt legis contra eam allationes: *Moyſes mandauit nobis, huiuſmodi lapidare;* poſt accuſantium egreſſum: *Vnus poſt vnum exibant, incipientes à ſenioribus:* a Domino tandem interrogata: *Mulier, nemo te condemnauit?* Reſpondit ipſa: *Nemo Domine.* Ioannis c. 8. Quam mulieris reſponſionem, mẽte quoties reuoluo, audire mallem, quã dicere: cur illa, quæ ſicut pietatis innitebatur auxilijs, ſic adhuc timoris iactabatur fluctibus, cùm ab Euangeliſta in medio deſcribatur poſita? *Remanſit Ieſus ſolus, & mulier in medio ſtans:* hoc eſt, inter Miſericordiam, & Iuſtitiam; vt benè notauit Euſebius Emiſſenus, qui ait: *Adhuc mulier timebat, adhuc in medio ſtabat, hinc miſericordiam, indè iudicium expectabat; quid eſt enim in medio, niſi inter miſericordiam, & iudicium? benè enim Pſalmiſta ait: Miſericordiam, & Iudicium cantabo tibi Domine.* Quod ſi verum, immò veriſſimum eſt: cur ad miſericordiam miſera non cõfugit? cùr ad pietatis brachia non ſe proiecit cum Iob, dicendo: *Noli me condemnare.* c. 10. quòd putauit ſatis eſſe dicere: *Nemo Domine?* Difficultatis iſtius ſolutionem ex Euãgeliſta facilè colligo, cùm dicat; quòd vix, vt mulier hæc verba protulit; *Nemo Domine*, ſtatim ſubiunxit ipſe: *Neque ego te condemnabo;* tacitè (ni fallor) dicere volens; quòd hæc mulier aliud non proferat, veniam non quærat, quòd cum Iob non clamet: *Noli me condemnare;* quantùm eſt de ſe, certè dixiſſet: vndè in ſermonis initio cum Dominum vocare voluit, dicẽdo: *Nemo Domine;* vt in exordio captata beneuolentia, precibus poſteà faciliùs acquieſceret ipſe, vt notauit Brugenſis: *Honoris vocabulo captat eius beneuolentiam, vocando Dominum, vt nec ab ipſo condemnaretur, cuius iudicio tradita fuerat, qui ſolus à peccato immunis iure eam poterat morte afficere:* Sed quia Dominus ſtatim ſubdidit: *Neque ego te cõdemnabo;* ideò interrupto ſermone; quod propoſuerat, proferre non valuit. Rationem autem quare mulieris ſermonem dirimere voluerit Saluator, ſi quæres: Auguſtinum lege, qui ſerm. 98. de tempore, ait; quòd Domini pietas, cùm laborantium preces expectare minimè ſoleat, vt exordium ſermonis mulieris audiuit, aliud non expectauit; ſed præueniendo preces, quod ſuppliciter mulier erat petitura, ſinè petitione conceſſit: fideliſſimus huius diuinæ liberalitatis teſtis eſt Auguſtinus in citato ſermone ſequentia dicẽs: *Adhuc mulier erat in magno periculo, quia ei ille Iudex remanſerat, qui erat ſine peccato, nemo (inquit) te condemnauit; at illa; nemo Domine; ſed nec nunc ſecura ſum; cui ſol-*

Euſebius Emiſſenus.

Iob c. 10.

Brugenſ.

Auguſt.

Deus tacitis deſiderijs reſpondet.

*ſollicitudini tacita Dominus voce reſpondit, nec ego te condemnabo: illos à vindicta repreſſit conſcientia, me ad ſubueniendum inclinat miſericordia.*

3 Non multum, ab hoc, quod modò diximus, diſsimile eſt id, quod de languido, qui triginta & octo annos in infirmitate habebat, idem narrat Ioannes c. 5. quòd hunc cùm vidiſſet Saluator, & interrogaſſet: *Vis ſanus fieri?* Reſpondente illo: *Domine, hominẽ non habeo, vt cùm mota fuerit aqua, mittat me in piſcinam:* ſe ampliùs continere (ſi ſas eſt dicere) diuina non potuit Pietas: ſed ſtatim ſubiunxit: *Surge tolle grabatum tuum, & ambula.* Sed quid eſt hoc, ait D. Cyrillus, ſanitati quomodò languidum reſtituit, ſi ſanitatẽ non expoſtulabat infirmus? An fortè, quià diuina Pietas egentium preces non expectat, nec voces; ſed vt iſti de petendo conſultant, ipſa neceſſitatibus conſulit? Ità ait D. Cyrillus his verbis: *Præcurrit enim vt vides, venit ad iacentem, miſericordia flectitur, antequàm ei ſupplicatur.* hæc ipſe. Ex quibus colligi poteſt, quòd ſi in petendo quid aliquando deeſt, diuina pietas in cauſa eſt, quæ petitiones, preceſquè cùm non expectet, neceſsitatibus priùs conſulit, quàm precibus exprimantur.

Ioan. c. 5.

Cyrillus.

Præcurrit noſtras preces.

4 Hinc verborum illorum: *Cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcãt apud Deum.* Ad Philipp. 4. quæ multam pluries ſpeculandi anſam mihi præbuerunt: quomodò gratiæ priùs ſint reddendę, quàm preces fundendę, nunc intelligentiam carpo; quòd Deus ſic hominum preces præcurrere ſolet, quòd prima orantium vox, gratiarum actionis, non petitionis eſſe debet. Bernard. ſerm. de quatuor modis orandi. *Quoniam exauditum eſt deſiderium eius, ità, vt certus iàm non orare, ſed gratias agere poſſit.* Perindè atquè maniſeſtiùs diceret: ſi petentiũ cogitationes & vota ſic Deus exaudit, vt petitiones haud expectet; inimò ſi ipſis tantùm petendi intentionibus ſatisfacere ſolet, prima orantis vox, quę profertur, gratiarum debet edere ſonum, non egeſtatum, cùm iàm non petitio, ſed petendi deſiderium ſit exauditum.

Ad Philip. c. 4.

Bernard.

Gratiarum actio præcedat orationẽ

5 Quàm doctrinam Paulum ex eo maximè accepiſſe exiſtimo, quod narrat D. Ioannes. c. 11. quùm dicit; quòd priuſquàm Lazarum de monumento Dominus vocaret, ad Patrem his verbis orauit: *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me:* Sed, quid eſt hoc, quod dicis, o Domine (ait Origenes) ſi pro Lazaro vſquè modò nihil petiſti, quomodò pro eius reſurrectione te iàm exauditum aſſeris? Et quod difficiliùs eſt, quomodò priùs gratias agis, quàm oras? Quis hucuſquè hunc petendi modum ſeruauit? Nimirùm nullus. Cur igitur, vt cæteri priùs non petis, & poſt petitiones gratias agis, quòd priùs gratiarum actionis verba profers, quàm petitionis, dicẽdo: *Gratias ago tibi, quoniã audiſti me?* Sed myſterium iàm intelligo, dicit idem Origenes; quia inter Deum, & mundum diſpar eſt ratio: nàm hic poſt multas petitiones, multaſquè poſt preces, vix aliquid concedere conſueuit: ea de cauſa mundani potiùs petunt, quàm gratias agant, cùm nunquàm, an aliquid petitorum ſint obtenturi, pro certo habeant: Deus autem, quia ſic ad pietatem pronus eſt, vt petitionibus, non tantùm, ſed ipſis etiàm petendi intentionibus ſatisſacere ſoleat; ergo optimo iure antè petitionem ſe exauditum aſſerit Saluator, cùm non petitio, ſed petendi iàm ſit exaudita intentio: uerba autem eius ſunt hęc: *Gratias agit ei, qui orationem præcucurrerat; & quaſi auditus in ijs, quæ cogitaſſet quidem, ſed minimè protuliſſet, hæc ait: Gratias tibi ago, quia audiſti me.* ſic ipſe. Ex quibus uideri poteſt, quarè ante orationem, ſe exauditum aſſerat Saluator; quia *Orationem præcurrerat Pater.* Nèc mirum nũc uideri debet; ſi priùs gratias agit, quàm orat; quia ſi petendi intentionem, iàm exauditam, ſciebat, ampliùs petere non oportebat: ſed pro conceſsis maximas gratias reddere debebat. Citatus Origenes. *Erat ergò oraturus prò Lazari excitatione, et reſurrectione, & præcurrens, atq; præoccupans eius preces, ſolus bonus Deus, & Pater audit ea, quæ in oratione dicenda erant, quorum cauſa, audiente circumſtante eum populo, pro oratione gratiarum actionem mittit Saluator.* Quorum uerborum, ſi pręcipuè notabis illa: *Bonus Pater audit ea, quæ in oratione dicenda erãt; ideò pro oratione gratiarum actionem mittit Saluator:* clarè uidebis undè didicerit Paulus

Ioan. c. 11.

Origenes.

Deus audit antequam petatur.

Origenes.

mundum inſtruere, quòd cum gratiarũ actione petitiones innoteſcant, quia hoc à Saluatore acceperat, qui ſe ante orationem exauditum agnoſcens, pro oratione gratiarum actiones trãſmiſit.

6 De Philoſopho quodam legiſſe me, memini, qui, cùm poſt multas preces, atquè importunitates, ad Regẽ eſſet introductus, vt quod ſibi opus erat, impetraret, cùm in illius conſpectu nihil prorſùs dicere, aut petere voluiſſet: tandem, vt ſtultus, à Regis conſpectu eiectus; de illo conqueri cæpit, & dicere: quòd nũquam eum ſic durum, & inflexibilem exiſtimare potuiſſet, vt iàm experimento probauerat, cùm nec paruam petitionem ab eo obtinere quis poſſet. Quibus Philoſophi querimoniis ad Regem delatis, ab eo iterũ eſt vocatus; & cur quereretur, interrogatus, ſi quod optabat, petere recuſauerat: cui reſpondit Philoſophus: *Quærebam Principem, qui exaudiret me ante loquelam.* Vtinàm Saluatoris tempore extitiſſet Philoſophus iſte! quia Principem abſq; dubio inueniſſet, qui ante loquelam exaudiſſet! cùm non petitionibus tantùm, ſed ipſis etiam petendi deſiderijs ſatisfaciat. vndè iuxtà Paũli doctrinam, priuſquàm quid ab eo petatur, ei gratiæ ſunt perſoluendæ.

Dictum notabile cuiuſdam Philoſophi.

Solus Deus irrequiſita concedit.

7 Nec petitiones tantùm diuina pietas pręcurrere ſolet, ſed ipſas etiam indigentias pręuenire multoties curat; vt videre eſt in eo, quod de mundi creatione dicit Moyſes; qnòd ſcilicèt, antequàm res alia Dei loquutione, verbo, atquè imperio produceretur, lucem producere voluit, diceudo: *Fiat lux*. Geneſ. 1. Et tamen ſi quartæ diei conſiderentur opera, tunc Cœli luminaria eſſe producta, clarè inuenietur. *Fiant luminaria in firmamento Cœli, & diuidant diem, ac noctem: vt luceant in firmamento Cœli, et illuminent terram.* Cur autem lux, non vt cęterę creaturę, ſemel, ſed bis dicatur creata, explicat Auguſtinus ſuper Geneſim ad literam, quũm dicit; quòd lux, quę primo die creata eſt, fuit Angelica natura, quę lucis nomine ob pręſtantiam vocari poteſt: quę autem quarto die dicitur producta, eſt iſta corporalis, quę oculis cernitur, mundumquè illuminat. Tamen Anaſtaſio Synaitæ (vt nonnullos alios omittam) dicere placuit: quòd per lucem primo die productam, Chriſtus ſit intelligendus: vndè verba illa: *Fiat lux*: explicat ipſe: *Hoc eſt Chriſtus.* Quę ſententia ab eo non diſcrepat, quod de ſe dixit Saluator, Ioannis c.8. *Ego ſum lux mundi.* Nec ab re in prima creationis die, ante alias creaturas, & præcipuè anteq iàm hominis deſcriberetur creatio, de luce, hoc eſt, de Chriſto peculiaris ſit mentio; quia præter id quod Scotus ait in 3. diſt. 1. quæſt. 3. Quòd ordinatè volens, priùs videtur velle propinquius fini, ſicuti eſt Chriſti humanitas, quæ propinquior Deo eſt qualibet Creatura; ideò antè omnẽ creaturam, de Chriſto ſub verbis illis, *Fiat lux*, ſit mentio. Tamen ego, ex eodẽ Anaſtaſio, aliam elicio rationem; quòd ideò priùs de Chriſto, quàm de Creaturis, & præcipuè de homine, & eius caſu, loquitur Moyſes; non tantùm, quia, vt Scotus loco proximè citato ait; quod Verbi incarnatio, quantùm eſt ex parte obiecti, naturalitèr præcedebat præſcientiam peccati: verùm etiam, vt Dei noſtri oſtenderet pietatẽ, quę & egentium preces, & egeſtates ipſas præcurrere volens, priùs de ęgritudinis medicina, quàm de ipſo Adę caſu, ac ægritudine, loquitur. Pręſtat audire citatum Anaſtaſium, cuius verba ſunt hæc: *Sciebat enim fore, vt hæc illi paterentur, & malè afficerentur à peccato Adæ, & ſua benignitate, & clementia præuenit mali, quod erat homo paſſurus, incurſionem, ante vitium parans remedium.* Sic ipſe in Exam. lib. 1. cuius ſi non paruipendas verba illa, *Ante vitium parans remedium;* noſtrum perfectè probatum videbis inſtitutum: quòd ſua Deus pietate indigentias ipſas pręuenire ſolet, non tantùm preces.

Geneſ. c. 1.

Lux in mũdi exordio producta. Chriſtum figurabat.

Ioan. c. 8.

Scotus.

Anaſtaſius Synaita.

Deus ante vitium parat remedium.

8 Ex hoc fortaſsè accepit Virgo Beata, noſtris ſuccurrere indigentijs, antequàm indigentia laboremus: quod clarè oſtendit in nuptijs, in quibus Ioannes. c. 2. ait: *Deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: vinum non habent.* Quæ Euangeliſtę verba conſiderans Auguſtinus. ſerm. 4. de tempore, ait: *Cum vinum iàm deficere incepiſset, antequàm omninò deficeret, dixit Mater eius: vinum non habent.* Itaquè iuxtà Auguſtini ſententiam, & vt ex vi verborum illorum, *Deficiente vino*, colligi poteſt, totalitèr non

Virginis pietas.

Ioan. c. 2.

Auguſtinus.

de;

Digitized by Google

defecerat vinum, ſed iam iàm totalis imminebat defectus, quem conſiderās pijſsima Virgo, expectare minimè potuit, vt totali laborarent inopia: ſed vt illa, quę à Filio ad prępueniendum benè erat edocta, & indigentium preces, & indigentias ipſas præcurrere voluit, dicendo: *Vinum non habent*. Ad cuius confirmationem Lyranum adduco, dicen- *Lyranus.*

tem: *Ex corde enim piiſſimo voluit præuenire totalem defectum, ne appareret confuſio: ideò inuitauit filiū, quem ſciebat ad hoc potentem, ſicut à principio edocta fuerat per Angelum, & per Spiritum Sanctum.* Vndè cum Dauide concludere poſſumus, & dicere: *Deus meus, miſericordia eius præueniet me.* Pſal. 58. quod ſatis iàm puto patere ex dictis. *Pſal. 58.*

Ante egeſtatem ſuccurrit.

FERIA

# FERIA QVARTA
## POST DOMINICAM PRIMAM
## QVADRAGESIMAE.

**Magiſter volumus à te ſignum videre. Matth. 12.**

### §. I.

*Verus ille cenſeri debet Magiſter, qui manu potiùs, quàm lingua docet; & quod ore profert, facto prodit.*

1 QVod à Domino nimis irrationabilitèr ceca petit inuidia, cùm dicit: *Magiſter volumus à te ſignum videre:* irrationabilitèr quidèm, vt D. ait Chryſoſtomus hom. 44. ex cap. Matth. 12. cùm tot à Saluatore ſigna, miracula, atq; prodigia vidiſſent, ac ſi nullũ miraculũ hucuſq; ab eo patratum fuiſſet, ſignum petunt, dicentes: *Magiſter volumus à te ſignum videre.* Vndè citatus Chryſoſt. in hunc modũ exclamat: *Poterit nè quicquàm, non dico impium magis, ſed ſtolidius iſtis inueniri, qui etiam poſt tot, tantaq; ſigna, quaſi nullum ſignum eſſet factum, dicere audent: volumus abs te ſignum videre?* Quod ergò irrationabilitèr iſti à Saluatore petunt, hoc ego Doctoribus, atq; Magiſtris ſatis rationabilitèr dici poſſe, exiſtimo; videlicèt, quòd magiſtri ſi ſunt, ſi alios inſtruunt, ſignis non minùs, quàm verbis; factis, quã dictis; exequutione inſtruere debent, quàm locutione: quia vt benè notauit Ouidius ad Lauiniam ſcribens: plùs oculis, quàm auribus Præceptorum doctrinam percipere ſolent diſcipuli, cùm ait.

Matt. c. 12.

Chryſoſt.

Bonus Magiſter qui factis docet.

Ouidius.

*Ad te oculos, aureſq; trahis, tua facta notamus.*

Et Faſtor. 6.

Dictis facta reſpondeãt.

*Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur.*

*Cùm Iudex alios, quod monet, ipſe facit.*

Ex quo dicere conſueuit Philo de nominum mutatione: *Eſt enim, vt aiunt, oratio, actionis vmbra:* dicere (ni fallor) volens, quòd ſicut corpus ſequitur vmbra, ſic oratio ſequi debet opera: ſecùs autem ſi Magiſter fecerit, dici procul dubio ei poterit illud, quod de Gabba Pictore refert Martialis lib. 5. Epigram.

Philo

Martialis.

*Gabba bonus pictor homines pinxiſſe decoros,*
*Fertur, & indecores progenuiſſe duos.*

Sic benè pingit, ſed malè fingit, qui benè loquitur, & malè operatur: quod moraliſſimus Seneca optimè noſcens, veri Magiſtri tradere voluit normam, cùm ait: *Talis ſit tibi Magiſter, qui idem ſit dicens, & faciens.* Quod ſupra modum perfectè, quia obſeruauit Dominus, de quo Luc. 24. dicitur, quòd, *erat potens in opere, & ſermone.* Et Actor. 1. *cæpit facere, & docere.* Ad alios Magiſtros (quos Ambroſius his verbis monet: *Sicut Gallus priùs ſe excitat, & à ſe puluerem, & ſomnum depellit, & hoc perfecto canit, vocat, & alios excitat, ſic Concionator, priùs à ſe negligentiam, & cuiuſcunq; peccati puluerem, verecundiamq; expellere debet, vt alios ad hoc idem excitare poſſit*) ſermonem vertens, quòd factis non minùs, quàm verbis inſtruere debeant, oſtendo.

Seneca.

Luc. c. 24.

Act. c. 1.

Ambroſ.

2 Ad cuius veritatis probationem ſatis pulchram moueo difficultatem, & eſt: cur Spiritus ſanctus, qui toties in ſacris paginis Dei digitus nuncupatur, quo, & Cœli firmati ſunt. *Videbo Cælos tuos opera digitorum tuorum.* Pſal. 4. & legis tabulæ ſcriptæ leguntur. *Deditquè Dominus Moyſi completis huiuſmodi ſermonibus in Monte Sinai duas tabulas teſtimo-*

Pſal. 4.

*Exod. 31.*

*monij lapideas, ſcriptas digito Dei.* Exod. 31. Et Dęmones fuiſſe eiectos pro certo habemus; nàm vbi Lucas dicit: *Porrò ſi in digito Dei eijcio Dæmonia.* c. 11. Matth. dicit: *Si in Spiritu Dei eijcio Dæmonia.* c. 9. Vndè Anaſtaſius Synaita lib. 1. de Rectis fidei Catholicæ dogmatibus. *Digitum Dei dici Spiritum Sanctum, Moyſe teſte, comprobatur, & docente nos Chriſto didicimus: Moyſes enim dixit, exaratas ſiuè ſculptas à Deo tabulas, ſcriptas eſſe digito Dei; Chriſtus autem ad Iudæos, qui Dæmoniorum expulſionem adſcribebant maligno ſpiritui Beelzebub, ait: Si autem ego in Spiritu Dei. Pulchrè igitur interpretati ſumus, manus Dei, & eius digitos, Filium ipſius, & Spiritum ſanctum.* In die Pentecoſtes nõ in digiti, ſed in linguæ forma ſuper Apoſtolorum capita apparere voluit. *Apparuerũt illis diſpertitæ linguæ tamquã ignis, ſeditq; ſuprà ſingulos eorum.* Actor. 2. Et licèt penè omnes Sacræ Scripturæ Expoſitores aſſerere noſcam, Spiritum Sanctum linguæ formam aſſumpſiſſe, tùm quia loquendi ſcientiam tribuere debebat, vt rei probauit euentus; nàm vix tali lingua præditi, *Cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* ibi. tùm etiam; quia, ſi ad inſtruendum mundum veniebat, iuxtà illud Ioannis 16. *Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio*: iure optimo non in alia quàm in linguæ forma apparere, debebat. Attamen cur digito comparari, & linguæ formam aſſumere, voluerit Spiritus Sanctus, diuinum ego video latere myſterium; vt ſcilicèt tacitè nobis veri Doctoris oſtenderetur forma, & tribueretur figura: quia ſicuti per linguã ſermones indicantur & verba, ſic per digitos, opera figurantur & facta, vt oſtendatur, quòd verus Doctor cenſeri nullatenus debet, niſi qui manu, & lingua, illa priùs, hac poſteriùs (cùm magis moueant exempla, quàm verba) corripit, docet, & inſtruit: Cui meo cogitatui applicari poſſunt Origenis verba. *Non abſquè Sacramento hoc mihi videtur ſcriptum: ſcilicèt, quòd manu, & lingua operari debent milites Chriſti, hoc eſt opere, & verbo; quia, qui docet, & facit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.* hom. 9. in Iudic. Quod qui in docendo, ſeruat, haùd difficilè etiam pertinacium corda mouebit, & ſcindet, iuxtà illud Eccleſiaſt. 3. *Lingua tertia multos commouit*: quia ſi prima Concionatoris lingua, cordis eſt, vt habetur ex Pſal. 14. *Qui loquitur ueritatem in corde ſuo*: Et ſecunda, illa, de qua in eodem Pſal. dicitur: *Qui non egit dolum in lingua ſua*: Tertia debet eſſe, de qua ſimiliter ibidem ſcribitur: *Nec fecit proximo ſuo malum*: Et per conſequens; operatus eſt bonum: hæc tertia lingua, nempè operum, multos commouit, & à malo ad bonum trãſtulit, cùm factis magis moueatur mundus, quàm dictis, vt peteximiè expreſſit Gregor. lib. 1. moral. c. 14. *Apparet ergo Doctor, non tàm cùm verbo loquitur, quàm cùm vita, & operibus mirabilitèr demonſtratur.*

*Luc. c. 11.*

*Matth. c. 9.*

*Anaſt. Synaita.*

Spiritus sãctus Dei digitus.

*Act. c. 2.*

*Ioan. c. 16.*

*Origenes.*

Cur non in digiti, ſed in linguæ figura apparere voluit.

*Eccleſ. c. 3.*

*Pſal. 14.*

Lingua tertia, quæ.

*Gregor.*

3 Quod Magiſtri ſi fecerint, & Doctores; inſtar ſurdi, & muti illius, qui vix vt à Domino affatum recepit, non qualitercumq; ſed ſatis benè loqui cœpit, de quo D. Marcus ait: *Solutum eſt vinculum linguæ eius, et loquebatur rectè.* cap. 7. rectè loquentur & ipſi. Verùm circa tactum Marci locum, ſilẽtio prætereundũ minimè puto, quòd non ſimplicitèr loquutum, ſed rectè fuiſſe loquutum, dicatur, cùm ad miraculi euidentiam ſatis fuiſſet dicere: Solutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur: vt, de alio muto per Dæmonis expulſionem à Domino curato, ſcripſit Lucas c. 11. *Erat Ieſus eijciens Dęmonium, & illud erat mutum. Et cùm eieciſſet Dæmonium, loquutus eſt mutus.* Cur ergò non vt Lucas miraculum ſcribere, ſed aliquid aliud Marcus addere voluerit, ex eo facilè colligo, quia non eodem modo vterq; curatus eſt: nàm qui à Luca deſcribitur, ſolo Saluatoris imperio: qui autem à Marco per linguæ tactum, loquendi facultatem accepit: *Expuens tetigit linguã eius: & ait illi: Ephphetha, quod eſt adaperire.* Et ſi per manum, & digitos opera, per linguam autẽ verba intelligi ſolent: nil mirum, quòd hunc loquutum, & rectè fuiſſe loquutum, ſcribatur, cùm operum manus verbis adiungere, ſtuduerit: Et ſi inter Ægyptiorum hieroglyphica, vir ſapiens notabatur, & ſignificabatur per manum ori, ac linguæ admotam; planè ſapiens dici debebat iſte, cuius linguæ Dominica fuerat admota manus, vt non qualitèrcunq; ſed ſatis rectè

*Marc. c. 7.*

*Luc. c. 11.*

*Marc. c. 7.*

loqui

*Gregorius.* loqui diceretur.Gregor.in Ezech.lib.1. hom.10.*Benè additur:& loquebatur rectè. Ille enim rectè loquitur,qui priùs obediendo fecerit, quæ loquendo admonet eſſe faciẽda:ſic ipſe.*Ille autem à Luca deſcriptus, quia manum linguæ non habebat admotam, loqui quidèm dici poterat,ſed rectè,nequaquàm; quia verbis tantùm, quod veri magiſtri proprium non eſt, loqui cępit,non factis.

Benè loquitur, qui benè operatur.

4 Saluatoris dicto,hoc idem confirmo; quòd non omnis, qui docet,verus dici debet Magiſter: ſicut nec omnis,qui loquitur, quòd rectè loquatur, dici poteſt: ſed tantùm ille, qui operum lingua,loquens, faciendo magis, quàm dicendo docet: *Niſi abundauerit iuſtitia ueſtra pluſquàm Scribarum, & Phariſæorum,non intrabitis in Regnum Cælorum.*Matth.5.Quæ verba ad vtramquè legem, nouam, & veterem eſſe directa,aſſerit Chryſoſtomus hom.16.in Matth. vt quàm illa hac perfectior ſit, oſtendatur: cuius verba ſunt hæc: *Perſpice igitur etiam quemadmodum legem conſtituat antiquam, dùm eam confert nouæ: Plùs enim ac minùs eiuſdem generis eſt: non igitur legi obtrectat antiquæ,ſed profectò intendere vult:* Quæ etiam fuit ſentẽtia Imperfecti,prædicta verba Saluatoris ſic explicantis. *Niſi abundauerit iuſtitia ueſtra, hoc eſt, hominis Chriſtiani, pluſquàm ſcribarum,et Phariſæorum* &c. hom. 12. in Matth. Et tandem, vt reliquos omittam, id etiam confirmauit Chriſtianus Ruthmanus,dicens:*Iuſtitia Phariſæorum eſt: non occidere, non adulterare: iuſtitia Chriſti, & omnium Chriſtianorum eſt:non odiſſe, non concupiſcere, proximum propter Deum amare: ſeaſus igitur talis eſt: Phariſæi homicidia, & furta, pro crimine habent, diſcipuli mei etiam cogitationes, & uerba iniqua deuitent.*hæc ipſe.Nihilominus Vgoni inhærere ſententiæ, mihi nõ diſplicet, qui ait; quòd ideò Dominus, Scribarum, & Phariſæorum iuſtitiam, nos excedere præcipit; quia illorum iuſtitia completa non erat,ſed incompleta: cuius verba ſunt iſta: *Iuſtitia Scribarum, & Phariſæorum ſemiplena erat; ideò dicit: niſi abundauerit* &c. Quæ Vgonis Cardinalis ſententia,& ſi de Iudæorum perfidia poſſet intelligi, vt ipſemet explicat, quia videlicèt legi obediebãt;in

*Matth. c.5.*

*Chryſoſt.*

*Imperfect.*

*Chriſtianus Ruthman.*

Lex noua antiqua perfectior.

*Vgo Card.*

Chriſtum autem credere minimè volebant: & quia lex in eum eſſe credendum præcipiebat; ideò eorum iuſtitia ſemiplena dici poterat, & non plena, atquè perfecta. Tamen ad rem noſtram; Scribarum, & Phariſæorum iuſtitiam ſemiplenam quidèm appellarem,non ob aliud certè, niſi quia eorum iuſtitia in ore tantùm conſiſtebat, non in manibus; in verbis tantùm, non in factis,cùm ea,quæ docerent, minimè efficerent: idcircò eorum iuſtitia, vt ſemiplena, & incompleta à Domino reijcitur, quàm dicitur: *Niſi abundauerit iuſtitia ueſtra pluſquàm Scribarum,et Phariſæorum* &c. Quod vſquè modo dixi, confirmauit Emiſſenus hiſce verbis. *Scribarum, & Phariſæorum iuſtitia fuit, ut benè prædicarent, & benè populum admonerent; nõ tamen ea faciebant,quæ prædicabant,& admonebant:erat ergò eorum iuſtitia dicere,& non facere; legem ſoluere & non adimplere.* Certè vides;cur ſemiplena, & imperfecta dicatur Phariſæorum iuſtitia; quia,dicere,& non facere; legem ſoluere, & non adimplere ſtudebant.

*Euſebius Emiſſen.*

Docere, & non facere Phariſaicũ.

5 Nunc ianuam celebri difficultati apetio: cur in ſacris paginis,non ſemel, ſed pluriès,vox,ſit appellatus Ioannes? dicente in eius perſona Iſaia: *Ego vox clamantis in deſerto.* c.40. Quę verba cõmuniter Sancti Patres in Pręcurſoris perſona dicta eſſe teſtantur,vt inter cæteros breuitatis cauſa relictos, dixit Auguſtinus tract. 4. in Ioannem. *Iſaias illud dixit, & in Ioanne prophetia iſta Iſaiæ impleta eſt:* Nec ab hoc tantùm, ſed à Dauide etiam, voci eſt comparatus Ioannes in Pſal. 28. *Vox Domini ſuper aquas, vox Domini in magnificentia; vox Domini ſuper aquas multas.* Quę omnia multaque alia in eodem Pſalmo decantata, Ioanni accommodat Baſilius hom.2.ſuper idem, quàm dicit: *Dictum hoc, vt propheticum ſumendum eſt, memor eſto Ioannis,qui cùm interrogatus eſſet à Iudæis,tu quis es? Reſpondit, ego vox:eſt ergò vox Domini Ioannes,& erat ſuper aquas,in Iordane, in quo baptizabat.* Quę de ſe prędicta(vt Origenes ait) noſcẽs Ioannes; ſe non aliud quàm vocem aſſerebat,dicens: *Ego vox clamantis in deſerto.* Ioannis. 1.Quæ Præcurſoris prærogatiua,

*Iſai.c.40.*

*Auguſt.*

*Pſal.28.*

*Baſilius.*

*Ioan.c.1.*

ua, quòd iàm pridèm vox diceretur, parua ſanè non fuit: quia, vt benè notauit Toletus in comm. ſuper Ioannem, citatam Iſaiæ prophetiam explicans: Idem erat Ioannem, vocem appellati, ac Prędicatorem, Doctorem que eximium. *Expendenda verba ſunt Iſaiæ: vox clamantis; quaſi dicat: uox clamans, ideſt, Prędicator publicè, et manifeſtè docens, exhortans omnes in deſerto, quem omnes audire debent.* Sed cur tali inſignitus ſit titulo Ioannes, quali, nec vllus ante, nec poſt dignus eſt habitus, noſcere ſi cupis, ad alium ſcripturæ locum recurrere debes, & eſt ille Lucæ 3. *Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto, prædicans baptiſmum pænitentiæ &c.* Circa quod eſt aduertenda prępoſitio illa, *ſuper*, cùm non in Ioanne, ſed ſuper Ioannem Domini verbum factum eſſe dicatur, quod licèt D. Bonauentura explicet: *Factum eſt uerbum Domini ſuper Ioannem, ſcilicèt, per inſpirationem ſupernam; ideò dicitur, ſuper Ioannem, quia Spiritu Sancto inſpirati, loquuti ſunt Sancti Dei hommes, undè, ſuper, ſignat auctoritatem, ſecundùm illud Spiritus Domini ſuper me, ad annuntiandum pauperibus miſit me.* Sebaſtiani Gomezij tamen expoſitio non parùm mihi arridet, qui ait; quòd verbum Domini, ideò dicitur ſuper Ioannem, non in Ioanne factum; quia, quod alijs prædicabat, id priùs ipſe ſuper ſe ſumebat, & ob id factum priùs dicitur, quàm verbum, *Factum eſt uerbum Domini*, quià priùs manum adhibebat, quàm linguam, cùm priùs factitaret, quàm diceret. Quam ob cauſam magnus Prędicator dici debebat Ioannes & Doctor: immò vox mundum erudiens, per antonomaſiam, vocari meritò poterat, cùm eius verba, facta potiùs ſuper ſe ſumpta, quàm verba ad alios directa, dici poſſent. Adſit præcitatus Gomezius, qui ſuper Pſal. 50. ſic ait: *Diuus Ioannes Baptiſta propterea vox dicebatur clamantis in deſerto: quia quicquid in ipſo erat, vox prædicationis erat, & vocem prædicãtem emittebat; ſed eo modo, quo Lucæ 3. habetur: Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium. Vbi eſt attendendum prępoſitionem illam, ſuper, innuere D. Ioannem Baptiſtam, id; quod prædicabat, ſuper ſe ſumpſiſſe, & priùs dici factum, quàm verbum, quia priùs faciebat manu, quod prædicabat, quàm illud ore pronunciaret.* Proculdubio vides: cur magnus Prædicator, & Doctor dictus ſi Ioannes? Quia eius prædicatio factũ magis dici poterat, quàm verbum, cùm priùs ſuper ſe ſumeret, quod alijs poſtea prædicabat: ex quo quis verus dici debeat Magiſter, colligere potes.

*Toletus.*

Baptiſta cur vox appellatus.

*Luc. c. 3.*

*Bonauent.*

Prius operibus prædicabat, quàm verbis.

*6* Ampliùs nunc non miror, cur, vt adeſſent prædicationi Ioannis, concurſus talis populorum fiebat, quòd dicere coactus fuit Matthæus. c. 3. *Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio circà Iordanem*: quia illud: *Tunc*: quod non inanitèr ab Euangeliſta ponitur; cùm non ſimplicitèr dicatur: exibat ad eum Ieroſolyma: ſed, *Tunc exibat ad eum Ieroſolyma* &c. ſoluit difficultatis nodum; cur ad Ioannem potiùs, quàm ad præcedentes Magiſtros, atq; Doctores talis fieret populorum concurſus? quia illud: *Tunc*: ad immediatè antecedentia refertur; quæ ſunt hæc: *Venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis Camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſilueſtre: Tunc exibat ad eum Ieroſolyma* &c. Tacitè (ni fallor) dicere volens Matthæus: rationem ſi ſcire vultis, quãdo ad Ioannem plures confluerent? quùm pœnitentiam prædicabat quidem, ſed tunc pręcipuè, quùm ipſe rudi amictu; immò aſpero cilicio, longaque inedia, pœnitentiam, quam prędicabat, magno patiendi ardore ſuper ſe ſumebat: tũc (inquã) maximè ad eum populorũ fiebat cõcurſus. Nil alitèr Toſtatus. q. 25. explicat illud, *Tũc*, ad quod referri debeat, quùm dicit: *Nota, tunc, poſtquàm deſcripta eſt uita Ioannis in cibo, & ueſte, tunc exibat ad eum Ieroſolyma, hoc eſt, habitatores Ieruſalem*: ſic ipſe: ac ſi clariùs diceret: Quùm maximis pœnitentię, aſperitatis, atquè rigoris exemplis docere cæpit Ioannes, tunc ad eum, vt ad verum Præceptorem omnis multitudo concurrere cępit.

*Matt. c. 3.*

Eius pœnitentia admirabilis.

*Toſtatus.*

Curritur ad prædicatorẽ quùm factis docet.

7 Quid poſtea de noſtro magno Patre, & Patriarcha inclyto dicam? de Franciſco videlicèt. Quot à veritatis via aberrantes, ad veræ perfectionis ſemitam reduxit? Quot ab Ægypto ſeculi huius, ad fælicem promiſſionis Terram,

S Frãciſcus optimus cõcionator.

ad ſecurum (dico) Religionis ſtatum, reduxit? Quot virorum, mulierumque cateruas, nè Oppida, & Ciuitates, immò Regna ipſa incolis expoliaret, Tertij ordinis habitum, qui Pęnitentium dicitur, in proprijs domibus indutos reliquit? Vt vel ſic etiā in ipſis, qui Coniugij vinculis tenebantur adſtricti, Religioſę vitæ norma vigeret? Sed qua ſermonis elegantia, & quibus verbis pluſquàm diſertis, tot hominum millia pòſt ſe trahere potuerit Franciſcus, explicat D. Bonauentura in laudem eius doctrinæ, his verſibus canens.

*Bonauent.*

*Lingua manus pręambula*
*Verbo parauit ſemitam,*
*Et amplectuntur ſęcula*
*Doctrinam facto proditam.*

Quid mirum, ſi mundus totus pòſt Frāciſcum cucurrit? Quid mirum, ſi omnes eum videre, & audire optabant, ſi manus linguam præcedebat, ſi facta verbis viam parabant? Ideò amplectuntur ſecula doctrinam, quia facto erat prodita, non verbis.

*Geneſ. c. 27.*

8 Secùs autem ſi Doctor fecerit, dici ſanè ei poterit illud Geneſ. 27. *Vox quidèm vox Iacob eſt: manus autem, manus ſunt Eſaù.* hoc eſt rectè loquētis, perfectè dicentis, ſancteque monentis verba ſunt hæc, cùm per Iacob iuſtus intelligatur, & ſanctus, iuxta illud Pauli: *Antequàm aliquid boni, aut mali egiſſent, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt eis; Iacob elegi, Eſaù autem odio habui.* Ad Rom. c. 9. Manus autem, manus ſunt Eſaù, hoc eſt, opera, quę per manus ſignificantur, verbis minimè reſpondent, cùm hæc perfectionem ſonent; illa imperfectionē oſtendant: quò ſi nihil mōſtruoſiùs dici poteſt, quā ſcilicèt vnius vocē habere, alterius verò manus; iuxta illud Bernardi: *Lingua magniloqua, manus otioſa, doctrina lucida, vita tenebroſa eſt res monſtruoſa.* Quā monſtruoſitatē ſtupens Iſaac, ait: *Vox quidèm, vox Iacob eſt: manus autem, manus ſunt Eſaù:* monſtrum vocari debet & ille, qui verbis docet, non factis; ad quod monſtrum cum Gomezio dicere debemus: *Nō ſit in Cōcionatore vox iuſti Iacob, & manus peccatoris Eſau, de quibus ſit mentio in Geneſi. Sit igitur Concionator talis, vt quicquid in ipſo ſit, ſit vox, hoc eſt, vocem Prædicatoris emittat; ſicut quicquid in Ioanne Baptiſta erat, nempè, vita miraculoſa, & verba prodigioſa, & omne, quod in ipſo erat, prædicabat*, ſic ipſe ſuper illud: *ego vox.* Ioannis 3.

*Ad Rom. c. 9.*

*Bernard.*

*Prædicator per omnes ſui partes corporis prædicet.*

9 Sed potiùs omnis, qui docet, Aggæum prophetam imitari debet, de quo in eius prophetia c. 1. habetur, quòd, *Factum eſt verbum Domini in manu Aggæi prophetæ:* non in ore, non in lingua (vt benè Cornelius à Lapide notauit) ſed in manu; quia verbum Domini, quod ore proferebat Aggæus, manu dicebatur factum, non verbum. Vndè citatus Cornelius. *Quia Aggæus non tantùm lingua, & ſermone, ſed manu, ideſt, opere, ſanctaque vita, & exemplo prophetauit; ideò dicitur factum eſt uerbum Domini in manu Aggæi:* quem, ſi noſtris hiſce temporibus Doctores imitarentur, & Concionatores, non ſic in audiendo Chriſtianorum tepeſceret animus, vt videtur in dies; ſed pòſt eos mundus totus curreret, vt excellentiſſimo hoc dicendi modo, vt Bernardus ait: *Excellentiſſimus dicendi modus, dùm faciendo, quæ prædicantur, alijs factibilia oſtenduntur, quæ docentur,* inſtrui poſſet.

*Agg. c. 1.*

*Cornelius à Lapide.*

*Habeat verbum in manu, non tantum in ore.*

*Bernard.*

## Generatio mala, & adultera ſignum quærit: & ſignum nō habitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Matt. 12.

### §. II.

*Maiores inter minas, maximaq; inter ſupplicia, diuinus ſemper conſueuit miteſcere rigor.*

1 QVam ob cauſam ille, qui poterat cuncta edere ſigna, operari miracula, nec non mira patrare facinora, Ionę tantùm promittere voluerit ſignum, dicens: *Generatio mala, & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ?* Excogitaui, & non ſemel, pręcipuè cùm pro certo habeam, quòd tàm in inferiori terræ corde, quàm in ſu-

*Matt. c. 12.*

ſublimi Cęli Arce apparere ſigna, & coruſcare miracula, efficere poterat: & licèt Rabanus in Catena citatus huius difficultatis nodum ſoluat, dicendo:

*Rabanus.*

*Reſpondere incipit non eis ſignum de Cælo, quod indigui erant uidere, ſed de profundo inferni tribuens: diſcipulis autem ſuis ſignum de Cælo dedit, quibus æternam beatitudinis gloriam, & prius in monte figuralitèr, & pòſt veracitèr in Cælum ſuperexaltatus, oſtendit.* Attamen ex eodem Rabano huius difficultatis aliam ego elicio ſolutionem, & eſt: vt ſummum amoris ſignum, quod oſtendere vnquam poterat, tunc maximè ſe præſtiturum promitteret; & ſanè ſi iuxtà communē Sanctorum Patrum expoſitionem, per Ionæ ſignum, Chriſti Paſſio figurabatur, & mors; quod maius pietatis charitatiſque promittere poterat ſignum, quàm hoc? dicente Paulo, ad Romanos. 8. *Proprio Filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et Gregorio. *O inæſtimabilis dilectio charitatis, vt ſeruum redimeres, Filium tradidiſti!* Nec mirum, quòd tunc præcipuè maximum hoc pietatis ſignū promitteret: quia inter ipſas minas, atquè flagella ſemper diuinus rigor miteſcere nouit; & quia contrà iniuſtos, tunc iuſtè iratus erat, quia vitia tunc diſcooperiebat, minas tunc intentabat, quia hoſtium prædicabat incurſus, & quia Ciuitatis denique tunc deprædationem, atq; ſubuerſionem pronunciabat, inter minas, atque ſupplicia, diuina debebat (vt ſemper conſueuit) eluceſcere pietas: idcircò dicere voluit, ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ: Quod quià ex citato Rabano accepi, eius non omitto verba:

*Ad Rom. c.8.*

*Gregorius.*

*Rabanus.*

Inter minas diuina pietas.

*Oſtendit Iudæos ad inſtar Niniuitarum criminoſos, & niſi pæniterent ſubuerſioni proximos; ſed ſicut illis denunciatur ſupplicium, & demonſtratur remedium; ità Iudæi non debent deſperare veniam, ſi ſaltèm pòſt Chriſti reſurrectionem egerint pænitentiam:* ſic ipſe in Catena. Nos autem tactum exordiamur inſtitutum.

2 In primis parentibus, liceat in primis hanc me contemplari veritatē, quòd maiora inter ſupplicia diuinus ſemper miteſcat ardor; nàm, vt ſacra narrat hiſtoria, pòſt peccati punitionem, priuſquàm è Paradiſo eijcerentur noſtri progenitores, eorum nuditatem pelliceis tunicis operire voluit Dominus: *Fecit quoquè Deus Adæ, & uxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Geneſ. 3.

*Geneſ. c.3.*

Ex quibus, quàm communis, tàm elegans ſolet à ſanctis Patribus obijci quęſtio. Cur potiùs pelliceis tunicis, quàm alijs veſtibus induti ſint noſtri Genitores, antequam extrà Paradiſum eliminarentur? Cui difficultati, quia communitèr reſponderi agnoſco, quòd mortuorum animalium pellibus pòſt mortis ſententiam fuerunt induti, vt talibus indumentis de propria admonerentur mortalitate, ſicque vt mortuas veſtes prę oculis ſemper habebant, ità exitus diem mentis oculo ſemper aſpicerent. Nihilominùs non tantùm hìc mea ſiſtit difficultas, quare pelliceis tunicis ſint induti, non alijs: ſed vlteriùs etiàm quęro: Cur nō pòſt pęnæ illationem, ſed antequàm de voluptatis loco eijcerentur, talibus indumentis ſunt cooperti? Cur priùs mandati tranſgreſſores de Paradiſo non expulit Deus, quàm veſtiuit? Sed; ò mira ferientis pietas! ò prorſùs indicibilis Dei noſtri miſericordia! quę ideò pòſt mortis ſententiam, & pòſt alias pœnas inflictas, ſed ante eiectionem indumentum concedere voluit, vt inter maxima ſupplicia, veluti inter denſiſſimas nebulas aliquem pietatis radium ſplēdeſcere faceret. Quod elegantèr dixit Moyſes Barcefa. lib. de Paradiſo c. 28. vtramque ſoluens difficultatem, v3. cur pelliceis ſint induti veſtibus: & cur ante eiectionem: his verbis: *Cur ergò illos tunicis veſtire voluit Dominus? Dicimus, ſummam Dei ergà ipſos miſericordiam in cauſa fuiſſe: quippè cùm Deus colloquium cum primis Parentibus longius haberet: quis ſignificauit tibi, quòd nudus eſſes? &c. ſimiliter alia atque alia ad fœminam, & ſerpentem verba faceret: interea areſacta ea, quibus ſe illi contexerant, folia ficulnea defluere cœperunt: cùm igitur nudati iàm, tunc pudore illi afficerentur; non erat conſentaneum diuinæ miſericordiæ nudos prorſùs eliminare de Paradiſo. Miſertus ergò ipſorum conditionem, pro ſua clementia ipſis opem tulit, factiſque tunicis, nuditatem velauit:* Aduertiſti (ni fallor) & quare pelliceis indumentis eos induere voluerit Deus, vt eorum conſuleret pudori, & quare pòſt mortis ſententiam; ſed ante eiectionem; vt non pòſt, ſed inter

Cur Deus pelliceis tunicis primos parentes veſtiuit.

*Barceſa.*

Rigor diuinus pietati admiſtus.

ſupplicia diuino miteſcente rigore, aliquis pietatis micaret radius.

3 A qua veritate, quòd videlicèt inter maiores preſſuras ſẽper aliqualis appareat pietas, nõ diſcordat, quod in

*Pſal. 83.*

perſona Dei Regius cecinit Vates Pſal. 88. *Si dereliquerint filij eius legem meam: & in iudicijs meis non ambulauerint: ſi iuſtitias meas profanauerint: & mandata mea non cuſtodierint: viſitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo: neq; nocebo in veritate mea.* Ac ſi in Dei perſona diceret: Quantuncunque terribilis peccatoribus appaream, quantumuis ſeuerè puniens ab hominibus exiſtimer: tamen è punitionum medio miſericordia ſemper erũpet & pietas: ideò, vt cunctis hoc innoteſcat, promitto, quòd viſitabo quidèm in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum; ſed miſericordiã meam nõ diſpergam, nequè nocebo in

*Auguſt. de 2.p. Pſal.*

ueritate mea. Auguſtinus. *Multum eſt, quod promittit Chriſtianis, qui ſi Chriſtiani, hoc eſt, filij eius dereliquerint, inquit, legem meam, non contemnam eos, neque in prædicatione dimittam eos, ſed quid faciam? viſitabo in uirga iniquitates eorum, et in flagellis delicta eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.*

Inter flagella Deus miſericordiam oſtendit.

4 Quod viſum eſt in Iona, qui nimis inſipientèr à Domini facie, qui vbique per eſſentiam, per præſentiam, & potentiã eſt, ſe fugere poſſe exiſtimans, in nauim cõſcendit: ſed quid inde? vix, vt ventis data carbaſa, nauim è littore remouerunt, tumentibus vndis, furentibus ventis, periclitantibus cunctis, ſolus ipſe profugus (Deo ſic permittente) in mare proijcitur. *Tulerunt Ionam, &*

*Ionæ c. 1.*

*miſerũt in mare: et ſtetit mare à feruore ſuo.* cap. 1. Ergò maris, ventorum, creaturarumq; omnium furor contra fugiẽtem Prophetam ſæuiens, diuino famulabatur furori? Ità ſanè. Sed nunquid inter tot rigores, atq; pericula, ſine miſericordiæ veſtigio miſer Ionas remanſit? nequaquàm certè: ſed inter tot preſſuras quid egit diuina pietas? *Præparauit*

*Ionæ c. 2.*

*Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam: & dixit Dominus piſci: & euomuit Ionam in aridam.* cap. 2. Quis non completum videbit illud: *Viſitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata*

*Pſal. 88.*

*eorum: miſericordiam autem meam, non diſpergam ab eo, neq; nocebo in veritate mea,* ſi poſt tot pericula, atq; preſſuras, ad optatũ portum incolumis ducitur Ionas? Vndè Hieronymus. *Vbi putabatur interitus, ibi cuſtodia erat: præparauit enim piſcem, &c. vt præcipitem Ionam in ſuos reciperet ſinus, & pro mari præparat habitaculum, ut qui in naui iratum ſenſerat Deũ, propitium in mari ſentiret.* Ex quo Ionæ euentu, inter minas pietatem, inter rigores amorem, & inter ſupplicia beneuolentiam vides & gratiam.

*Hieronym.*

Deus ad caſum præparat ſubleuationem.

5 Myſterio autem minimè vacat, quòd poſt tot aſperitates, atq; reiectiones, ſemper impetrandi fiduciam conſeruauerit mulier illa Chananæa, de qua Matth. c. 15. dicit; quòd non ſemel, ſed plurièſ à Domino reiecta, quò aſperiùs repellebatur, eò petitioni inſiſtebat inſtantiùs, & tandèm eò peruenit eiùs fides, vt ab ipſo Domino audire meruerit. *O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi*

*Matt. c. 15.*

*ſicut vis.* Quam fidem conſiderans Hie-

*Hieronym.*

ronymus relatus in Catena. *Mira autem huius mulieris fides* (clamare cœpit) *patientia, & humilitas prædicatur; fides, quia credebat ſanari poſſe filiam ſuam; patientia, quia pluries contempta, in precibus perſeuerat; humilitas, quia ſe non canibus, ſed catulis comparat.* Et Origenes. *Magna*

*Origen.*

*eſt fides tua: ac ſi dicat: fides tua maiora his audire poteſt; verùm interim fiat tibi ſicut vis.* Demùm D. Thomas in Catena (vt reliquos omittam) in Chriſti perſona, mulieris fidem, ſic extulit: *Sana ſit filia*

*D. Thom.*

*tua: ſed magna eſt fides tua, fiat tibi; ſicut vis.* Sed vndè, Bone Deus, in gentili fœmina tanta impetrandi fiducia? vndè nouit aſperitatem non timere, rigoribus non terreri, duris deniq; reſponſionibus non cedere; ſed ſemper petita auidiùs poſtulare? An quia inter maiores aſperitates, ſemper diuinum rigorẽ miteſcere ſolere agnouerat? proculdubio ſic: & rei id probauit euentus, nàm inter aſperitates, atq; rigores, pietatem inuenit & gratiam, dicente Domino: *O mulier magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut*

*Carthuſ.*

*vis.* Vndè Carthuſiano dicere placuit: *Quò Chriſtus videbatur huic mulieri aſperior foris in verbis, & geſtibus; eò benignior intùs per occultam operationem ei fuit.* Magna prorsùs mulieris fides, quæ inter ipſas negationes ſemper petitionibus

Quò Chriſtus extrà aſperior, eò intùs benignior reperitur.

inſi-

inſiſtebat feruentiùs! ſed penitùs ſine comparatione maior Dei pietas, quæ rigorem temperans, petitionibus tandem annuit, dicendo: *fiat tibi, ſicut vis.*

6 Nec ſufficit diuinæ pietati, ſic iuſtitiam in præſenti temperare, quòd in quolibet punitionis genere aliquis diuinæ beneuolentiæ effulgeat radius; ſed etiam inter ipſas ſupremi iudicij punitiones mitificabit, quoad fieri poterit, rigorem: quod ex ijs, quæ Matth. de vniuerſali iudicio ſcripſit, facilè oſtendo: nàm vt ipſe dicit: Cùm Dominus ad iudicandum venerit, priuſquàm pro diuerſitate factorum, ſiuè vitæ, ſiuè mortis ſententiam proferat, vt ſedulus Paſtor, bonos ſeparabit à malis. *Cùm venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eum eo, tunc ſedebit ſuper ſedē maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut Paſtor ſegregat oues ab hædis.* cap. 25.

*Matt. c. 25.*
Etiam in iudicio, vt aliqualiter ſe mitem oſtēdat, Paſtorē ſe vocat.

Vbi id mihi mirabile accidit, quòd in ipſo iudicandi actu paſtorem ſe uocat: quia, ut ex alijs Sacræ Scripturæ locis accepi, & præcipuè ex illo Ioannis 10. *Ego ſum Paſtor bonus: bonus Paſtor animā ſuam dat pro ouibus ſuis:* Paſtoris nomen amoris eſt titulus: Vndè Lyranus ſuper Ioannis verba modò cirata, ait: *Signum veri paſtoris eſt affectio, quam oſtendit ad oues, quæ non poteſt eſſe maior, quàm ſe exponere pro Ouibus.* Et D. Bonauentura: *Oſtendit ſe bonum Paſtorem ratione diligētis, ac ſtudioſæ acquiſitionis ouium.* Igitur in Paſtore erga oues amor feruere debet non modicus? Nil certè alitèr. Sed quæ maieſtatis, & amoris conuentio? Si verum eſt, quòd Ouidius cecinit:

*Ioan. c. 10.*
*Lyranus.*
*Bonauent.*
*Ouidius.*

*Non benè conueniunt, nec in vna ſede morantur*
*Maieſtas, & Amor.*

Si in maieſtate veniet, ſi vt ſeueriſſimus Iudex apparebit, ſi minas intentabit, ſi perpetuæ pœnæ ſenrentias proferet, ſi ad ignem æternum reprobos deſtinabit, qua ratione tunc ſe Paſtori aſſimilabit, ſi Paſtoris nomen amoris eſt titulus? nunquid inter minas amor? inter ſententias beneuolentia? & æterna inter ſupplicia pietatis ingerendum eſt nomen? ſic certè dicit Chriſtianus Ruthmanus: *Quia idm dixerat: ego ſum Paſtor bonus, perſeuerat in ipſa parabola, quòd ſicut Paſtor ad veſperam oues ab hædis ſegregat, &c.* Ecce quomodò non tātùm nunc miſericordia iuſtitię rigorem tēperat; ſed inter ipſos etiam extremi iudicij rigores, iuſtitiam ſic mitificabit pietas, vt ſemper aliquis beneuolentiæ germen erumpat.

*Chriſt. Ruthm.*
Inter extremos rigores, pietatis ſemper aliquid effulget.

7 Hoc idem nō parum probat parabola illa de Virginibus prudentibus, & fatuis: vbi habetur, quòd pòſt lōgam moram, veniente tandèm ſponſo, Virgines illæ ingreſſæ ſunt domum, quæ paratæ nedùm eum exceperant, verùm etiam accenſas geſtantes lampadas, ei occurrerant: pòſt quarum ingreſſum, aditum clauſit ſponſus, nè cui in poſterum pateret: quod Diuus Matthæus explicauit his verbis. *Venit Sponſus: & quæ paratæ erant, intrauerūt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua: Nouiſſimè verò veniunt & reliquæ Virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille reſpondens, ait: Amen dico vobis, neſcio vos.* cap. 25. Per quam parabolam iudicium deſignari, communitèr tenent Sacræ Scripturæ expoſitores: & ſicut per prudentes Virgines, iuſtos; & per fatuas, peccatores importari; ſic per ſponſum, Iudicem aſſeruerunt ſignificari. Nec ſine multa ratione ſe ſponſi nomine nuncupabit Iudex in iudicio, vt nō ſolùm erga iuſtos, beneuolum, illos vltrà condignum remunerando: ſed etiam ergà inſipientes Virgines, hoc eſt, reprobos, aliqualitèr ſe mitem oſtendat, pœnas citrà condignum infligendo. Vndè vbi noſtra vulgata legit: *Venit ſponſus:* vertit Auguſtin. hom. 1. in idem, *venit ille, qui iudicat:* tacitè (ni fallor) dicere volēs: nullus quęrat, miretur nullus: cur ſponſum, & Iudicem ſe in iudicio vocabit Saluator: quia hoc ob aliā cauſam nō faciet, niſi, vt ſponſi beneuolentia Iudicis temperare poſſit rigorem.

*Matt. c. 25.*
*Auguſt.*
Chriſtus in Iudicio Index. & ſponſus.

8 Quem feriendi modum, non ſolùm Deus ſeruare voluit ſemper, ſed etiam nos eum ſectari debere, in virga Aaron tacitè oſtendit, quæ in ſignum electionis ipſius flores produxit, & fructus: *Sequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui: & turgēſibus gemmis eruperunt flores:* Num. 17. vbi, & ſi per virgam Prælatio intelligeretur & poteſtas; iuxtà illud Pſalm. 44. *Virga directionis uirga Regni tui.* Et Ezech. 19. *Factæ ſunt virgæ ſolidæ in ſceptra dominan-*

*Num. c. 17.*
*Pſal. 44.*
*Ezech. c. 19.*

*minantium*;etiàm rigor inſinuaretur poteſtatis,atq; regiminis, vt benè expreſſit Dauid verbis illis: *Reges eos in virga ferrea,et tanquàm vas figuli confringes eos.* Pſal.2.Quod agnoſcens Paulus,ad legis tranſgreſſores dicere conſueuit: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate,& ſpiritu manſuetudinis?* 1.Corint.4. Ex quibus omnibus pluſquàm clarè habetur, quòd per virgam, poteſtatis rigor ſit intelligendus, vt benè de virga Aaron loquens Carthuſ. dixit: *Iuxtà myſticum sēſum vnuſquiſq; Prælatus, Princeps, aut Iudex debet virgam habere, ideſt, prælaticā poteſtatem,legem iuſtitiæ,et rigorem iudicij*: ſic ipſe.Sed virga ſine floribus eſſe non debet;quia ſi per flores benignitas figuratur & pietas, vt notauit Ambroſ. ſerm.3. de Virginibus, & Bernard. de Aduentu: ſic Iudicis rigor ſine pietate eſſe non debet, ne crudelitatis ſortiatur nomen. Vndè hæc duo à Deo non immeritò copulantur, virga, & flores, vt Prælatus, & Princeps Dei ſectando veſtigia, Iudicij, poteſtatiſq; rigorem manſuetudine, atq; pietate temperare dignoſcat. Vnde Auguſtinus ſuper Pſal.88.præcipuè ad Eccleſiæ Principes,atq; Rectores dicere ſolebat. *Mandatorum tranſgreſſores in virga, ideſt,in diſciplina Dei corripiantur, & miſericordia diuina non auferatur,ut nullus ſine ſpe recuperationis ab Eccleſia arceatur; quia ſicut ſeueritas diuina terret,arguente iuſtitia; ità pietas reparat, moderante clementia.* Quod ſi Principes ſeruarent,& Iudices prę oculis ſemper haberent, correcti remanerent multi; exaſperati autem pauci.

*Pſal.2.*
1.Cor.4.
*Carthuſ.*
*Ambr.*
*Bernard.*
*Auguſt.*
Virga correctionis ſine floribus miſericordiæ adornata.

## Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabūt eam. Matt. 12.

### §. III.

*Mira improbi cenſura probi eſt vita, cùm virtus qualibet oppoſitum ſibi vitium mirabiliter reprehendat.*

1 Ille ſi tu es, ò Domine, cui à Patre iudicandi eſt conceſſa facultas, vt proprio ore explicare dignatus es dicendo: *Pater omne iudicium dedit Filio, quia filius hominis eſt.* Ioannis. c. 5. ſi tu es Iudex ille, qui iuxta delictorum menſuram inflicturus es pœnas, ac dicturus: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo,& Angelis eius.* Matth.25.Quomodò Niniuitæ in vniuerſali iudicio condemnare poterunt, quòd dicis: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta,& condemnabunt eam?* Si fortè Niniuitis aliquā iudicandi concedere vis poteſtatem, cur,vt Petro, Apoſtoliſque cæteris,non dicis: *Sedebitis ſuper ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael,* Matt.c.19. Quod hos præcisè non alios à Niniuitis iudicandos aſſeris, cùm dicis: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta,& condemnabunt eam?* Sed,vt video,quod ſubdidiſti, difficultatem facilè eneruat, videlicèt: *Quia pænitentiam egerunt in prædicatione Ionæ*: Nàm ſi iuſtorum vita iniuſtorum eſt cenſura, iuxtà illud Gregorij. lib. 24. Moral. c.33. *Vita lectio eſt vita bonorum*; rectè à Niniuitis generationem iſtam aſſeris iudicandam; quia illorum pœnitentia, iſtorum impœnitentiam; & illorum credulitas,iſtorum damnabit incredulitatem: quià illi ſeruum libentèr audiebāt; iſti Dominum audire contemnunt.Quod confirmauit venerabilis Beda tom. 7. ſuper idem, quùm ait: *Condemnabunt Niniuitæ gentem Iudæorum, non poteſtate; ſed comparatione vitæ: egerunt enim pænitentiam in prædicatione Ionæ,quod quidē Iudæi in prædicatione Domini non fecerunt; meritò illorum comparatione damnabuntur.* De quo condemnandi modo,non per poteſtatem, ſed per comparationem forſitàn loquitur Sapien.c.4. quùm ait: *Condemnat autem iuſtus mortuus viuos impios*: Et de ipſo nos etiàm in præſentiarum loquentes,quàm efficax ſit hic corrigendi modus, & quàm ſeuera hæc iudicandi via,oſtendemus.

*Ioan.c.5.*
*Matt.c.5.*
*Matt.c.19.*
Vita bonorum cēſura & lectio.
*Gregorius.*
*Beda.*
Mali iudicabuntur à bonis comparatione.
*Sap.c.4.*

2 Non modicam difficultatem parere poſſent verba illa à Saluatore prolata, & ad Diſcipulos, iuſtoſque omnes directa. *Sic luceat lux veſtra coràm hominibus,ut uideant opera veſtra bona.* Matt.5. Quid ſi virtus pretioſus theſaurus eſt; immò theſauris omnibus pretioſior; iuxtà illud Sap. 7. *Omne aurum in compa-*

*Matth.c.5.*
*Sap.c.7.*

ra-

*ratione illius arena eſt exigua, & tanquàm lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Et ſi verum eſt, quod dixit Greg. hom. 11. in Euang. Quòd, *Deprædari deſiderat, qui theſaurum publicè portat in uia.* Niſi pro certo haberemus, quòd vnius vita, alterius eſt correptio, & vnius probitatis exemplum, alterius improbitatis cēſura; q̃ ſignificare voluit Chriſoſt. hom. 15. ex c. Matt. 5. quùm ait: *Nō ſolùm corrigitis Orbem, rectè, ſanctèque viuendo; verū etiā glorificari Deū ex veſtra cōuerſatione facitis.* Non facilè pręfati præcepti, *Sic luceat lux veſtra corā hominibus, ut uideant* &c. perciperemus ſensū: verū quia modò dicta prę oculis habemus, dicere poſſumus, immò debemus: q̃ ideò rectè viuentium exēpla moſtrari præcipiuntur, vt ab ipſis malè viuentes arguantur: ob quam cauſam dicitur: *Luceat lux ueſtra coràm hominibus:* quià, vt lux tenebras pellit, ſic virtus vitium corripit, & redarguit. Chryſoſtomus ſuper Pſal. 49. *Habeat ergò uita tua clarā uocem; & licèt os tuum obſtruxeris, tuba clariùs perſonabis:* ac ſi diceret: ſi iuſti vita maxima eſt cenſura, virtutis lumen oſtende, probitatis prębe exempla; & vt mūdum corrigas, aliud loqui non opus erit.

*Gregorius.* — *Chryſoſt.* — *Chryſoſt.* — Clara vox. opus bonū.

3 Quem corrigendi modum oſtēdit Spiritus ille diuinus, qui ſuper diſcipulos viſibiliter deſcendens, linguę formam aſſumere voluit, ſacra dicente pagina: *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquàm ignis, seditq; ſupra ſingulos eorum.* Act. 2. Ex qua apparitione quod ſe mihi cōſiderandū offert eſt: Si Spiritus Sanctus, non digiti, vt in ſuperioribus dictū eſt, non Columbę, nec alterius rei; ſed linguæ formam aſſumere volebat; quia loquendi facultatem, ſcientię, & ſapientię donum ſignificare intendebat, iuxtà illud Pauli. 1. Corint. 12. *Alij quidèm per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, alij genera linguarum.* Cur non apparuit in ore, quòd in capite ſedere voluit? Quis vnquàm linguam in capite vidit, & non in ore? Si linguę formam, ſi loquendi facultatem, ſi ſcientię concedere donum volebat, in ore potiùs, quàm in capite, apparere debebat. Quid ergò eſt hoc, quod dicitur, *Sedit ſupra ſingulos eorum?* Vt tamen video, & in linguę forma, & in capite, non in ore, ideò apparere voluit, vt tacitè oſtenderet, quòd hæc lingua, quæ in capite ſita eſt, nimis diſertè loquitur: hæc ſine verbis loquitur, ſine voce auditur, ſine ſtrepitu corripit: hęc eſt illa lingua, quę ſilentio docet; ſilentio (vt concludam) mūdum inſtruxit, & reduxit totum. Adſit Gregorius lib. 2. ſuper Acta Apoſt. c. 7. *Sine ſtrepitu ſermo eſt, qui & auditum aperit, & habere ſonitum neſcit, quod in aduentu Spiritus Sācti viſum eſt. Factus eſt repentè de Cælo ſonus, tanquàm aduenientis Spiritus vehementis, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquàm ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Quæ lingua, ideò in capite videri voluit, non in ore, quia plus mouet probitatis exemplū, quàm oratoris diſerta loquutio: vndè dicere ſolebat Ambroſius ſerm. 23. de Sanctis. *Quamuis diſertus orator facundia ſua me doceret; id tamen, quod vtile eſt mihi, meliùs diſco exemplo Sanctorum, quàm aſſertione verborum; citiùs mihi perſuadēt oculi, quod cernunt, quàm auris poteſt inſinuare, quod præterit:* ideò ille, qui accenſam lucernam, nō ſubter modium; ſed ſuper candelabrum monuerat eſſe ponēdam, Spiritum Sanctum ſuper diſcipulorum capita, veluti ſuper candelabra apparere fecit, vt hoc lumine errorum expellerent tenebras, & benè viuendi lingua mundum totum inſtruerent.

*Act. c. 2.* — Spiritus sāctus linguæ figuram aſſumens, in capite, non in ore apparere voluit, & quare. — 1. Cor. 12. — *Act. c. 2.* — *Gregorius.* — Loquitur ſine verbis, & diſertè, qui operibus fatur. — *Ambroſ.*

4 Myſterium nunc facilè percipio; cur Abraham nullibi (Deo ſic permittente) conſiſtere potuit: nàm poſtquàm, vt ipſi pareret, Domum reliquit & Patriam; nec in terra Chanaan, nec in Palęſtina, nec in mōtibus, nec in Ægypto, nec alibi (ut concludam) diù habitare potuit: ſed multis peragratis Oppidis, & Ciuitatibus, in tabernaculis, & in caſulis (Deo ſic iubēte) hoſpitari cogebatur. Vndè Paulus ad Hebræos 11. De aſſidua eius peregrinatione in hunc loquitur modum. *Fide qui uocatur Abraham obediuit in locum exire: neſciens quò iret. Fide demoratus eſt in Terra repromiſſionis, tamquā in aliena in Caſulis habitando:* & non ob aliud certè hunc fidelem ſeruū ſemper peregrinari permiſit piiſſimus Dominus, niſi, ut eius lux ab omnibus videretur, vt omnes ſuo doceret exemplo; & (vnico vt concludam verbo) ideò nullibi diù perſiſtere potuit, quia ab omnibus videri debebat, vt om-

*Ad Hebr. c. 11.*

omnium errores & vitia, ſua virtute & lumine corripere poſſet: quod confirmauit Chryſoſtomus hom. 22. ſuper idem his verbis: *Diſpenſabat enim Dominus, vt non ſolum Palaſtinam incolentibus eſſet Doctor, ſed ijs, qui in Ægypto erant, lux ſua virtutis manifeſtaretur omnibus, quaſi luminare quoddam, vt eos, qui in tenebris errorum ſedebant, ad veritatis viam introduceret.*

*Chryſoſt.*

Vt facem, exemplum Deus per Eccleſiam circũducit.

Correptio ſine verbis quæ,

5 Et quidèm ſatis benè docet, & corripit, qui non difertè loquendo, ſed benè viuendo, probitatis præbet exempla. Vndè de cæleſti illo ſermone, quem ſupremus Magiſtor ad Diſcipulos in monte habuit; loquendo Matthæus, ſic exorſus eſt. *Videns autem Ieſus turbas, aſcendit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos.* cap. 5. Benè equidem, & congruè in montem, vt doceret, aſcẽdit, vel, vt Iſaiæ prophetiam, *Super montem excelſum aſcende tu, qui Euangelizas Sion.* cap. 40. compleret, ſicuti notauit D. Thomas in Catena: *Aſcendit in montem, vt impleret prophetiam Iſaiæ dicentis: ſuper montem aſcende tu.* Vel, ut, in quo virtutis cacumine conſiſtere debet, qui docet, oſtenderet; vt immediatè ſubdidit citatus Thomas. *Deindè, vt oſtendat, quoniam in altitudine ſpiritualium virtutum conſiſtere debet, qui docet; quia, qui in terra ſtat, de terra loquitur,* vel deniquè, vt Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte, ait: In montem aſcendit, vt nouorum mandatorum oſtenderet eminentiam: *Aſcendit in montem, vt ſignificet, quia minora erant præcepta iuſtitiæ, quę à Deo data ſunt per Prophetas populo Iudæorum, quem timore adhuc alligari oportebat: per Filium autem ſuum maiora populo, quem charitate iàm conuenerat liberari.* Sed in re hac, vnum notatu dignum exiſtimat Chryſoſtomus, & eſt; quòd non ſimpliciter Dominum docuiſſe ſcribitur; ſed quòd aperiens os, *Aperiens os ſuum docebat*, hoc factum eſſe dicatur. *Et cuius rei gratia* (dicit præfatus Chryſoſtomus) *Videtur adiunctum, aperiens os ſuum?* An fortè clauſo ore, & abſque verbis adhuc concionari poterat? ita pronſus ait Chryſoſtomus, etiam tacente lingua, mundum optimè inſtruebat Saluator. Et ſi quæris; quomodo fieri hoc poterat? Reſpondet ipſe: Tunc optimè Saluatorem docuiſſe, cùm admirabilis vitæ præbebat exempla: & quia hoc aſſiduè faciebat; ad diſtinctionem iſtius magiſterij additum eſt: *Aperiens os ſuum:* Dicti Chryſoſtomi verba ſunt hæc: *Et cuius rei gratia videtur adiunctum, aperiens os ſuum? Vt proculdubio diſceres; quia non cùm loqueretur modò; verùm etiam cùm taceret docebat, nunc quidem os aperiens, nunc uerò ipſis uocem operibus emittens.* hom. 15. ex cap. Matth. 5. Optima ſanè probatio, per quam ſatis commodè oſtenditur, quòd non modò loquendo, ſed etiam ſilendo mundus inſtrui poſſit & corripi.

*Matt. c. 5.*

*Iſai. c. 4.*

*D. Thom. in Catena.*

Qua perfectione pollere debet, qui docet.

*Auguſt.*

*Chryſoſt.*

Etiam tacẽdo docet, & corripit, qui benè viuit.

*Chryſoſt.*

6 Pro qua re videndus eſt etiam Nazianzenus, qui oratione 20. difficultatem mouet: Cur Lazarus, ſi Epulonis crudelitatem iàm nouerat, ad eius ianuam quotidiè iacere uellet? *Erat quidam mendicus nomine Lazarus &c. cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant, de menſa diuitis, & nemo illi dabat.* Luc. 16. Si tàm Domini, quàm ſeruorum inhumanitatem fuerat expertus, cur non pergebat ad pios? Cui difficultati ipſemet ſatisfacit Nazianzenus, dicendo: ad Epulonis correptionem ſic à Deo fuiſſe diſpoſitum, ut aſſiduè antè ipſum iaceret mendicus; quod ſi tibi difficilè uidetur, cùm Euangeliſta nihil penitùs Lazarum dixiſſe teſtetur, relatum audi Nazianzenum: *Non modò loquendo, ſed etiam tacendo, monitoris partem obibat.* Vita Lazari, paupertas Lazari, inopia Lazari, & fames Lazari, diuitis uitam, edacitatem, ac mores corripiebant; proptereà loqui non oportebat; quia clamabant opera.

*Luc. c. 16.*

*Nazianz.*

Lazarus Epulonis correptio.

7 Hac (vt reor) de cauſa libro comparari ſolet iuſti vita; dicente Ioanne in Apocaly. c. 20. *Libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ:* & non ob aliud (vt puto) niſi, quia ex hoc libro viuendi normam peccatores accipiũt. Cuius ſententiæ etiam fuit Gregorius, qui in lib. 24. moral. in c. 33. Iob. c. 6. ait: *Viua lectio eſt uita bonorum. Vndè, & nõ immeritò, ijdem iuſti in Sacro eloquio libri nominantur, ſicut ſcriptum eſt: libri aperti ſunt; &c. quia cùm iuſtorum uita conſpicitur, mandata cæleſtia, opere impreſſa cernuntur:* Et, vt video, à pueris eſt ſumpta ſimilitudo, quibus magiſtri exẽplaria proponuntur, vt faciliùs modum rectè ſcribẽ-

*Apocalyp. c. 20.*

*Gregorius.*

Vita bonorũ liber, & lectio.

di

Digitized by Google

di addiſcant ſic & peccatoribus iuſti vita, velut exemplar proponitur, vt tali norma rectè viuendi formam intelligant, quam ſequantur: Quod clarè (ni fallor) per Iſaiam expreſſit Deus, cùm ait: *Audite me, qui ſequimini quod iuſtum eſt; Attendite ad Abraham Patrem veſtrū, et ad Saram, quæ peperit vos. c.* 51. Tacitè, vt puto, dicere volens: Si quis in rectam viuendi formam vitam ſuam redigere cupit, meis acquieſcat conſilijs; reſpiciat Abraham, intueatur Saram, Iuſtorum vitam, & exempla præ oculis ſemper habeat, vt quid ſectari, & quid declinare debeat, vt rectè viuere dicatur, agnoſcat: nec mirum, quod proſequatur Ioannes: *Et iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera ipſorum.* Quia ſi puerorum characteres ex exemplaribus iudicantur, & quā ab illis diſcrepant, tā à Præceptore verberātur; ſic peccatores, qui iuſtorum vitam, tanquàm viuendi normam à Deo accęperūt, quò minus illam imitari ſtuduerint, eò magis ſtatuto tempore punientur. Gregorius loco citato. *Et iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris, quia in oſtenſa vita iuſtorū, quaſi in expāſione librorum legunt bonum, quod ipſi agere noluerunt; atque ex eorum qui fecerunt comparatione, damnabuntur.*

*Iſai. c.* 51.

*Gregorius.* Iuſtorum vita à nobis percurrēda, vt liber à diſcipulis.

8 Aureum eſt ad hoc idem probādum, vt tactam ſimilitudinem proſequar, quod in ſceleſtorum confuſionem Dominus Ezechieli præcepit. *Fili hominis oſtende domui Iſrael Templum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricam: Et erubeſcant ex omnibus, quæ fecerunt.* cap. 43. Quia ſi per Tēplum iuſti, & ſancti intelliguntur iuxtà illud Pſalm. 64. *Sanctum eſt templum tuū, mirabile in æquitate*: Et vt declarauit Gregorius ſerm. 1. in 1. Reg. Et vt dixit Paſchaſio non minus caſta, quàm fortis Lucia: *Castè & piè viuentes Templum ſūt Spiritus Sancti*: Per fabricam, virtutum ſtructura intelligi debet, quæ ideò Iſraeli oſtenditur, vt ex hoc Templo, & ex hac virtutum ſtructura, propriam agnoſcens imperfectionem, atq; miſeriam peccator, vt puer ex comparatione exempli cùm litteris à ſe formatis, erubeſcat, & cōfundatur. Quod egregiè dixit Gregorius lib. 24. moral. cap. 6. in 23. Iob. *Templum quippè Dei filijs Iſrael ad confuſionem oſtenditur, quando vnuſcuiuſq; iuſti anima, quanta ſanctitate fulgeat, ad confuſionem ſuam peccatoribus demonſtratur: vt in illa bonum, quod negligunt, videant, et in ſeipſis malum, quod operantur, erubeſcant. Benè dicitur: oſtende templum. Quia iuſtorum rectitudinem conſiderare peccator diſſimulat.* Ex quibus videre licet, quàm verum ſit, quòd vnius vita, alterius eſt cenſura, & vnius probitas alterius improbitatis redargutio.

*Ezec. c.* 43.

*Pſal.* 64.

*S. Lucia.*

*Gregorius.*

Iuſtorum rectitudo, vt exemplum conſideranda.

9 In poſterum nullus quærat, cur ſtella, quæ Magos vſq; Ieroſolymam duxerat, in ipſa Ciuitate diſparuit, ex quo percontari neceſſum fuit: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Matth. 2. Quia hoc ideò factum eſt, vt Magorum fide, Iudæorum argueretur perfidia; quia quem illi de longinquo, & non ſine multis laboribus veniendo, quærebant; iſti propinquum habentes, quęrere contemnebant: Quod dixit Chryſologus in ſerm. 152. reſpondens ad difficultatem, cur ſtella, quæ priùs viam monſtrabat, in Ciuitate videri non debuit, his verbis. *Vt perfidiam Iudæorum per fidem gentium caſtigaret.* ſic ipſe.

Stella, quæ Magos duxerat, in Ieruſalem cur non apparuit?

*Matth. c.* 2.

*Chryſolog.*

Perfidia ex fide menſuratur.

10 Nos autem ad maiora procedentes, dicimus; quòd non ſolùm iuſti vita malè viuētes redarguit; ſed reprobos ipſos in Inferno iàm exiſtentes cōfundere ſi vellet Deus, per aliud hoc efficaciùs fieri minimè poſſet, quàm per iuſtorum vitam, per quam veluti per clariſſimum ſpeculum propria videntes ſcelera, nō parùm confunderentur, idque per ea, quæ D. Lucas de inhumano diuite refert, facilè oſtendo: Nā ſepultus in Inferno crudelis hic diues, eleuans oculos, Lazarum in Abrahæ ſinu vidit: *Eleuans oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in ſinu eius.* cap. 16. vbi non miror, quòd oculos eleuaſſe dicatur, quia quē in vita, ſic inferiorem putabat, vt niſi oculis in terram depreſſis, videre non poſſet, poſt mortem tàm ſuperiorem agnouit, vt ad eum proſpiciēdum oculos eleuare cogeretur. Ità Emiſſenus. *Diues iàm videre incipit Lazarum ſuperiorem, & tàm ſuperiorem, ut niſi oculis eleuatis eum uidere non poſſit.* Nec multùm miror, quòd ſit ei conceſſum Abraham vi-

*Luc. c.* 16.

*Chryſolog.* dere; quia Chryſologum noui dicẽtem in ſerm.66.de diuite, & Lazaro. *Vidit Abraham diuitiarum conſortem, ſed inhumanitatis exortem, & Abraham diues, ſed plus humanitate, quàm cenſu, tu diues inhumanitate tua maior tuis diuitijs extitiſti.* Nec tãdem mihi mirabile accidit, quòd a ſe longe videret vtrũque; quia ut cecinit regius Vates in Pſ. 118. *Longè à peccatoribus ſalus*: Sed quòd magnam difficultatem tàm mihi, quàm Tito Boſtrorum Epiſcopo parit, eſt: cur in ſinu Abrahæ potiùs, quàm alterius uiſus eſt Lazarus? Vndè citatus Epiſcopus difficultatem his uerbis mouet: *Cur Lazarũ in ſinu Abrahæ potiùs uidit, quàm apud quemquam alium iuſtum?* Soluit autem eam, cùm dicit: *Vt huius hoſpitalitas illius inhoſpitalitatem redargueret, propterea æquus Iudex hũc cum illo collocare uoluit.* cuius ſi perpendes uerba illa: *Vt huius hoſpitalitas illius inhoſpitalitatem redargueret*: Manifeſtè uidebis, quòd iuſti uita etiam ipſos in inferno exiſtentes, quàm tacitè, tàm efficaciter redarguit, & confundit:

*Pſal.118.*

*Titus Boſtrenſis.*

**Vitium cõtrarię virtuti oppoſitum, magis elucet.**

11 Nec quæ uſq; modò dixi, mihi ſufficiunt, ſed aliud addam, & eſt: quòd ſi ipſum Diabolum Deus arguere, & increpare uellet, non hoc luculentia ſermonis efficeret, nec uerborum elegantia; ſed tantùm ei proponendo alicuius iuſti uirtutes & merita: quod uidere ſi cupis, patientiſſimi Iob percurre hiſtoriam, & videbis, quòd cum ſe iactaret Satan, & diceret: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* c. 1. Subiunxit pijſſimus Dominus: *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* ibidem. Sed quid eſt hoc, quod dicis Domine: nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob? Si Satan totam terram circuiuit; ergò Iobum vidit? ergò ipſum conſiderauit? Si corpore ſaltem extrà terram non erat; quam ergò ob cauſam, an Iobum viderit, ſic diligentèr inquiris? An potiùs ex hoc ipſum laudandi, eiuſq; extollendi virtutes occaſionem deſumis? eſtò: ſed cur hoc efficis coràm inuidioſiſſimo Satana, & non pòſt eius diſceſſum? An Iobi pietate, ipſius impietatem; Iobi rectitudine, ipſius prauitatem; & Iobi tandem timore, ipſius arguere, & increpare impudentiam cupis? Ità ſanè: vt ſatanæ confunderet malitiam, Iobi ſanctitatem prædicauit. Adamuſſim iſtam rem confirmauit Origenes lib. 1. in Iob. *Verè cùm hæc ad Diabolum loquitur, per hæc Diabolum arguit, atq; increpat & ueluti diceret: Audi, ò Diabole, ad te n. eſt hic ſermo, & tua hæc increpatio, atquè obiurgatio; ſine querela eſt Iob, tu uerò iniuſtus es, & totius iniuſtitiæ ſuffragator: verus eſt Iob, tu uerò Dei refuga, & Apoſtata: abſtinet ſe ab omni opere malo Iob, & uerbo, tu autem omne malum, et illicitum, atq; impium opus, aut uerbum ſeminaſti inter homines*: O mira arguendi via, ò pręclarum increpandi medium, iuſti vita! quæ nedùm malè uiuentium correptio eſt & cenſura; ſed ipſos etiam in Inferno exiſtentes: immò, quòd maius eſt Diabolum ipſum increpat, & confundit.

*Iob c.1.*

*Origenes.*

**Vita iuſti Diaboli increpatio.**

**Iobi ſanctitas ad Diaboli increpationem proponitur.**

## Inuenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatã. Tũc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecũ nequiores ſe, & intrantes habitant ibi. Matth. 12.

### §. IV.

*Nouerca virtutum, vitiorumquè mater otioſitas, Otioſũ ſic eneruat, vt Diabolo reſiſtere nequeat.*

1 QVod à gentili ore nõ ſemel accepi, otioſitatem emollire uires, robur animi frãgere, & ad reſiſtendum uitijs otioſum omninò imbecillem reddere atquè ineptum, de Adultero Ægiſtho dicẽte Ouidio, lib. 1. amorum.

*Ouidius.*

*Quæritur Ægiſthus quare ſit factus adulter?*
*In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat:*
*Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus;*

Hoc

Hoc idem in pręſentiarum ab Euangeliſta prolatum reperio, quùm Dęmonē

Matt.c.12.

introducit dicentem: *Reuertar in domum meam, undè exiui. Et ueniens inuenit eam uacantē. Tunc uadit, & aſſumit ſeptē alios ſpiritus ſecū nequiores ſe, & intrātes habitant ibi:* Vbi ſi per domum Anima, & per uacuitatem (iuxtà Lyrani expoſitionem) otioſitas eſt intelligenda: quid mirum quòd eum ſeptem nequioribus in eam ingrediatur ille, qui anteà ſolus fuerat egreſſus? Et quid mirū, quòd licèt hominis iſtius nouiſſima fiant peiora prioribus, nihilominùs ipſe ingreſſum prohibere non ſtudeat, nec aditū claudere?

Lyranus.

Quia ſi à bonis (ut Lyranus ait) uacabat, ſi otio torpebat, emollito robore, eneruatis uiribus, reſiſtere nullatenus poterat.

Vgo Card.

Quod dixit Vgo Cardinalis hiſce uerbis: *Nolite ſtare otioſi, quià ad domum uacantem, undè exiuit Diabolus, reuertitur, & habitat cum ſeptem ſpiritibus nequioribus, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus:* ſic ipſe ſuper cap. Iſaiæ. 51.

Domus uacua otioſus, Diabolo expoſitus.

Vndè inter antiquos religioſorū Patres, vt D. Hieronymus in Epiſt. ad Ruſticum, de forma benè viuendi teſtatur: mos inoleuit, omninò laboris expertem ad religioſam uitam non admitti; & non ob aliud ſanè, niſi, quià pro certo habebant, otioſos Diabolo reſiſtere minimè poſſe:

Hieronym.

Vndè Hieronymus loco citato. *Ægyptiorum monaſteria hunc morem tenent, vt nullum abſquè operis labore ſuſcipiant; non tàm propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem.* Quod quàm verum ſit, quæ ſequuntur oſtendant.

Monachi non otioſi.

2 Bernardinus Senenſis, qui priùs vita Italiam erudiuit, quàm verbis, in ſerm. 23. De exercitu ſpirituum malignorum: omnium vitiorum cloacam otium appellauit, quùm dixit: *Omnium tentationum ſentina eſt otium:* Quod, ut uideo, à Bernardo accepit, & hic ab Eccleſiaſtico in cap. 33. dicente: *Multam malitiam docuit otioſitas.* Nec ob aliud (ut puto) uitiorum ſentina dicitur otium, niſi, quia cùm otioſus Diabolo reſiſtere nequeat, per ſuggeſtionē in eum, ueluti in fætidam cloacam, quācunq; ſcelerum immunditiā proijcere cupit, prorſùs ſine ulla reſiſtentia proijcit: quod (niſi allucinor) dicere uoluit Bernardus in ſerm. 63. in Cantica uerbis illis: *Si ſemel ſpiritu dormitante peruaſerit, deſcendet in viſcera cordis.*

Bernard. Senen.

Otium quid?

Eccleſ.c.33

Bernard.

3 Quàm autem hoc verū ſit, quòd vitijs reſiſtere nequaquàm poſſit, qui feriatur, reperio in parabola illa de homine peregrè proficiſcente, qui antè diſceſſum inter ſeruos ſua talenta partiri voluit: *Homo peregrè proficiſcens, uocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et uni dedit quinquè talenta, alij autem duo, alij verò unum, unicuique ſecundùm propriam uirtutem, & profectus eſt ſtatim.* Matt. 25.

Matt.c.25.

In regreſſu autem ſeruos induſtrios, qui pecuniam auxerant, laudauit quidem, & laudauit multum, illum verò, qui talentum fænetatus non fuerat, ſed conſeruauerat tantùm, grauiter reprehendit, dicendo: *Serue male, & piger ſciebas quià meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi; oportuit ergò te committere pecuniam meam nummularijs, et ueniens ego recepiſſem utiquè quod meum eſt cum uſura:* ibidem. Quæ omnia, & ſi ponderibus plena ſint, tamen ad præſens inſtitutum non parùm faciunt verba iſta: *Serue male, & piger:* quia in ipſis, non tantùm, ſi benè notabis, malitiam cum pigritia copulatam videbis: ſed coniunctio illa, *Et*, idem ſonat ſecundùm Toſtatum ac, *quia*, vt ſit ſenſus: ſerue male, quia piger; ac ſi diceret: ſi per pigritiam à bono vacas, qua ratione te bonum vocabo? Si vbi pigritia, ibi malitia, ubi otioſitas; ibi uitioſitas: quomodò te non malum, & uitioſum dicam, quem pigrum, & otioſum reperio? Vnde Toſtatus ſuper citata Matt. uerba: *Serue malè, & piger:* ſic ait: *Fuit malus, quià non procurauit bonum: propter pigritiam enim non obtulit talentum nummularijs, aut poſuit in alios uſus, in quibus cum ſollicitudine ſua aliquid lucraretur.* Ecce quomodò ex pigritia omnis oritur malitia, cùm uitijs reſiſtere nequeat, qui uacat.

Toſtatus.

Ex otio omne malū.

4 Mirabar pluries, & ſtupebam quoties Petrum legebam, dicentem: *Domine, bonum eſt nos hìc eſſe: ſi uis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Matth. 17. Vndè Petrus, qui piſcādi arte pollebat, fabrefaciendi modum didiciſſet, quòd tabernacula tàm facilè ſe conſtruere poſſe dicebat? & licèt ſine conſilio hæc Petrū dixiſſe aſſerat Lucas. c. 9. ubi prædictis Petri uerbis addidit ipſe: *Neſcitus quid*

Matt.c.17.

# FERIA QVARTA
## POST DOMINICAM PRIMAM
## QVADRAGESIMAE.

### Magiſter volumus à te ſignum videre.
### Matth. 12.

### §. I.

*Verus ille cenſeri debet Magiſter, qui manu potiùs, quàm lingua docet; & quod ore profert, facto prodit.*

Matt. c. 12.

1 QVod à Domino nimis irrationabilitèr cęca petit inuidia, cùm dicit: *Magiſter volumus à te ſignum videre:* irrationabilitèr quidèm, vt D. ait Chryſoſtomus hom. 44. ex cap. Matth. 12. cùm tot à Saluatore ſigna, miracula, atq; prodigia vidiſſent, ac ſi nullũ miraculũ hucuſq; ab eo patratum fuiſſet, ſignum petunt, dicentes: *Magiſter volumus à te ſignum videre.* Vndè citatus Chryſoſt. in hunc modũ exclamat: *Poterit nè quicquàm, non dico impium magis, ſed ſtolidiùs iſtis inueniri, qui etiam poſt tot, tantaq; ſigna, quaſi nullum ſignum eſſet factum, dicere audent: volumus abs te ſignum videre?* Quod ergò irrationabilitèr iſti à Saluatore petunt, hoc ego Doctoribus, atq; Magiſtris ſatis rationabilitèr dici poſſe, exiſtimo; videlicèt, quòd magiſtri ſi ſunt, ſi alios inſtruunt, ſignis non minùs, quàm verbis; factis, quã dictis; exequutione inſtruere debent, quàm locutione: quia vt benè notauit Ouidius ad Lauiniam ſcribens: plùs oculis, quàm auribus Præceptorum doctrinam percipere ſolent diſcipuli, cùm ait.

Chryſoſt.

Bonus Magiſter qui factis docet.

Ouidius.

*Ad te oculos, aureſq; trahis, tua facta notamus.*

Et Faſtor. 6.

Dictis facta reſpondeat.

*Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur.*

*Cùm Iudex alios, quod monet, ipſe facit.*

Ex quo dicere conſueuit Philo de nominum mutatione: *Eſt enim, vt aiunt, oratio, actionis vmbra:* dicere (ni fallor) volens, quòd ſicut corpus ſequitur vmbra, ſic oratio ſequi deber opera: ſecùs autem ſi Magiſter fecerit, dici procul dubio ei poterit illud, quod de Gabba Pictore refert Martialis lib. 5. Epigram.

Philo

Martialis.

*Gabba bonus pictor homines pinxiſſe decoros,*

*Fertur, & indecores progenuiſſe duos.*

Sic benè pingit, ſed malè fingit, qui benè loquitur, & malè operatur: quod moraliſſimus Seneca optimè noſcens, veri Magiſtri tradere voluit normam, cùm ait: *Talis ſit tibi Magiſter, qui idem ſit dicens, & faciens.* Quod ſupra modum perfectè, quia obſeruauit Dominus, de quo Luc. 24. dicitur, quòd, *erat potens in opere, & ſermone.* Et Actor. 1. *cæpit facere, & docere.* Ad alios Magiſtros (quos Ambroſius his verbis monet: *Sicùt Gallus priùs ſe excitat, & à ſe puluerem, & ſomnum depellit, & hoc perfecto canit, vocat, & alios excitat, ſic Concionator, priùs à ſe negligentiam, & cuiuſcunq; peccati puluerem, vereeundiamq; expellere debet, vt alios ad hoc idem excitare poſſit*) ſermonem vertens, quòd factis non minùs, quàm verbis inſtruere debeant, oſtendo.

Sencea.

Luc. c. 24.

Act. c. 1.

Ambroſ.

2 Ad cuius veritatis probationem ſatis pulchram moueo difficultatem, & eſt: cur Spiritus ſanctus, qui toties in ſacris paginis Dei digitus nuncupatur, quo, & Cœli firmati ſunt. *Videbo Cœlos tuos opera digitorum tuorum.* Pſal. 4. & legis tabulæ ſcriptæ leguntur. *Deditquè Dominus Moyſi completis huiuſmodi ſermonibus in Monte Sinai duas tabulas teſtimo-*

Pſal. 4.

mo-

Digitized by Google

*Exod. 31.* *monij lapideas, ſcriptas digito Dei.* Exod. 31. Et Dęmones fuiſſe eiectos pro certo habemus; nàm vbi Lucas dicit: *Porrò ſi in digito Dei eijcio Dæmonia.* c. 11. Matth. dicit: *Si in Spiritu Dei eijcio Dæmonia.* c. 9. Vndè Anaſtaſius Synaita lib. 1. de Rectis fidei Catholicæ dogmatibus. *Digitum Dei dici Spiritum Sanctum, Moyſe teſte, comprobatur, & docente nos Chriſto didicimus: Moyſes enim dixit, exaratas ſiuè ſculptas à Deo tabulas, ſcriptas eſſe digito Dei; Chriſtus autem ad Iudæos, qui Dæmoniorum expulſionem adſcribebant maligno ſpiritui Beelzebub, ait: Si autem ego in Spiritu Dei. Pulchrè igitur interpretati ſumus, manus Dei, & eius digitos, Filium ipſius, & Spiritum ſanctum.* In die Pentecoſtes nō in digiti, ſed in linguæ forma ſuper Apoſtolorum capita apparere voluit. *Apparuerūt illis diſpertitæ linguæ tamquā ignis, ſeditq; ſuprà ſingulos eorum.* Actor. 2. Et licèt penè omnes Sacræ Scripturæ Expoſitores aſſerere noſcam, Spiritum Sanctum linguæ formam aſſumpſiſſe, tùm quia loquendi ſcientiam tribuere debebat, vt rei probauit euentus; nàm vix tali lingua prædi ti, *Cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* ibi. tùm etiam; quia, ſi ad inſtruendum mundum veniebat, iuxtà illud Ioannis 16. *Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio*: iure optimo non in alia quàm in linguæ forma apparere, debebat. Attamen cur digito comparari, & linguæ formam aſſumere, voluerit Spiritus Sanctus, diuinum ego video latere myſterium; vt ſcilicèt tacitè nobis veri Doctoris oſtenderetur forma, & tribueretur figura: quia ſicuti per linguā ſermones indicantur & verba, ſic per digitos, opera figurantur & facta, vt oſtendatur, quòd verus Doctor cenſeri nullatenus debet, niſi qui manu, & lingua, illa priùs, hac poſteriùs (cùm magis moueant exempla, quàm verba) corripit, docet, & inſtruit: Cui meo cogitatui applicari poſſunt Origenis verba. *Non abſquè Sacramento hoc mihi videtur ſcriptum: ſcilicèt, quòd manu, & lingua operari debent milites Chriſti, hoc eſt opere, & verbo; quia, qui docet, & facit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.* hom. 9. in Iudic. Quod qui in docendo, ſeruat, haùd difficilè etiam pertinacium corda mouebit, & ſcindet, iuxtà illud Eccleſiaſt. 3. *Lingua tertia multos commouit*: quia ſi prima Concionatoris lingua, cordis eſt, vt habetur ex Pſal. 14. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo*: Et ſecunda, illa, de qua in eodem Pſal. dicitur: *Qui non egit dolum in lingua ſua*: Tertia debet eſſe, de qua ſimiliter ibidem ſcribitur: *Nec fecit proximo ſuo malum*: Et per conſequens; operatus eſt bonum: hæc tertia lingua, nempè operum, multos commouit, & à malo ad bonum trāſtulit, cùm factis magis moueatur mundus, quàm dictis, vt perexiniè expreſſit Gregor. lib. 1. moral. c. 14. *Apparet ergo Doctor, non tàm cùm verbo loquitur, quàm cùm vita, & operibus mirabilitèr demonſtratur.*

*Luc. c. 11.* *Matth. c. 9.* *Anaſt. Synaita.*

Spiritus ſāctus Dei digitus.

*Act. c. 2.* *Ioan. c. 16.* *Origenes.*

Cur non in digiti, ſed in linguæ figura apparere voluit.

*Eccleſ. c. 3.* *Pſal. 14.*

Lingua tertia, quæ.

*Gregor.*

3 Quod Magiſtri ſi fecerint, & Doctores; inſtar ſurdi, & muti illius, qui vix vt à Domino affatum recepit, non qualitercumq; ſed ſatis benè loqui cœpit, de quo D. Marcus ait: *Solutum eſt vinculum linguæ eius, et loquebatur rectè.* cap. 7. rectè loquentur & ipſi. Verùm circa tactum Marci locum, ſilêtio prætereundū minimè puto, quòd non ſimplicitèr loquutum, ſed rectè fuiſſe loquutum, dicatur, cùm ad miraculi euidentiam ſatis fuiſſet dicere: Solutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur: vt, de alio muto per Dæmonis expulſionem à Domino curato, ſcripſit Lucas c. 11. *Erat Ieſus eijciens Dęmonium, & illud erat mutum. Et cùm eiecisſet Dæmonium, loquutus eſt mutus.* Cur ergò non vt Lucas miraculum ſcribere, ſed aliquid aliud Marcus addere voluerit, ex eo facilè colligo, quia non eodem modo vterq; curatus eſt: nàm qui à Luca deſcribitur, ſolo Saluatoris imperio: qui autem à Marco per linguæ tactum, loquendi facultatem accepit: *Expuens tetigit linguā eius: & ait illi: Ephphetha, quod eſt adaperire.* Et ſi per manum, & digitos opera, per linguam autē verba intelligi ſolent: nil mirum, quòd hunc loquutum, & rectè fuiſſe loquutum, ſcribatur, cùm operum manus verbis adiungere; ſtuduerit: Et ſi inter Ægyptiorum hieroglyphica, vir ſapiens notabatur, & ſignificabatur per manum ori, ac linguæ admotam; planè ſapiens dici debebat iſte, cuius linguæ Dominica fuerat admota manus, vt non qualitèrcunq; ſed ſatis rectè

*Marc. c. 7.* *Luc. c. 11.* *Marc. c. 7.*

loqui

Digitized by Google

Gregorius. loqui diceretur. Gregor. in Ezech. lib. 1. hom. 10. *Benè additur: & loquebatur rectè.* Benè loquitur, qui benè operatur. *Ille enim rectè loquitur, qui priùs obediendo fecerit, quæ loquendo admonet eſſe facienda: ſic ipſe.* Ille autem à Luca deſcriptus, quia manum linguæ non habebat admotam, loqui quidèm dici poterat, ſed rectè, nequaquàm; quia verbis tantùm, quod veri magiſtri proprium non eſt, loqui cœpit, non factis.

4 Saluatoris dicto, hoc idem confirmo; quòd non omnis, qui docet, verus dici debet Magiſter: ſicut nec omnis, qui loquitur, quòd rectè loquatur, dici poteſt: ſed tantùm ille, qui operum lingua, loquens, faciendo magis, Matth. c. 5. quàm dicendo docet: *Niſi abundauerit iuſtitia ueſtra pluſquàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Matth. 5. Quæ verba ad vtramquè legem, nouam, & veterem eſſe directa, aſſerit Chryſoſtomus hom. 16. in Matth. vt quàm illa hac perfectior ſit, Chryſoſt. oſtendatur: cuius verba ſunt hæc: *Perſpice igitur etiam quemadmodum legem conſtituat antiquam, dùm eam confert nouæ: Plùs enim ac minùs eiuſdem generis eſt: non igitur legi obtrectat antiquæ, ſed profectò intendere vult:* Quæ etiam fuit ſententia Imperfecti, prædicta verba Saluatoris ſic explicantis. Imperfect. *Niſi abundauerit iuſtitia ueſtra, hoc eſt, hominis Chriſtiani, pluſquàm ſcribarum, et Phariſæorum* &c. hom. 12. in Matth. Et tandèm, vt reliquos omittam, id etiam confirmauit Chriſtianus Ruthmanus, dicens: Chriſtianus Ruthman. *Iuſtitia Phariſæorum eſt: non occidere, non adulterare: iuſtitia Chriſti, & omnium Chriſtianorum eſt: non odiſſe, non concupiſcere, proximum propter Deum amare: ſenſus igitur talis eſt: Phariſæi homicidia, & furta, pro crimine habent, diſcipuli mei etiam cogitationes, & uerba iniqua deuitent.* Lex noua antiqua perfectior. hæc ipſe. Nihilominus Vgoni inhærere ſententiæ, mihi nō diſplicet, qui ait; quòd ideò Dominus, Scribarum, & Phariſæorum iuſtitiam, nos excedere præcipit; quia illorum iuſtitia completa non erat, ſed incompleta: Vgo Card. cuius verba ſunt iſta: *Iuſtitia Scribarum, & Phariſæorum ſemiplena erat; ideò dicit: niſi abundauerit* &c. Quæ Vgonis Cardinalis ſententia, & ſi de Iudæorum perfidia poſſet intelligi, vt ipſemet explicat, quia videlicèt legi obediebāt; in Chriſtum autem credere minimè volebant: & quia lex in eum eſſe credendum præcipiebat; ideò eorum iuſtitia ſemiplena dici poterat, & non plena, atquè perfecta. Tamen ad rem noſtram; Scribarum, & Phariſæorum iuſtitiam ſemiplenam quidèm appellarem, non ob aliud certè, niſi quia eorum iuſtitia in ore tantùm conſiſtebat, non in manibus; in verbis tantùm, non in factis, cùm ea, quæ docerent, minimè efficerent: idcirco eorum iuſtitia, vt ſemiplena, & incompleta à Domino reijcitur, quàm dicitur: *Niſi abundauerit iuſtitia ueſtra pluſquàm Scribarum, et Phariſæorum* &c. Quod vſquè modo dixi, confirmauit Emiſſenus hiſce verbis. Euſebius Emiſſen. *Scribarum, & Phariſæorum iuſtitia fuit, ut benè prædicarent, & benè populum admonerent; nō tamen ea faciebant, quæ prædicabant, & admonebant: erat ergò eorum iuſtitia dicere, & non facere; legem ſoluere & non adimplere.* Docere, & non facere Phariſaicū. Certè vides; cur ſemiplena, & imperfecta dicatur Phariſæorum iuſtitia; quia, dicere, & non facere; legem ſoluere, & non adimplere ſtudebant.

5 Nunc ianuam celebri difficultati aperio: cur in ſacris paginis, non ſemel, ſed pluriès, vox, ſit appellatus Ioannes? dicente in eius perſona Iſaia: *Ego vox clamantis in deſerto.* c. 40. Quę verba cōmuniter Sancti Patres in Pręcurſoris Iſai. c. 40. perſona dicta eſſe teſtantur, vt inter cæteros breuitatis cauſa relictos, dixit Auguſtinus tract. 4. in Ioannem. *Iſaias illud dixit, & in Ioanne prophetia iſta,* Auguſt. *Iſaiæ impleta eſt:* Nec ab hoc tantùm, ſed à Dauide etiam, voci eſt comparatus Ioannes in Pſal. 28. *Vox Domini ſuper aquas, vox Domini in magnificentia, vox Domini ſuper aquas multas.* Pſal. 28. Quę omnia multaque alia in eodem Pſalmo decantata, Ioanni accommodat Baſilius hom. 2. ſuper idem, quàm dicit: *Dictum hoc, vt propheticum ſumendum eſt, memor eſto Ioannis, qui cùm interrogatus eſſet à Iudæis, tu quis es? Reſpondit, ego vox: eſt ergò vox Domini Ioannes, & erat ſuper aquas, in Iordane, in quo baptizabat.* Baſilius. Quę de ſe prędicta (vt Origenes ait) noſcēs Ioannes; ſe non aliud quàm vocem aſſerebat, dicens: *Ego vox clamantis in deſerto.* Ioannis. 1. Quæ Præcurſoris prærogati- Ioan. c. 1.

ua,

ua, quòd iàm pridèm vox diceretur, parua ſanè non fuit: quia, vt benè notauit Toletus in comm. ſuper Ioannem, citatam Iſaiæ prophetiam explicans: Idem erat Ioannem, vocem appellari, ac Prędicatorem, Doctoremque eximium. *Expendenda verba ſunt Iſaiæ: vox clamantis; quaſi dicat: uox clamans, ideſt, Prędicator publicè, et manifeſtè docens; exhortans omnes in deſerto, quem omnes audire debent.* Sed cur tali inſignitus ſit titulo Ioannes, quali, nec vllus ante, nec poſt dignus eſt habitus, noſcere ſi cupis, ad alium ſcripturæ locum recurrere debes, & eſt ille Lucæ 3. *Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto, prædicans baptiſmum pœnitentiæ* &c. Circa quod eſt aduertenda prępoſitio illa, *ſuper*, cùm non in Ioanne, ſed ſuper Ioannem Domini verbum factum eſſe dicatur, quod licèt D. Bonauentura explicet: *Factum eſt uerbum Domini ſuper Ioannem, ſcilicèt, per inſpirationem ſupernam; ideò dicitur, ſuper Ioannem, quia Spiritu Sancto inſpirati, loquuti ſunt Sancti Dei homines, undè, ſuper, ſignat auctoritatem, ſecundùm illud Spiritus Domini ſuper me, ad annuntiandum pauperibus miſit me.* Sebaſtiani Gomezij tamen expoſitio non parùm mihi arridet, qui ait; quòd verbum Domini, ideò dicitur ſuper Ioannem, non in Ioanne factum; quia, quod alijs prædicabat, id priùs ipſe ſuper ſe ſumebat, & ob id factum priùs dicitur, quàm verbum, *Factum eſt uerbum Domini*, quià priùs manum adhibebat, quàm linguam, cùm priùs factitaret, quàm diceret. Quam ob cauſam magnus Prędicator dici debebat Ioannes & Doctor: immò vox mundum erudiens, per antonomaſiam, vocari meritò poterat, cùm eius verba, facta potiùs ſuper ſe ſumpta, quàm verba ad alios directa, dici poſſent. Adſit præcitatus Gomezius, qui ſuper Pſal. 50. ſic ait: *Diuus Ioannes Baptiſta propterea vox dicebatur clamantis in deſerto: quia quicquid in ipſo erat, vox prædicationis erat, & vocem prædicãtem emittebat; ſed eo modo, quo Lucæ 3. habetur: Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium. Vbi eſt attendendum præpoſitionem illam, ſuper, innuere D. Ioannem Baptiſtam, id, quod prædicabat, ſuper ſe ſumpſiſſe, & priùs dici factum, quàm verbum, quia priùs faciebat manu, quod prædicabat, quàm illud ore pronunciaret.* Proculdubio vides: cur magnus Prædicator, & Doctor dictus ſi Ioannes? Quia eius prædicatio factũ magis dici poterat, quàm verbum, cùm priùs ſuper ſe ſumeret, quod alijs poſtea prædicabat: ex quo quis verus dici debeat Magiſter, colligere potes.

Toletus.

Baptiſta cur vox appellatus.

Luc. c. 3.

Bonauent.

Prius operibus prædicabat, quàm verbis.

6 Ampliùs nunc non miror, cur, vt adeſſent prædicationi Ioannis, concurſus talis populorum fiebat, quòd dicere coactus fuit Matthæus. c. 3. *Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio circà Iordanem*: quia illud: *Tunc*: quod non inanitèr ab Euangeliſta ponitur; cùm non ſimplicitèr dicatur: exibat ad eum Ieroſolyma: ſed, *Tunc exibat ad eum Ieroſolyma* &c. ſoluit difficultatis nodum; cur ad Ioannem potiùs, quàm ad præcedentes Magiſtros, atq; Doctores talis fieret populorum concurſus? quia illud: *Tunc*: ad immediatè antecedentia refertur; quæ ſunt hæc: *Venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis Camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſilueſtre: Tunc exibat ad eum Ieroſolyma* &c. Tacitè (ni fallor) dicere volens Matthæus: rationem ſi ſcire vultis, quãdo ad Ioannem plures confluerent? quùm pœnitentiam prædicabat quidem, ſed tunc pręcipuè, quùm ipſe rudi amictu; immò aſpero cilicio, longaque inedia, pœnitentiam, quam prędicabat, magno patiendi ardore ſuper ſe ſumebat: tũc (inquã) maximè ad eum populorũ fiebat cõcurſus. Nil alitèr Toſtatus. q. 25. explicat illud, *Tũc*, ad quod referri debeat, quùm dicit: *Nota, tunc, poſtquàm deſcripta eſt uita Ioannis in cibo, & ueſte, tunc exibat ad eum Ieroſolyma, hoc eſt, habitatores Ieruſalem*: ſic ipſe: ac ſi clariùs diceret: Quùm maximis pœnitentię, aſperitatis, atquè rigoris exemplis docere cæpit Ioannes, tunc ad eum, vt ad verum Præceptorem omnis multitudo concurrere cępit.

*Matt. c. 3.*

Eius pœnitentia admirabilis.

*Toſtatus.*

Curritur ad prædicatorẽ quùm factis docet.

7 Quid poſtea de noſtro magno Patre, & Patriarcha inclyto dicam? de Franciſco videlicèr. Quot à veritatis via aberrantes, ad veræ perfectionis ſemitam reduxit? Quot ab Ægypto ſeculi huius, ad fælicem promiſſionis Terram,

8 Frãciſcus optimus cõcionator.

ad ſecurum(dico)Religionis ſtatum,reduxit?Quot virorum, mulierumque cateruas, nè Oppida, & Ciuitates, immò Regna ipſa incolis expoliaret, Tertij ordinis habitum, qui Pęnitentium dicitur, in proprijs domibus indutos reliquit? Vt vel ſic etiã in ipſis, qui Coniugij vinculis tenebantur adſtricti, Religioſę vitæ norma vigeret? Sed qua ſermonis elegantia, & quibus verbis pluſquàm diſertis,tot hominum millia pòſt ſe trahere potuerit Franciſcus,explicat D.Bonauentura in laudem eius doctrinæ,his verſibus canens.

Bonauent.

*Lingua manus pręambula*
*Verbo parauit ſemitam,*
*Et amlplectuntur ſęcula*
*Doctrinam facto proditam.*

Quid mirum, ſi mundus totus pòſt Frãciſcum cucurrit?Quid mirum, ſi omnes eum videre, & audire optabant, ſi manus linguam præcedebat, ſi facta verbis viam parabant? Ideò amplectuntur ſecula doctrinam, quia facto erat prodita,non verbis.

Geneſ.c.27.

8 Secùs autem ſi Doctor fecerit, dici ſanè ei poterit illud Geneſ.27. *Vox quidèm vox Iacob eſt: manus autem,manus ſunt Eſaù.*hoc eſt rectè loquẽtis,perfectè dicentis, ſancteque monentis verba ſunt hæc, cùm per Iacob iuſtus intelligatur, & ſanctus, iuxta illud Pauli: *Antequàm aliquid boni,aut mali egiſſent,non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt eis, Iacob elegi, Eſaù autem odio habui.* Ad Rom.c.9. Manus autem, manus ſunt Eſaù, hoc eſt, opera, quę per manus ſignificantur,verbis minimè reſpondent, cùm hæc perfectionem ſonent; illa imperfectionẽ oſtendant: quò ſi nihil mõſtruoſiùs dici poteſt, quã ſcilicèt vnius vocę habere,alterius verò manus;iuxtà illud Bernardi:*Lingua magniloqua,manus otioſa,doctrina lucida,vita tenebroſa eſt res monſtruoſa.* Quã monſtruoſitatẽ ſtupens Iſaac,ait:*Vox quidèm, vox Iacob eſt: manus autem, manus ſunt Eſaù:* monſtrum vocari debet & ille, qui verbis docet, non factis; ad quod monſtrum cum Gomezio dicere debemus: *Nõ ſit in Cõcionatore vox iuſti Iacob, & manus peccatoris Eſau,de quibus ſit mentio in Geneſi.Sit igitur Concionator talis, vt quicquid in ipſo ſit, ſit vox, hoc eſt, vocem Prædicatoris emittat; ſicut quicquid in Ioanne Baptiſta erat,nempè,vita miraculoſa, & verba prodigioſa,& omne,quod in ipſo erat,prædicabat*, ſic ipſe ſuper illud: *ego vox*. Ioannis 3.

Ad Rom. c.9.

Bernard.

Prædicator per omnes ſui partes corporis prædicet.

9 Sed potiùs omnis,qui docet,Aggæum prophetam imitari debet, de quo in eius prophetia c. 1. habetur, quòd, *Factum eſt verbum Domini in manu Aggæi propheta*: non in ore, non in lingua (vt benè Cornelius à Lapide notauit)ſed in manu; quia verbum Domini, quod ore proferebat Aggæus,manu dicebatur factum, non verbum. Vndè citatus Cornelius. *Quia Aggæus non tantùm lingua,& ſermone,ſed manu,ideſt,opere,ſanctaque vita,& exemplo prophetauit; ideò dicitur factum eſt verbum Domini in manu Aggæi:* quem,ſi noſtris hiſce temporibus Doctores imitarentur, & Concionatores, non ſic in audiendo Chriſtianorum tepeſceret animus, vt videtur in dies; ſed pòſt eos mundus totus curreret,vt excellentiſſimo hoc dicendi modo,vt Bernardus ait: *Excellentiſſimus dicendi modus, dùm faciendo, quæ prædicantur,alijs ſactibilia oſtenduntur, quæ docentur,* inſtrui poſſet.

Agg. c.1.

Cornelius à Lapide.

Habeat verbum in manu,non tantum in ore.

Bernard.

## Generatio mala, & adultera ſignum quærit: & ſignum nõ habitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Matt. 12.

### §. II.

*Maiores inter minas, maximaq; inter ſupplicia, diuinus ſemper conſueuit miteſcere rigor.*

1 QVam ob cauſam ille, qui poterat cuncta edere ſigna,operari miracula, nec non mira patrare facinora, Ionę tantùm promittere voluerit ſignum, dicens: *Generatio mala, & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ?* Excogitaui,& non ſemel,pręcipuè cùm pro certo habeam, quòd tàm in inferiori terræ corde, quàm in ſu- Matt.c.12.

ſublimi Cęli Arce apparere ſigna, & coruſcare miracula, efficere poterat: & licèt Rabannus in Catena citatus huius difficultatis nodum ſoluat, dicendo:

Rabanus. *Reſpondere incipit non eis ſignum de Cœlo, quod indigni erant uidere, ſed de profundo inferni tribuens: diſcipulis autem ſuis ſignum de Cœlo dedit, quibus æternam beatitudinis gloriam, & priùs in monte figuralitèr, & pòſt veraciter in Cœlum ſuperexaltatus, oſtendit.* Attamen ex eodem Rabano huius difficultatis aliam ego elicio ſolutionem, & eſt: vt ſummum amoris ſignum, quod oſtendere vnquam poterat, tunc maximè ſe præſtiturum promitteret; & ſanè ſi iuxtà communẽ Sanctorum Patrum expoſitionem, per Ionæ ſignum, Chriſti Paſſio figurabatur, & mors; quod maius pietatis charitatiſque promittere poterat ſignum, quàm hoc? dicente Paulo, ad Romanos. 8. *Proprio Filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et Gregorio. *O inæſtimabilis dilectio charitatis, vt ſeruum redimeres, Filium tradidiſti!* Nec mirum, quòd tunc præcipuè maximum hoc pietatis ſignũ promitteret: quia inter ipſas minas, atquè flagella ſemper diuinus rigor miteſcere nouit; & quia contrà iniuſtos, tunc iuſtè iratus erat, quia vitia tunc diſcooperiebat, minas tunc intentabat, quia hoſtium prædicabat incurſus, & quia Ciuitatis denique tunc deprædationem, atq; ſubuerſionem pronunciabat, inter minas, atque ſupplicia, diuina debebat (vt ſemper conſueuit) eluceſcere pietas: idcircò dicere voluit, ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ: Quod quia ex citato Rabano accepi, eius non omitto verba: *Oſtendit Iudæos ad inſtar Niniuitarum criminoſos, & niſi pœniterent ſubuerſioni proximos; ſed ſicut illis denunciatur ſupplicium, & demonſtratur remedium; ità Iudæi non debent deſperare veniam, ſi ſaltèm pòſt Chriſti reſurrectionem egerint pœnitentiam:* ſic ipſe in Catena. Nos autem tactum exordiamur inſtitutum.

Ad Rom. c.8.

Gregorius.

Rabanus.

Inter minas diuina pietas.

2 In primis parentibus, liceat in primis hanc me contemplari veritatẽ, quòd maiora inter ſupplicia diuinus ſemper miteſcat ardor; nàm, vt ſacra narrat hiſtoria, pòſt peccati punitionem, priuſquàm è Paradiſo eijcerentur noſtri progenitores, eorum nuditatem pelliceis tunicis operire voluit Dominus: *Fecit quoquè Deus Adæ, & uxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Geneſ. 3. Ex quibus, quàm communis, tàm elegans ſolet à ſanctis Patribus obijci quęſtio. Cur potiùs pelliceis tunicis, quàm alijs veſtibus induti ſint noſtri Genitores, antequam extrà Paradiſum eliminarentur? Cui difficultati, quia communitèr reſponderi agnoſco, quòd mortuorum animalium pellibus pòſt mortis ſententiam fuerunt induti, vt talibus indumentis de propria admonerentur mortalitate, ſicque vt mortuas veſtes prę oculis ſemper habebant, ità exitus diem mentis oculo ſemper aſpicerent. Nihilominùs non tantùm hìc mea ſiſtit difficultas, quare pelliceis tunicis ſint induti, non alijs: ſed vlteriùs etiàm quęro: Cur nõ pòſt pęnæ illationem, ſed antequàm de voluptatis loco eijcerentur, talibus indumentis ſunt cooperti? Cur priùs mandati tranſgreſſores de Paradiſo non expulit Deus, quàm veſtiuit? Sed; ò mira ferientis pietas! ò prorſùs indicibilis Dei noſtri miſericordia! quę ideò pòſt mortis ſententiam, & pòſt alias pœnas inflictas, ſed ante eiectionem indumentum concedere voluit, vt inter maxima ſupplicia, veluti inter denſiſſimas nebulas aliquem pietatis radium ſplẽdeſcere faceret. Quod eleganter dixit Moyſes Barceſa. lib. de Paradiſo c. 28. vtramque ſoluens difficultatem, v3. cur pelliceis ſint induti veſtibus: & cur ante eiectionem: his verbis: *Cur ergò illos tunicis veſtire voluit Dominus? Dicimus, ſummam Dei ergà ipſos miſericordiam in cauſa fuiſſe: quippè eùm Deus colloquium cum primis Parentibus longius haberet: quis ſignificauit tibi, quòd nudus eſſes? &c. ſimiliter alia atque alia ad fœminam, & ſerpentem verba faceret: interea areſacta ea, quibus ſe illi contexerant, folia ficulnea defluere ceperunt: cùm igitur nudati iàm, tunc pudore illi afficerentur; non erat conſentaneum diuinæ miſericordiæ nudos prorſùs eliminare de Paradiſo. Miſertus ergò ipſorum conditionem, pro ſua clementia ipſis opem tulit, factiſque tunicis, nuditatem velauit:* Aduertiſti (ni fallor) & quare pelliceis indumentis eos induere voluerit Deus, vt eorum conſuleret pudori, & quare pòſt mortis ſententiam; ſed ante eiectionem; vt non pòſt, ſed inter

Geneſ. c. 3.

Cur Deus pelliceis tunicis primos parentes veſtiuit.

Barceſa.

Rigor diuinæ pietati admiſtus.

 ſup-

ſupplicia diuino miteſcente rigore, aliquis pietatis micaret radius.

3 A qua veritate, quòd videlicèt inter maiores preſſuras ſẽper aliqualis appareat pietas, nõ diſcordat, quod in

*Pſal. 88.*

perſona Dei Regius cecinit Vates Pſal. 88. *Si dereliquerint filij eius legem meam: & in iudicijs meis non ambulauerint: ſi iuſtitias meas profanauerint: & mandata mea non cuſtodierint: viſitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo: neq; noceebo in veritate mea.* Ac ſi in Dei perſona diceret: Quantuncunque terribilis peccatoribus appaream, quantumuis ſeuerè puniens ab hominibus exiſtimer: tamen è punitionum medio miſericordia ſemper erũpet & pietas: ideò, vt cunctis hoc innoteſcat, promitto, quòd viſitabo quidèm in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum; ſed miſericordiã meam nõ diſpergam, nequè nocebo in

*Auguſt. de 2.p. Pſal.*

ueritate mea. Auguſtinus. *Multum eſt, quod promittit Chriſtianis, qui ſi Chriſtiani, hoc eſt, filij eius dereliquerint, inquit, legem meam, non contemnam eos, neque in prædicatione dimittam eos, ſed quid faciam? viſitabo in uirga iniquitates eorum, et in flagellis delicta eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.*

Inter flagella Deus miſericordiam oſtendit.

4 Quod viſum eſt in Iona, qui nimis inſipientèr à Domini facie, qui vbique per eſſentiam, per præſentiam, & potentiã eſt, ſe fugere poſſe exiſtimans, in nanim cõſcendit: ſed quid indè? vix, vt ventis data carbaſa, nauim è littore remouerunt, tumentibus vndis, furentibus ventis, periclitantibus cunctis, ſolus ipſe profugus (Deo ſic permittente) in mare proijcitur. *Tulerunt Ionam, &*

*Ionæ c. 1.*

*miſerũt in mare: et ſtetit mare à feruore ſuo.* cap. 1. Ergò maris, ventorum, creaturarumq; omnium furor contra fugiẽtem Prophetam ſæuiens, diuino famulabatur furori? Ità ſanè. Sed nunquid inter tot rigores, atq; pericula, ſine miſericordiæ veſtigio miſer Ionas remanſit? nequaquàm certè: ſed inter tot preſſuras quid egit diuina pietas? *Præparauit*

*Ionæ c. 2.*

*Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam: & dixit Dominus piſci: & euomuit Ionam in aridam.* cap. 2. Quis non completum videbit illud: *Viſitabo in virga ini-*

*Pſal. 88.*

*quitates eorum: & in verberibus peccata eorum: miſericordiam autem meam, non diſpergam ab eo, neq; noceebo in veritate mea,* ſi poſt tot pericula, atq; preſſuras, ad optatũ portum incolumis ducitur Ionas? Vndè Hieronymus. *Vbi putabatur interitus, ibi cuſtodia erat: præparauit enim piſcem, &c. vt præcipitem Ionam in ſuos reciperet ſinus, & pro mari præparat habitaculum, ut qui in naui iratum ſenſerat Deũ, propitium in mari ſentiret.* Ex quo Ionæ euentu, inter minas pietatem, inter rigores amorem, & inter ſupplicia beneuolentiam vides & gratiam.

*Hieronym.*

Deus ad caſum præparat ſubleuationem.

5 Myſterio autem minimè vacat, quòd poſt tot aſperitates, atq; reiectiones, ſemper impetrandi fiduciam conſeruauerit mulier illa Chananæa, de quã Matth. c. 15. dicit; quòd non ſemel, ſed pluriès à Domino reiecta, quò aſperiùs repellebatur, eò petitioni inſiſtebat inſtantiùs, & tandèm eò peruenit eius fides, vt ab ipſo Domino audire meruerit. *O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.* Quam fidem conſiderans Hieronymus relatus in Catena. *Mira autem huius mulieris fides (clamare cœpit) patientia, & humilitas prædicatur; fides, quia credebat ſanari poſſe filiam ſuam; patientia, quia pluries contempta, in precibus perſeuerat; humilitas, quia ſe non canibus, ſed catulis comparat.* Et Origenes. *Magna eſt fides tua: ac ſi dicat: fides tua maiora his audire poteſt; verùm interim fiat tibi ſicut vis.* Demùm D. Thomas in Catena (vt reliquos omittam) in Chriſti perſona, mulieris fidem, ſic extulit: *Sana ſit filia tua: ſed magna eſt fides tua, fiat tibi; ſicut vis.* Sed vndè, Bone Deus, in gentili fœmina tanta impetrandi fiducia? vndè nouit aſperitatem non timere, rigoribus non terreri, duris deniq; reſponſionibus non cedere; ſed ſemper petita auidiùs poſtulare? An quia inter maiores aſperitates, ſemper diuinum rigorẽ miteſcere ſolere agnouerat? proculdubio ſic: & rei id probauit euentus, nàm inter aſperitates, atq; rigores, pietatem, inuenit & gratiam, dicente Domino: *O mulier magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.* Vndè Carthuſiano dicere placuit: *Quò Chriſtus videbatur huic mulieri aſperior foris in verbis, & geſtibus; eò benignior intùs per occultam operationem ei fuit.* Magna prorsùs mulieris fides, quæ inter ipſas negationes ſemper petitionibus

*Matt. c. 15.*

*Hieronym.*

*Origen.*

*D. Thom.*

*Carthuſ.*

Quò Chriſtus extrà aſperior, eò intùs benignior reperitur.

inſi-

inſiſtebat ferventiùs! ſed penitùs ſine comparatione maior Dei pietas, quæ rigorem temperans, petitionibus tandem annuit, dicendo: *fiat tibi, ſicut vis.*

6 Nec ſufficit diuinæ pietati, ſic iuſtitiam in præſenti temperare, quòd in quolibet punitionis genere aliquis diuinæ beneuolentiæ effulgeat radius; ſed etiam inter ipſas ſupremi iudicij punitiones mitificabit, quoad fieri poterit, rigorem: quod ex ijs, quæ Matth. de vniuerſali iudicio ſcripſit, facilè oſtendo: nàm vt ipſe dicit: Cùm Dominus ad iudicandum venerit, priuſquàm pro diuerſitate factorum, ſiuè vitæ, ſiuè mortis ſententiam proferat, vt ſedulus Paſtor, bonos ſeparabit à malis. *Cùm venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedē maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut Paſtor ſegregat oues ab hædis.* cap. 25. Vbi id mihi mirabile accidit, quòd in ipſo iudicandi actu paſtorem ſe uocat: quia, ut ex alijs Sacræ Scripturæ locis accepi, & præcipuè ex illo Ioannis 10. *Ego ſum Paſtor bonus: bonus Paſtor animā ſuam dat pro ouibus ſuis*: Paſtoris nomen amoris eſt titulus: Vndè Lyranus ſuper Ioannis verba modò citata, ait: *Signum veri paſtoris eſt affectio, quam oſtendit ad oues, quia non poteſt eſſe maior, quàm ſe exponere pro Ouibus.* Et D. Bonauentura: *Oſtendit ſe bonum Paſtorem ratione diligētis, ac ſtudioſæ acquiſitionis ouium.* Igitur in Paſtore erga oues amor feruere debet non modicus? Nil certè alitèr. Sed quæ maieſtatis, & amoris conuentio? Si verum eſt, quòd Ouidius cecinit:

*Matt. c. 25.*
Etiam in iudicio, vt aliqualiter ſe mitem oſtēdat, Paſtorē ſe vocat.
*Ioan. c. 10.*
*Lyranus.*
*Bonauent.*
*Ouidius.*

*Non benè conueniunt, nec in vna ſede morantur*
*Maieſtas, & Amor.*

Si in maieſtate veniet, ſi vt ſeueriſſimus Iudex apparebit, ſi minas intentabit, ſi perpetuæ pœnæ ſententias proferet, ſi ad ignem æternum reprobos deſtinabit, qua ratione tunc ſe Paſtori aſſimilabit, ſi Paſtoris nomen amoris eſt titulus? nunquid inter minas amor? inter ſententias beneuolentia? & æterna inter ſupplicia pietatis ingerendum eſt nomen? ſic certè dicit Chriſtianus Ruthmanus: *Quia idm dixerat: ego ſum Paſtor bonus, perſeuerat in ipſa parabola, quòd ſicut Paſtor ad veſperam oues ab hædis ſegregat, &c.* Ecce quomodò non tātùm nunc miſericordia iuſtitię rigorem tēperat; ſed inter ipſos etiam extremi iudicij rigores, iuſtitiam ſic mitificabit pietas, vt ſemper aliquis beneuolentiæ germen erumpat.

*Chriſt. Ruthm.*
Inter extremos rigores, pietatis ſemper aliquid effulget.

7 Hoc idem nō parum probat parabola illa de Virginibus prudentibus, & fatuis: vbi habetur, quòd pòſt lōgam moram, veniente tandèm ſponſo, Virgines illæ ingreſſæ ſunt domum, quæ paratæ nedùm eum exceperant, verùm etiam accenſas geſtantes lampadas, ei occurrerant: pòſt quarum ingreſſum, aditum clauſit ſponſus, nè cui in poſterum pateret: quod Diuus Matthæus explicauit his verbis. *Venit Sponſus: & quæ paratæ erant, intrauerūt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua: Nouiſſimè verò veniunt & reliquæ Virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille reſpondens, ait: Amen dico vobis, neſcio vos.* cap. 25. Per quam parabolam iudicium deſignari, communitèr tenent Sacræ Scripturæ expoſitores: & ſicut per prudentes Virgines, iuſtos; & per fatuas, peccatores importari; ſic per ſponſum, Iudicem aſſeruerunt ſignificari. Nec ſine multa ratione ſe ſponſi nomine nuncupabit Iudex in iudicio, vt nō ſolùm erga iuſtos, beneuolum, illos vltrà condignum remunerando: ſed etiam ergà inſipientes Virgines, hoc eſt, reprobos, aliqualitèr ſe mitem oſtendat, pœnas citrà condignum infligendo. Vndè vbi noſtra vulgata legit: *Venit ſponſus*: vertit Auguſtin. hom. 1. in idem, *venit ille, qui iudicat*: tacitè (ni fallor) dicere volēs: nullus quęrat, miretur nullus: cur ſponſum, & Iudicem ſe in iudicio vocabit Saluator: quia hoc ob aliā cauſam nō faciet, niſi, vt ſponſi beneuolentia Iudicis temperare poſſit rigorem.

*Matt. c. 25.*
*Auguſt.*
Chriſtus in Iudicio Iudex, & ſponſus.

8 Quem feriendi modum, non ſolùm Deus ſeruare voluit ſemper, ſed etiam nos eum ſectari debere, in virga Aaron tacitè oſtendit, quæ in ſignum electionis ipſius flores produxit, & fructus: *Sequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui: & turgētibus gemmis eruperunt flores*: Num. 17. vbi, & ſi per virgam Prælatio intelligeretur & poteſtas; iuxtà illud Pſalm. 44. *Virga directionis virga Regni tui.* Et Ezech. 19. *Factæ ſunt virgæ ſolidæ in ſceptra dominan-*

*Num. c. 17.*
*Pſal. 44.*
*Ezech. c. 19.*

*minantium*;etiàm tigor inſinuaretur poteſtatis,atq; regiminis, vt benè expreſſit Dauid verbis illis: *Reges eos in virga ferrea,et tanquàm vas figuli confringes eos.* Pſal.2.Quod agnoſcens Paulus,ad legis tranſgreſſores dicere conſueuit: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate,& ſpiritu manſuetudinis?* 1.Corint.4. Ex quibus omnibus pluſquàm clarè habetur, quòd per virgam, poteſtatis rigor ſit intelligendus, vt benè de virga Aaron loquens Carthuſ. dixit: *Iuxtà myſticum ſenſum vnuſquiſq; Prælatus, Princeps, aut Iudex debet virgam habere, ideſt, prælatiæ poteſtatem,legem iuſtitiæ,et rigorem iudicij*: ſic ipſe.Sed virga ſine floribus eſſe non debet;quia ſi per flores benignitas figuratur & pietas, vt notauit Ambroſ. ſerm.3. de Virginibus, & Bernard. de Aduentu: ſic Iudicis rigor ſine pietate eſſe non debet, ne crudelitatis ſortiatur nomen. Vndè hæc duo à Deo non immeritò copulantur, virga, & flores, vt Prælatus, & Princeps Dei ſectando veſtigia, Iudicij, poteſtatiſq; rigorem manſuetudine, atq; pietate temperare dignoſcat.Vnde Auguſtinus ſuper Pſal.88.præcipuè ad Eccleſiæ Principes,atq; Rectores dicere ſolebat. *Mandatorum tranſgreſſores in virga, ideſt,in diſciplina Dei corripiantur, & miſericordia diuina non auferatur,ut nullus ſine ſpe recuperationis ab Eccleſia arceatur; quia ſicut ſeueritas diuina terret,arguente iuſtitia; ità pietas reparat, moderante clementia.* Quod ſi Principes ſeruarent,& Iudices præ oculis ſemper haberent, correcti remanerent multi; exaſperati autem pauci.

Pſal.2. 1.Cor.4. Carthuſ. Ambr. Bernard. Auguſt.

Virga correctionis ſit floribus miſericordiæ adornata.

## Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabũt eam.Matt. 12.

### §. III.

*Miræ improbi cenſura probi eſt vita, cùm virtus qualibet oppoſitum ſibi vitium mirabiliter reprehendat.*

1 ILle ſi tu es, ò Domine, cui à Patre iudicandi eſt conceſſa facultas, vt proprio ore explicare dignatus es dicendo: *Pater omne iudicium dedit Filio, quia filius hominis eſt.* Ioannis. c. 5. ſi tu es Iudex ille, qui iuxta delictorum menſuram inflicturus es pœnas, ac dicturus: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo,& Angelis eius.*Matth.25.Quomodò Niniuitæ in vniuerſali iudicio condemnare poterunt, quòd dicis: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta,& condemnabunt eam?*Si fortè Niniuitis aliquā iudicandi concedere vis poteſtatem, cur,vt Petro, Apoſtoliſque cæteris,non dicis: *Sedebitis ſuper ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael*,Matt.c.19. Quod hos præciſè non alios à Niniuitis iudicandos aſſeris, cùm dicis: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta,& condemnabunt eam?* Sed,vt video,quod ſubdidiſti, difficultatem facilè eneruat, videlicèt: *Quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ*: Nàm ſi iuſtorum vita iniuſtorum eſt cenſura, iuxtà illud Gregorij. lib. 24. Moral. c.33. *Viua lectio eſt vita bonorum*; rectè à Niniuitis generationem iſtam aſſeris iudicandam; quia illorum pœnitentia, iſtorum impœnitentiam; & illorum credulitas,iſtorum damnabit incredulitatem: quià illi ſeruum libentèr audiebāt; iſti Dominum audire contemnunt.Quod confirmauit venerabilis Beda tom. 7. ſuper idem, quùm ait: *Condemnabunt Niniuitæ gentem Iudæorum, non poteſtate; ſed comparatione vitæ: egerunt enim pœnitentiam in prædicatione Ionæ,quod quidē Iudæi in prædicatione Domini non fecerunt; meritò illorum comparatione damnabuntur.* De quo condemnandi modo,non per poteſtatem, ſed per comparationem forſitān loquitur Sapien.c.4. quùm ait: *Condemnat autem iuſtus mortuus viuos impios*: Et de ipſo nos etiàm in præſentiarum loquentes,quàm efficax ſit hic corrigendi modus, & quàm ſeuera hæc iudicandi via,oſtendemus.

Ioan.c.5. Matt.c.25. Matt.c.19. Vita bonorum cēſura & lectio. Gregorius. Beda. Mali iudicantur à bonis comparatione. Sap.c.4.

2 Non modicam difficultatem parere poſſent verba illa à Saluatore prolata, & ad Diſcipulos, iuſtoſque omnes directa. *Sic luceat lux veſtra coràm hominibus,ut uideant opera veſtra bona.*Matt.5. Quià ſi virtus pretioſus theſaurus eſt; immò theſauris omnibus pretioſior; iuxtà illud Sap. 7. *Omne aurum in compara-*

Matth.c.5. Sap.c.7.

*ratione illius arena eſt exigua, & tanquàm lutum æxtimabitur argentum in conſpectu illius.* Et ſi verum eſt, quod dixit Greg. hom. 11. in Euang. Quòd, *Deprædari deſiderat, qui theſaurum publicè portat in uia.* Niſi pro certo haberemus, quòd vnius vita, alterius eſt correptio, & vnius probitatis exemplum, alterius improbitatis cēſura; q̄ ſignificare voluit Chriſoſt. hom. 15. ex c. Matt. 5. quùm ait: *Nō ſolùm corrigitis Orbem, rectè, ſanctèque viuendo; verū etiā glorificari Deū ex veſtra cōuerſatione facitis.* Non facilè pręfati præcepti, *Sic luceat lux veſtra corā hominibus, ut uideant* &c. perciperemus ſenſū: verū quia modò dicta prę oculis habemus, dicere poſſumus, immò debemus: q̄ ideò rectè viuentium exēpla moſtrari præcipiuntur, vt ab ipſis malè viuentes arguantur: ob quam cauſam dicitur: *Luceat lux ueſtra coràm hominibus*: quià, vt lux tenebras pellit, ſic virtus vitium corripit, & redarguit. Chryſoſtomus ſuper Pſal. 49. *Habeat ergò uita tua clarā uocem; & licèt os tuum obſtruxeris, tuba clariùs perſonabis*: ac ſi diceret: ſi iuſti vita maxima eſt cenſura, virtutis lumen oſtende, probitatis prębe exempla; & vt mūdum corrigas, aliud loqui non opus erit.

Gregorius. — Chryſoſt. — Chryſoſt. — Clara vox, opus bonū.

3 Quem corrigendi modum oſtēdit Spiritus ille diuinus, qui ſuper diſcipulos viſibiliter deſcendens, linguę formam aſſumere voluit, ſacra dicente pagina: *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquàm ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum.* Act. 2. Ex qua apparitione quod ſe mihi cōſiderandū offert eſt: Si Spiritus Sanctus, non digiti, vt in ſuperioribus dictū eſt, non Columbę, nec alterius rei; ſed linguæ formam aſſumere volebat; quia loquendi facultatem, ſcientię, & ſapientię donum ſignificare intendebat, iuxtà illud Pauli. 1. Corint. 12. *Alij quidèm per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, alij genera linguarum.* Cur non apparuit in ore, quòd in capite ſedere voluit? Quis vnquàm linguam in capite vidit, & non in ore? Si linguę formam, ſi loquendi facultatem, ſi ſcientię concedere donum volebat, in ore potiùs, quàm in capite, apparere debebat. Quid ergò eſt hoc, quod dicitur, *Sedit ſupra ſingulos eorum?* Vt tamen video, & in linguę forma, & in capite, non in ore, ideò apparere voluit, vt tacitè oſtenderet, quòd hæc lingua, quæ in capite ſita eſt, nimis diſertè loquitur: hæc ſine verbis loquitur, ſine voce auditur, ſine ſtrepitu corripit: hęc eſt illa lingua, quę ſilentio docet; ſilentio (vt concludam) mūdum inſtruxit, & reduxit totum. Adſit Gregorius lib. 2. ſuper Acta Apoſt. c. 7. *Sine ſtrepitu ſermo eſt, qui & auditum aperit, & habere ſonitum neſcit, quod in aduentu Spiritus Sācti viſum eſt. Factus eſt repentè de Cælo ſonus, tanquàm aduenientis Spiritus vehementis, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquàm ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Quæ lingua, ideò in capite videri voluit, non in ore, quia plus mouet probitatis exemplū, quàm oratoris diſerta loquutio: vndè dicere ſolebat Ambroſius ſerm. 23. de Sanctis. *Quamuis diſertus orator facundia ſua me doceret; id tamen, quod vtile eſt mihi, meliùs diſco exemplo Sanctorum, quàm aſſertione verborum; citiùs mihi perſuadēt oculi, quod cernunt, quàm auris poteſt inſinuare, quod præterit*: ideò ille, qui accenſam lucernam, nō ſubter modium; ſed ſuper candelabrum monuerat eſſe ponēdam, Spiritum Sanctum ſuper diſcipulorum capita, veluti ſuper candelabra apparere fecit, vt hoc lumine errorum expellerent tenebras, & benè viuendi lingua mundum totum inſtruerent.

Act. c. 2. — Spiritus ſāctus linguæ figuram aſſumens, in capite, non in ore apparere voluit, & quare. — 1. Cor. 12. — Act. c. 2. — Gregorius. — Loquitur ſine verbis, & diſertè, qui operibus fatur. — Ambroſ.

4 Myſterium nunc facilè percipio; cur Abraham nullibi (Deo ſic permittente) conſiſtere potuit: nàm poſtquàm, vt ipſi pareret, Domum reliquit & Patriam; nec in terra Chanaan, nec in Palęſtina, nec in mōtibus, nec in Ægypto, nec alibi (ut concludam) diù habitare potuit: ſed multis peragratis Oppidis, & Ciuitatibus, in tabernaculis, & in caſulis (Deo ſic iubēte) hoſpitari cogebatur. Vndè Paulus ad Hebræos 11. De aſſidua eius peregrinatione in hunc loquitur modum. *Fide qui uocatur Abraham obediuit in locum exire: neſciens quò iret. Fide demoratus eſt in Terra repromiſſionis, tamquā in aliena in Caſulis habitando*: & non ob aliud certè hunc fidelem ſeruū ſemper peregrinari permiſit piiſſimus Dominus, niſi, ut eius lux ab omnibus videretur, vt omnes ſuo doceret exemplo; & (vnico vt concludam verbo) ideò nullibi diù perſiſtere potuit, quia ab omnibus videri debebat, vt

Ad Hebr. c. 11.

om-

Digitized by Google

di addiſcant ſic & peccatoribus iuſti vita, velut exemplar proponitur, vt tali norma rectè viuendi formam intelligant, quam ſequantur: Quod clarè (ni fallor) per Iſaiam expreſſit Deus, cùm

*Iſai.c.51.*

ait: *Audite me, qui ſequimini quod iuſtum eſt; Attendite ad Abraham Patrem veſtrũ, et ad Saram, quæ peperit vos.* c.51. Tacitè, vt puto, dicere volens: Si quis in rectam viuendi formam vitam ſuam redigere cupit, meis acquieſcat conſilijs; reſpiciat Abraham, intueatur Saram, Iuſtorum vitam, & exempla præ oculis ſemper habeat, vt quid ſectari, & quid declinare debeat, vt rectè viuere dicatur, agnoſcat: nec mirum, quod proſequatur Ioannes: *Et iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera ipſorum.* Quia ſi puerorum characteres ex exemplaribus iudicantur, & quã ab illis diſcrepant, tã à Præceptore verberãtur; ſic peccatores, qui iuſtorum vitam, tanquàm viuendi normam à Deo acceperũt, quò minus illam imitari ſtuduerint, eò magis ſtatuto tempore punientur.

*Gregorius.*
Iuſtorum vita à nobis percurrẽda, vt liber à diſcipulis.

Gregorius loco citato. *Et iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris, quia in oſtenſa vita iuſtorũ, quaſi in expãſione librorum legunt bonum, quod ipſi agere noluerunt; atquè ex eorum qui fecerunt comparatione, damnabuntur.*

8 Aureum eſt ad hoc idem probãdum, vt tactam ſimilitudinem proſequar, quod in ſceleſtorum confuſio-

*Ezec.c.43.*

nem Dominus Ezechieli præcepit. *Fili hominis oſtende domui Iſrael Templum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricam: Et erubeſcant ex omnibus, quæ fecerunt.* cap.43. Quia ſi per Tẽplum iuſti, & ſancti intelliguntur iuxta

*Pſal.64.*

illud Pſalm.64. *Sanctum eſt templum tuũ, mirabile in æquitate*: Et vt declarauit

*S.Lucia.*

Gregorius ſerm.1. in 1.Reg. Et vt dixit Paſchaſio non minus caſta, quàm fortis Lucia: *Castè & piè viuentes Templum ſũt Spiritus Sancti*: Per fabricam, virtutum ſtructura intelligi debet, quæ ideò Iſraeli oſtenditur, vt ex hoc Templo, & ex hac virtutum ſtructura, propriam agnoſcens imperfectionem, atq; miſeriam peccator, vt puer ex comparatione exempli cùm litteris à ſe formatis, erubeſcat, & cõfundatur: Quod egregiè

*Gregorius.*

dixit Gregorius lib.24. moral. cap.6. in 23. Iob. *Templum quippè Dei filijs Iſrael ad confuſionem oſtenditur, quando vniuſcuiuſq; iuſti anima, quanta ſanctitate fulgeat, ad confuſionem ſuam peccatoribus demonſtratur: vt in illa bonum, quod negligunt, videant, et in ſeipſis malum, quod operantur, erubeſcant. Benè dicitur: oſtende templum. Quia iuſtorum rectitudinem conſiderare peccator diſſimulat.* Ex quibus videre licet, quàm verum ſit, quòd vnius vita, alterius eſt cenſura, & vnius probitas alterius improbitatis redargutio.

Iuſtorum rectitudo, vt exemplum conſideranda.

9 In poſterum nullus quærat, cur ſtella, quæ Magos vſq; Ieroſolymam duxerat, in ipſa Ciuitate diſparuit, ex quo percontari neceſſum fuit: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Matth.2. Quia hoc ideò factum eſt, vt Magorum fide, Iudæorum argueretur perfidia; quia quem illi de longinquo, & non ſine multis laboribus veniendo, quærebant; iſti propinquum habentes, quęrere contemnebant: Quod dixit Chryſologus in ſerm.152. reſpondens ad difficultatem, cur ſtella, quæ priùs viam monſtrabat, in Ciuitate videri non debuit, his verbis. *Vt perfidiam Iudæorum per fidem gentium caſtigaret.* ſic ipſe.

Stella, quæ Magos duxerat, in Ieruſalem cur non apparuit?
*Matth.c.2.*
*Chryſolog.*
Perfidia ex fide menſuratur.

10 Nos autem ad maiora procedentes, dicimus; quòd non ſolùm iuſti vita malè viuẽtes redarguit; ſed reprobos ipſos in Inferno iàm exiſtentes cõfundere ſi vellet Deus, per aliud hoc efficaciùs fieri minimè poſſet, quàm per iuſtorum vitam, per quam veluti per clariſſimum ſpeculum propria videntes ſcelera, nõ parùm confunderentur, idque per ea, quæ D. Lucas de inhumano diuite refert, facilè oſtendo: Nã ſepultus in Inferno crudelis hic diues, eleuans oculos, Lazarum in Abrahæ ſinu vidit: *Eleuans oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, uidit Abraham à longe, & Lazarum in ſinu eius.* cap.16. vbi non miror, quòd oculos eleuaſſe dicatur, quia quẽ in vita, ſic inferiorem putabat, vt niſi oculis in terram depreſſis, videre non poſſet, poſt mortem tàm ſuperiorem agnouit, vt ad eum proſpiciẽdum oculos eleuare cogeretur. Ità Emiſſenus. *Diues iàm uidere incipit Lazarum ſuperiorem, & tàm ſuperiorem, ut niſi oculis eleuatis eum uidere non poſſit.* Nec multùm miror, quòd ſit ei conceſſum Abraham vi-

*Luc.c.16.*



Digitized by Google

*Chryſolog.* dere; quia Chryſologum noui dicẽtem in ſerm. 66. de diuite, & Lazaro. *Vidit Abraham diuitiarum conſortem, ſed inhumanitatis exortem, & Abraham diues, ſed plus humanitate, quàm cenſu, tu diues inhumanitate tua maior tuis diuitijs extitiſti.* Nec tãdem mihi mirabile accidit, quòd a ſe longe videret vtrũque; quia ut cecinit regius Vates in Pſ. 118. *Longè à peccatoribus ſalus*: Sed quòd magnam difficultatem tàm mihi, quàm Tiro Boſtrorum Epiſcopo parit, eſt: cur in ſinu Abrahæ potiùs, quàm alterius uiſus eſt Lazarus? Vndè citatus Epiſcopus difficultatem his uerbis mouet: *Cur Lazarũ in ſinu Abrahæ potiùs uidit, quàm apud quemquam alium iuſtum?* Soluit autem eam, cùm dicit: *Vt huius hoſpitalitas illius inhoſpitalitatem redargueret, propterea æquus Iudex hùc eum illo collocare uoluit.* cuius ſi perpendes uerba illa: *Vt huius hoſpitalitas illius inhoſpitalitatem redargueret*: Manifeſtè uidebis, quòd iuſti uita etiam ipſos in inferno exiſtentes, quàm tacitè, tàm efficaciter redarguit, & confundit:

*Pſal. 118.*

*Titus Boſtrenſis.*

*Vitium cõtrarie virtuti oppoſitum, magis elucet.*

11 Nec quæ uſq; modò dixi, mihi ſufficiunt, ſed aliud addam, & eſt: quòd ſi ipſum Diabolum Deus arguere, & increpare uellet, non hoc luculentiã ſermonis efficeret, nec uerborum elegantia; ſed tantum ei proponendo alicuius iuſti uirtutes & merita: quod uidere ſi cupis, patientiſſimi Iob percurre hiſtoriam, & videbis, quòd cùm ſe iactaret Satan, & diceret: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* c. 1. Subiunxit piiſſimus Dominus: *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* ibidem. Sed quid eſt hoc, quod dicis Domine: numquid conſideraſti ſeruum meum Iob? Si Satan totam terram circuiuit; ergò Iobum vidit? ergò ipſum conſiderauit? Si corpore ſaltem extrà terram non erat; quam ergò ob cauſam, an Iobum viderit, ſic diligentèr inquiris? An potiùs ex hoc ipſum laudandi, eiuſq; extollendi virtutes occaſionem deſumis? eſtò: ſed cur hoc efficis coràm inuidioſiſſimo Satana, & non poſt eius diſceſſum? An Iobi pietate, ipſius impietatem; Iobi rectitudine, ipſius prauitatem: & Iobi tandem timore, ipſius arguere, & increpare impudentiam cupis? Ità ſanè: vt ſatanæ confunderet malitiam, Iobi ſanctitatem prædicauit. Adamuſſim iſtam rem confirmauit Origenes lib. 1. in Iob. *Verè cùm hæc ad Diabolum loquitur, per hæc Diabolum arguit, atq; increpat & ueluti diceret: Audi, ò Diabole, ad te n. eſt hic ſermo, & tua hæc increpatio, atque obiurgatio; ſine querela eſt Iob, tu uerò iniuſtus es, & totius iniuſtitiæ ſuffragator: verus eſt Iob, tu uerò Dei refuga, & Apoſtata: abſtinet ſe ab omni opere malo Iob, & uerbo, tu autem omne malum, et illicitum, atq; impium opus, aut uerbum ſeminaſti inter homines*: O mira arguendi via, ò præclarum increpandi medium, iuſti vita! quæ nedùm malè uiuentium correptio eſt & cenſura; ſed ipſos etiam in Inferno exiſtentes: immò, quòd maius eſt Diabolum ipſum increpat, & confundit.

*Iob c. 1.*

*Origenes. Vita iuſti Diaboli increpatio.*

*Iobi ſanctitas ad Diaboli increpationem proponitur.*

## Inuenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatã. Tũc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecũ nequiores ſe, & intrantes habitant ibi. Matth. 12.

### §. IV.

*Nouerca virtutum, vitiorumquè mater otioſitas, Otioſũ ſic eneruat, vt Diabolo reſiſtere nequeat.*

1 Quod à gentili ore nõ ſemel accepi, otioſitatem emollire uires, robur animi frãgere, & ad reſiſtendum uitijs otioſum omninò imbecillem reddere atquè ineptum, de Adultero Ægiſtho dicẽte Ouidio, lib. 1. amorum: *Ouidius.*

*Quæritur Ægiſthus quare ſit factus adulter?*
*In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat:*
*Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus.*

Hoc

Hoc idem in pręſentiarum ab Euangeliſta prolatum reperio, quùm Dęmoné

*Matt.c.12.*

introducit dicentem: *Reuertar in domum meam, undè exiui. Et ueniens inuenit eam uacantē. Tunc uadit, & aſſumit ſeptē alios ſpiritus ſecū nequiores ſe, & intrātes habitant ibi:* Vbi ſi per domum Anima, & per uacuitatem (iuxta Lyrani expoſitionem) otioſitas eſt intelligenda: quid mirum quòd cum ſeptem nequioribus in eam ingrediatur ille, qui anteà ſolus fuerat egreſſus? Et quid mirū, quòd licèt hominis iſtius nouiſſima fiant peiora prioribus, nihilominùs ipſe ingreſſum prohibere non ſtudeat, nec aditū claudere?

*Lyranus.*

Quia ſi à bonis (ut Lyranus ait) uacabat, ſi otio torpebat, emollito robore, eneruatis uiribus, reſiſtere nullatenus poterat.

*Vgo Card.*

Quod dixit Vgo Cardinalis hiſce uerbis:

Domus vacua otioſus, Diabolo expoſitus.

*Nolite ſtare otioſi, quià ad domum uacantem, undè exiuit Diabolus, reuertitur, & habitat cum ſeptem ſpiritibus nequioribus, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus:* ſic ipſe ſuper cap. Iſaiæ. 51. Vndè inter antiquos religioſorū Patres, vt D. Hieronymus in Epiſt. ad Ruſticum, de forma benè viuendi teſtatur: mos inoleuit, omninò laboris expertem ad religioſam uitam non admitti; & non ob aliud ſanè, niſi, quià pro certo habebant, otioſos Diabolo reſiſtere minimè poſſe:

*Hieronym.*

Vndè Hieronymus loco citato.

Monachi non otioſi.

*Ægyptiorum monaſteria hunc morem tenent, vt nullum abſquè operis labore ſuſcipiant; non tàm propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem.* Quod quàm verum ſit, quæ ſequuntur oſtendant.

*Bernard. Senen.*

2 Bernardinus Senenſis, qui priùs vita Italiam erudiuit, quàm verbis, in ſerm. 23. De exercitu ſpirituum malignorum: omnium vitiorum cloacam otium appellauit, quùm dixit:

Otium quid?

*Omnium tentationum ſentina eſt otium:* Quod, ut uideo, à Bernardo accepit, & hic ab Eccleſiaſtico in cap. 33. dicente:

*Eccleſ.c.33*

*Multam malitiam docuit otioſitas.* Nec ob aliud (ut puto) uitiorum ſentina dicitur otium, niſi, quia cùm otioſus Diabolo reſiſtere nequeat, per ſuggeſtionē in eum, ueluti in fætidam cloacam, quācunq; ſcelerum immunditiā proijcere cupit, prorſùs ſine ulla reſiſtentia proijcit: quod (niſi allucinor) dicere uoluit Bernardus

*Bernard.*

in ſerm. 63. in Cantica uerbis illis: *Si ſemel ſpiritu dormitante peruaſerit, deſcendet in viſcera cordis.*

3 Quàm autem hoc verū ſit, quòd vitijs reſiſtere nequaquàm poſſit, qui feriatur, reperio in parabola illa de homine peregrè proficiſcente, qui antè diſceſſum inter ſeruos ſua talenta partiri voluit: *Homo peregrè proficiſcens, uocauit* *Matt.c.25.* *ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et uni dedit quinquè talenta, alij autem duo, alij verò unum, unicuique ſecundùm propriam uirtutem, & profectus eſt ſtatim.* Matt. 25. In regreſſu autem ſeruos induſtrios, qui pecuniam auxerant, laudauit quidem, & laudauit multum, illum verò, qui talentum fæneratus non fuerat, ſed conſeruauerat tantùm, grauiter reprehendit, dicendo: *Serue male, & piger ſciebas quià meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi: oportuit ergò te committere pecuniam meam nummularijs, et ueniens ego recepiſſem utiquè quod meum eſt cum uſura:* ibidem. Quæ omnia, & ſi ponderibus plena ſint, tamen ad præſens inſtitutum non parùm faciunt verba iſta: *Serue male, & piger:* quia in ipſis, non tantùm, ſi benè notabis, malitiam cum pigritia copulatam videbis: ſed coniunctio illa, *Et*, idem ſonat ſecundùm Toſtatum ac, *quia*, vt ſit ſenſus; ſerue male, quia piger; ac ſi diceret: ſi per pigritiam à bono vacas, qua ratione te bonum vocabo? Si vbi pigritia, ibi malitia, ubi otioſitas, ibi uitioſitas: quomodò te non malum, & uitioſum dicam, quem pigrum, & otioſum reperio?

*Toſtatus.*

Vnde Toſtatus ſuper citata Matt. uerba: *Serue malè, & piger:* ſic ait:

Ex otio omne malū.

*Fuit malus, quià non procurauit bonum: propter pigritiam enim non obtulit talentum nummularijs, aut poſuit in alios uſus, in quibus cum ſollicitudine ſua aliquid lucraretur.* Ecce quomodò ex pigritia omnis oritur malitia, cùm uitijs reſiſtere nequeat, qui uacat.

4 Mirabar pluries, & ſtupebam, quoties Petrum legebam, dicentem:

*Matt.c.17.*

*Domine, bonum eſt nos hìc eſse: ſi uis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Matth. 17. Vndè Petrus, qui piſcādi arte pollebat, ſabrefaciendi modum didiciſſet, quòd tabernacula tàm facilè ſe conſtruere poſſe dicebat? & licèt ſine conſilio hæc Petrū dixiſſe aſſerat Lucas. c. 9. ubi prædictis Petri uerbis addidit ipſe: *Neſciens quid*

*diceret*: tamen, ut ex Auguſtino colligo, potiùs inſcientia notari debebat Petrus pro uerbis illis; *Domine bonum eſt nos hic eſſe*(cùm per ea ante laborem, quietem quęreret: Vnde in Chriſti perſona Auguſtinus ad Petrum in hunc modum loquutus eſt: *Deſcende Petre; requieſcere cupiebas in monte, deſcende, prædica uerbũ, inſta opportunè, importunè, argue, hortare, increpa, labora, deſcende, patere aliqua, tolera, deſcende, labora in terra: deſcendit uita, ut crucifigeretur, deſcendit uia, ut in itinere laſsaretur; & tu recuſas laborare?* sic ipſe in ſer. 69. de diuerſis) quàm de ſequentibus culpari, per quę operi ſe dare diſponebat, nõ otio. Quæ ſi ità ſe habẽt, dicere oportet, quòd ſi quietẽ optabat, quia neſciebat quid diceret; ſapiẽter ſe fabre ſacturum promittebat: Quod ſi ità eſt, ſemper viget prima difficultas: quò tempore, & à quo ſabro murario conſtruendi artem didicerit Petrus, qui aſſiduis piſcandi laboribus tenebatur? Difficultatem tamen eneruauit Euthimius, qui ait; quòd non de conſtruendi arte ſe iactabat Petrus, cùm iſta promitteret: ſed per hæc, quæ priùs neſciẽs dixerat, corrigere voluit: quià ſi per illa, quietem inſipienter popoſcerat; per iſta nimis ſapienter labores, & ſi magnos; ſe ſubiturum promiſit, ac ſi diceret: erraui quidèm, erraui non parùm, ò Domine, feriari deſiderans, quietẽ optans, & coronam ante congreſſum poſcens, nunc autem errorem agnoſcens, labores opto, & operari deſidero, vt ſapientèr corrigam, quæ inſipientèr dixi: ideò ſubiungo: *Si uis, faciamus*. Egregiè hanc Petri retractationem explicauit Euthimius his verbis: *Cognito autem, quòd male loquutus fuiſſet, addidit: ſi uis, faciamus*. hoc eſt, quià otioſitatis timebat pericula, quià cum pigritiæ malitiam copulari ſciebat; ideò priora corrigens ſubiungere voluit: *Si uis, faciamus*.

*Auguſt.*

*Euthim.*

Ne feriaretur Petrus tabernacula conſtruere volebat.

5 Idipſum de ſorore timuit & Martha, ne otioſitate (vt putabat) detenta, diabolo reſiſtere nequiret, quandò ad Dominum de ea conqueſta eſt, dicens: *Domine, non eſt tibi cura, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergò illi, ut me adiuuet*, Luc. 10. Quæ conqueſtio contrà ſororem ex adiuuantiũ indigentia ſanè procedere non poterat: quia, vt Carthuſianus art. 28. enarratione 30. ait: *Quòd Martha dicit ſe ſolam, non eſt intelligendum, quòd nulla fœmina adiuuerit eam; habuit enim ancillam iuuantem vnam, aut plures, vt reor*. Sed ſororis manum poſcebat; quia eam ab externis operibus vacãtem videns, otio torpentem putabat; quod ſicut deteſtabatur ipſa, quæ non tantùm agebat, ſed ſatagebat, hoc eſt, (vt Carthuſianus ait) *ſatis agebat*: ſic illud ſororem declinare optabat: Lyranus: *Conqueritur de otioſitate ſororis ſuæ, ipſe autem oſtendit, quòd ſeſſio Mariæ non erat otioſa, ſed melioribus actibus applicata; ideò reſpondit Martha Martha* &c. Sed eſto, tunc otioſa, vt putabatur, Maria fuiſset, de ea quid poterat dubitare Martha, ſi illam iuxtà Dominum videbat? Si tãquàm lignum, quod plantatũ eſt ſecùs decurſus aquarum, ſic ipſam, ad Domini pedes diuina pręcipientem eloquia, ſpectabat: vereri ergò quid poterat, quòd de otioſitate accuſat? ſed certè timebat poeticum illud 5. De triſtibus.

*Luc. c. 10.*

*Carthuſ.*

*Lyranus.*

*Fertilis aſſiduò, ſi non renouatur aratro,*
*Nil, niſi cum ſpinis, germen habebit ager.*

*Ouidius.*

Et quia Martha iàm videbat ſororẽ fertilem eſſe agrum, & quòd non ſemel pęnitentiæ aratro glebas triuerat membrorum, tritas iàm lacrymarum imbribus pluriès madefecerat; ſed otio poſtea torpentem exiſtimans, timere cępit, nè loco optimi frumenti, ſpinas germinaret & tribulos: quia, vt Bernardinus Senenſis in ſerm. 2. de Inſpirat. diſtret. c. 4. ait. *Otioſi profeſſionem ſuam ſeruare non poſſunt*: quod metuebat Martha, ne vacando, profeſſionem ſuam ſeruare non poſſet Maria.

*Bernard. Senenſis.*

Otioſi profeſſionem ſuã ſeruare non poſſunt.

6 Satis libenter nunc difficultatis ſolutionem audirem: cur pulchritudinem magnam Iudith, nouo ſplendore cælitùs emiſſo, augere voluerit Deus; dicente ſcriptura in eius libro. c. 10. *Cui etiam Dominus cõtulit ſplendorem*: & paulò pòſt: *Hanc in illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret*. Et licèt Carthuſ. art. 10. hoc ideò à Deo factum aſſerat, vt ſic ergà ſe Iudith Holofernis amorem in ordine ad coniugium conciliaret: cuius verba ſunt hęc: *Ornatus ille excuſatur à culpa, quia ſic decorauit ſe, vt poſſet congru-*

*Iudith. c. 10.*

*Carthuſ.*

gru-

*grueuter appeti ab Holoferne in Coniugem, & hoc vltrà retulit, ad populi ſui liberationem*, tamen, ſicut ex c.8. habetur, nimis pulchra erat Iudith corpore, & Spiritu, tàm formoſa, quòd, vt dicit ſacra pagina: *Erat in omnibus formoſiſſima*. Ad quid ergò noua ſplendoris additio? nunquid ad placendum Holoferni non ſufficiebat naturalis elegantia, cùm ſanctiſſimum, fortiſſimumque Dauidem fortè à minori Bethſabeæ pulchritudine ſuperatũ, & victũ ſciamus? An fortè quia amoris ictibus magis reſiſtere poterat ille, quàm iſte, ex quo naturali illius decori, non iſtius noua erat addenda pulchritudo? ità ſanè: decor maior non parùm requirebatur ad capiendum Holofernem, quàm ad vincendum Dauidẽ: non quòd continentior eſſet ille, nec purior; ſed quia vacabat iſte, laborabat ille; immò quia quàm feriabatur iſte, tàm in bello exercebatur ille: ideò quàm per otium ad reſiſtendum imbecillis euaſerat hic, tàm fortis per laborem euenerat ille. Vndè dicere ſolebat Philo in lib. de ſacrificio Abelis: *Labor bellum cum voluptate gerit perpetuum, & ſine hoc nihil honeſtum inter mortales inuenes*. Quod ſi verum eſt, quid mirum, ſi quàm difficulter laborans capitur Holofernes, tàm facilè vacans vincitur Dauid, cùm ſine labore nihil honeſtum ſit inter mortales inuenes.

*Philus.*

Laborans difficilè à voluptate capitur.

7 Scrutari multoties non deſtiti, vndè Lucifer, eiuſque ſocij in tantam dementiam prolabi potuerint; quòd de primo dicit Ezechiel c. 28. *Perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo*: Eſto quòd alij à Lucifero aliquo modo ad peccandum ſint inducti, vt inter cæteros ſenſerunt: Alenſis. 2. parte. quæſt. 99. membro 2. D. Bonauentura in 2. diſt. 5. art. 2. q. 2. 5. Thomas q. 63. art. 8. Caiet. & cæteri Sancti Thomæ expoſitores ibidem. Mayronns q. 2. Richard. art. 2. q. 13. Ægydius d. 6. q. 1. art. 3. & Durand. q. 2. Ipſum autem Luciferum, quis tentauerit? quis induxerit? quis hanc ei perſuaſerit dementiam, vt dicere non timeret: *Exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo?* Iſai. 14. prorſùs nõ intelligebam: at die quadam Philippum de Grene caſu percurrens, ipſum inueni verba illa Pſal. 72. *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideò tenuit eos ſuperbia.* Lucifero accommodare in ſerm. 186. de ſeptem vtilitatibus laboris, ex cuius exponendi modo, myſterium intellexi, & eſt: Quòd etſi à nullo extrinſeco tẽtatore ad peccandum inductus ſit Lucifer, tamen ab intrinſeco quodam, atque inteſtino (ſi dicere licet) ſuaſore ad talem, tantamque dementiam prouocatus fuit: quis autem fuerit hic internus tentator, ex verbis Dauidis colligit præfatus Philippus: *In labore hominum non ſunt*, ideſt, quia laborare recuſauit, quia feriari optauit, quia otio ſe dedit; ideò tenuit eum ſuperbia, opertus eſt iniquitate, & impietate ſua, cuius verba ſunt hęc: *Lucifer nolens laborare dixit: ſedebo in monte teſtamenti &c. ſedere voluit, cùm tot millia Angelorum miniſtrantium aſſiſterent Deo; & ideò ſcriptum eſt Pſal. 72. in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideò tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua.* Certè vides, quàm debilis & imbecillis ſit otioſus, qui etiam omni ſemoto extrinſeco tentatore, adhuc ruit, & in ſcelera multa prolabitur.

*Ezech. cap. 28.*
*Alenſ.*
*Bonauent.*
*Thom.*
*Aquin.*
Caiet.
*Mayr.*
*Richard.*
*Ægid.*
*Durand.*

Lucifer an prouocatus peccauerit? *Iſaia c. 14.*

*Pſal. 72.*

*Philippus de Greue.*

Otium peſſima tentatio.

8 Hinc fortè edocti Beatiſſimi Ciues cæleſtis Patriæ, in ipſa cęleſti beatitudine, vbi ſemper fœliciſſima requies inuenitur, dicente Ioanne c. 3. Apoc. *Amodò iàm dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis*: umbram etiam otioſitatis fugere ſtudent: vndè ab Iſaia Seraphim ſtantes quidèm, Deo ſic annuente, uideri uoluerunt, ſed uolantes ſimul: *Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*. c. 6. ut per ſtabilitarem, beatitudinis quietem oſtenderent, & per uolatum, otioſitas, quàm ſit fugienda mõſtrarent, ac ſi nobis dicerẽt: ſi noſtra ſtabiliras otioſa non eſt, cùm ſtudeamus uolando amare, & ſtaudo permanere: an uobis, qui adhuc in palæſtra exercemini, otio incũbere liceat, iudicate? Quod & ſi obſcurè, peracutè tamen dixit Bernard. ſer. 4. de verbis Iſaię: *Quid ſibi volunt alæ iſtæ, fratres? Ergonè etiam cùm hyems tranſierit, & ſedebit Rex ſuper ſolium, volandum adhuc erit & ipſis Seraphim, vt poſſint diuerſis occurrere neceſſitatibus diuerſorũ? Abſit vt in illo æternæ beatitudinis Regno neceſſitas, aut peri-*

*Apoc. c. 13.*

*Iſai. c. 6.*

*Bernard.*

cn-

*tulum, aut labor ſit, cui oporteat ſubuenire. At quid ergò tunc ais? Placet mihi ſtatio illa, omninò ſic volo manere, nec aliquid prorſùs admitto, quo mihi ſtabilitas illa depereat. Salua mihi ſit iſta tàm amata ſtabilitas. Credo autem ſicut in ſtatione immutabilitatem, ſic & in volatu alacritatem promitti, vt videlicèt, inſenſibilis quædam, & quaſi lapidea ſtabilitas æſtimetur. Vide flammam quaſi volantem & ſtantem ſimul: ſic ipſe.* Nos autem à bonis Ango-

Angeli in cœlo ſtant, & operãtur.

lis, quàm labori ſit incumbendum, intelligamus; & à malorum caſu, quàm ſit animæ noxia otioſitas, percipiamus. Quod benè agnouit Hieronymus, qui in Epiſt. ad Paulin. in hunc ſcripſit modũ. *Semper aliquid operis facito, vt te Diabolus inueniat occupatum: non enim facilè capitur à Diabolo, qui bono vacat exercitio:* cuius conſilio, qui acquieſcere voluerit, diabolo, & vitijs reſiſtere certè non poterit.

*Hieronym.*

Bono vaca, & à Diabolo nõ capieris.

FERIA

# FERIA QVINTA
## POST
# DOMINICAM PRIMAM
## QVADRAGESIMAE.

**Egreſſus indè Ieſus,ſucceſſit in partes Tyri,& Sidonis. Matth. 15.**

### §. I.

*Egreſſus Diuini Verbi incarnatio dici meritò poteſt, quià in ipſa per amoris vim à ſe Deus quodammodo exijſſe videbatur.*

1 Magnus ille Antonius Paduanæ Ciuitatis iubar pręcitata Euãgeliſtę verba *Egreſſus Ieſus indè*: quis, & vndè fuerit hic egreſſus diligenter inquirit: & pòſt pauca, litterali relicto ſenſu, ſic dicit: *Vnde venit? de Nazareth, quæ interpretatur orta natiuitas, ſiuè ortum principium.* Quæ Beatiſſimi Antonij verba certè intelligi nequaquam poſſent, cùm a ſeculo non ſit auditum, quòd naſcatur Natiuitas, & oriatur Principium; niſi ſubdidiſſet ipſe; quòd ideò natiuitas tũc naſci d[illegible]ebatur, quia ille, qui nõ per voluntatis imperiũ, ſed per naturæ neceſſitatem; nec per actum operatiuũ intellectus, ſed per memorię fęcũditatẽ ſemper à Patre naſcitur; tunc per carnis materiam ſine ſui mutatione naſcebatur; & ideò oriri Principium dicebatur, quià ille, qui cum Patre per memoriæ fecunditatem Spiritus Sancti Principium eſt, humanæ naturę dependentiam terminando, oriebatur; & ſic natus, naſci, & principium oriri dici meritò poterat. Quæ omnia præcitatus Antonius his paucis verbis reſtrinxit, dicendo: *Vndè venit? de Nazareth, quæ interpratatur orta Natiuitas, ſiuè ortum Principium. Egreſſus enim Ieſus à principio dierum æternitatis eius, vt Pſal. 18. habetur: à ſummo Cælo egreſſio eius* &c. Et quidèm iure optimo non alijs verbis explicatur verbi incarnatio, niſi per egreſſum, quia tunc per ardentiſſimi amoris exceſſum à ſe quodammodò Deus exiiſſe videbatur. Quod confirmauit magnus Dionyſius, quùm ait: *Audendum eſt hoc pro veritate dicere: quòd Deus ex vi charitatis exſtaſim paſſus eſt.* & (ni fallor) dicere volebat: ſi talem exſtaſim parere ſolet amoris vis, vt quandoquè extrà ſe quodammodò amantem exire faciat, vt videre eſt in manſueta oue, quę pro defenſione agni, quem peperit, & ſummoperè diligit, ex ſe quodam modo exiens, contrà rabidum Lupum intrepida, & quaſi rabida inſurgit Leæna. Quid mirum, quòd incarnationis tempore Deus extrà ſe quodammodò exiiſſe dicatur, si tunc talem amoris exceſſum oſtendit, qualẽ humana intelligentia capere non poterat? Vndè Bernardus ſerm. 1. de Epiphania: *In quo magis commendare poterat benignitatem ſuam, quàm ſuſcipiendo carnem meam? Quid ità pietate plenum, quàm quòd Dei Verbum pro nobis factum ſit fænum?* Quem amoris exceſſum, imò per amorẽ egreſſum, vt clariùs videas, quæ ſequuntur percurre.

*Antonius de Padua.*

*Antonius de Padua.*

Amor exſtaſim facit.

*Bernard.*

Dei pietas in incarnatione.

2 Quàm veracitèr egreſſus dici poſſit humanæ naturæ aſſumptio, ipſemet Dominus declarare dignatus eſt in parabola illa de ſatore, quùm ait: *Exijs, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuũ* &c. Luc. 8. Quæ parabola, licèt admodùm clara ſit, dicente Gregorio hom. 15. in Euang. *Lectio Sancti Euangelij, quam modò fratres chariſſimi audiſtis, expoſitione nõ indiget*: Quia ſicut certum eſt, per ſe-

*Luc. c. 8.*

*Gregorius.*

men

men, verbum; per agrum, mundum; per volucres dæmonia; & per ſpinas, diuitias deſignari; ſic dubitari non parum poſſet: vndè iſte Sator egreſſus ſit, quòd de eo dici veraciter poſſit: *exijt qui ſeminat*? Niſi inter cęteros, difficultati accurriſſet D. Aymo, qui dixit, quòd ſicuti certum eſt per Satorem, Saluatorē intelligi; ſic per exitum, humanæ naturę aſſumptionem eſſe ſignificatam, cuius verba ſunt hæc: *Nos iſtum Satorem nullum meliùs poſſumus intelligere, quàm ipſum Dominum Ieſum Chriſtum, qui exient de ſinu Patris, quo creatura humana non erat acceſſus, venit in mundum per carnis myſterium*: hæc ipſe. Ex quibus maior re vera oritur difficultas; Cur verbi incarnatio egreſſus potiùs dici debet, quàm ingreſſus? Et pręcipuè dubitandi anſam tribuit Paulus, qui ad Hebręos ſcribens, Incarnationis myſterium per introductionem, non per eductionem explicauit, dicens: *Et cùm iterùm introducit Primogenitum in orbem terræ dicit: & adorent eum omnes Angeli eius*. cap. 1. Quæ Pauli loquutio non diſcordat ab illa Saluatoris: *Exiui à Patre, & veni in mundum*. Ioannis. 16. in qua ſicut æterna Filii ꝓductio, exitus, appellatur, ſic tēporalis, Introitus; ergò humanę carnis aſſumptio, non exitus ſeù egreſſus, ſed introitus & ingreſſus dici debet. Cui difficultati, licèt pluſquàm ſubtiliter reſpondeat Ambroſius. Commen. in Epiſt. ad Hebręos, c. 2. his verbis: *Chriſtus incarnationem ſuam exitum vocat, quam Paulus hic Introitum nominat: quærendum eſt, cur are vnam rem Chriſtus, & Paulus diuerſis nominibus nominare voluerit? Chriſtus quidèm meritò Exitum vocat; foris enim eramus à Deo, & ſicut, qui ſunt extrà regales Aulas in vinculis colligati, & qui habent apud Regem pro culpis offenſam, huiuſmodi quippè à regali Aula foris excluſi ſunt, qui verò voluerit iſtis veniam impetrare, ipſe foràs egreditur, ut cum eis priùs alloquatur; ſic etiàm Chriſtus effecit; egreſſus quippè ad nos, carnem ſumens, velut Aduocatus optimus ad regalem aulam introduxit*. Aſt ego, Ingreſſum & Egreſsū, Introitum & Exitum, Diuini verbi incarnationem meritò dico nuncupari; quia cùm optimus, Maximuſquè Deus non per loci mutationem, ſed per carnis aſſumptionem ad homines eſt ingreſſus, tunc per amoris exceſſum à ſe ipſo quodammodò eſt egreſsùs. Quòd expreſſit Sebaſtianus Gomēzius ſupēr Pſal. 50. verſo 5. per ſimilitudinem Gallinæ, quùm ait: *Intenſiſſimus amor efficit amantem extrà ſe quodammodò exire, ut patet in timida Gallina, quæ pro pullis ſuis, quaſi ferox Aquila inſurgit, in qua amoris intenſio videtur efficere, ut extra ſe quodammodò exeat, & id, quod nullo modo in ſe habet, in ſe nihilominus oſtendit: ad quem modum in Incarnatione videtur Deus præ magnitudine amoris extrà ſe foris quodammodò exijſſe*: Ex quibus mirabiliter patet, quàm rationabiliter Ingreſſus & Egreſſus, Introitus & Exitus diuini verbi dici debeat incarnatio.

*D. Aymo.*

Incarnatio diuinus egreſſus.

*Ad Hebr. c. 1.*

*Ioan. c. 16.*

*Ambroſ.*

Chriſtus exijt ad nos, velut Aduocatus.

Deus extrà ſe in Incarnatione exiuit.

3 Quem egreſſum (ni fallor) cæleſtis Sponſa optabat, quando ſuppliciter aiebat: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inueniam te foris, & deoſculer te*. Cant. 8. In quibus, benè ſi noſti, fraternitatem cum exitu copulat, dum dicit: *Quis mihi det te fratrem meū, ut inueniam te foris*: quia ſi per fraternitatem, humanæ naturæ intelligi debet aſſumptio, per quam ſummus Dominus noſter Chariſsimus factus eſt frater, iuxta illud Pauli ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*: per exitum, amoris exceſſum oſtendere voluit, per quem in carnis aſſumptione a ſe Deus quodammodò exire debebat. Ambroſius lib. de Inſtit. Virg. c. 1. *Foris oſculatur Eccleſia Chriſtum, quandò tanquam ſponſus procedens de tabernaculo ſuo, exultauit ut gigas ad currendam viam: foris ergò factus eſt, qui erat intus: vide illum intus, quandò legis, quòd in ſinu eſt Patris, cognoſce illum foris, quandò nos quærit, ut redimat: foris ſibi factus eſt, ut mihi intus eſſet, & fieret medicus noſter*: hucuſquè Ambroſius, cuius ſingula perfectè noſtrum probant inſtitutum; illa tamen. *Foris ſibi factus eſt, ut mihi intùs eſſet*: ſupra omne deſideriū hunc egreſſum de quo loquimur oſtendunt.

*Cant. c. 8.*

*Ad Rom. c. 8.*

*Ambroſ.*

Cur ſponſa ſponſum foris inuenire optaret?

4 Voces eiuſdem ſponſæ huc reuoco, quibus cæleſti ſponſo ſuadere ſolebat, ut relictis Ciuitatum negotijs, populorumque frequentijs, tandèm in agris, & villis, laxamentum quæreret, & quietem: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*. Cant. 7. Quæ

*Cant. c. 7.*

ſpon-

ſponſæ ſuaſiones conſiderans Ambroſ. lib. de Iſaac, & anima cap. 8. ait; quòd ſicut per agros, & villas mundus intelligi debet, ſic per exitum, & aduentum humanæ carnis ſuadebatur aſſumptio; *Ambroſ.* cuius verba ſunt hęc: *Veni frater meus exeamus in agris, requieſcamus in villis, in Caſtellis: ad quæ Adam, cùm de Paradiſo eiectus eſſet, fuerat relegatus, precatur, vt de ſinu Patris exeat, & procedat foris, tanquàm ſponſus de thalamo ſuo egrediens, currat viam, reuocet errantes:* At, quod ego in his verbis noto, non eſt, quòd Verbi incarnationem exitum vocet, cũ *Matt. c. 20.* Matthæum benè noſcam dicentem: *Simile eſt Regnum Cælorum homini Patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam.* cap. 20. vbi Theophylactus, per exitum incarnationem *Theophil.* intelligit, cùm ait: *Qui exijt primo mane Chriſtus eſt Rex Cælorum, qui aſſimilatur homini, ſecundùm quod humanam accepit formam: exijt ergò Chriſtus è finibus Paternis, & conduxit operarios in vineam;* ſed eſt, quòd ſimul & ſemel dilectum vocat: *veni dilecte mi:* & ad egreſſum hortatur: *Egrediamur in agrum:* Quæ duo nõ ob aliud copulare voluit ſponſa, niſi, vt agnoſcatur talem egreſſum non fieri, niſi per amoris & dilectionis vim. Vndè iure optimo dicere cõſueuit Dionyſius, quòd, *Deus ex vi charitatis extaſim paſſus eſt.*

Dei egreſſus quis ſit.

5 Hallucinor, niſi ad hoc, de quo agimus, faciunt, quæ in Saluatoris trãſfiguratione Moyſes, & Elias dixerunt: nàm vbi Matthæus cap. 17. eorum lo*Matt. c. 17.*cutionem tantùm exprimit, dicens: *Apparuerunt illis Moyſes, & Elias loquentes cum Ieſu:* Lucas etiàm, de qua materia loquerentur, explicauit his verbis: c. 9. *Luc. c. 9.* *Ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes, & Elias, viſi in Maieſtate: et dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem;* quia vbi noſtra vulgata legit: Dicebant exceſſum; vertit Euthimius: *Dicebant exitum, & egreſſum:* Et profectò etiam grãmaticaliter loquendo, exceſſus exitum ſonat: vndè idem prorsùs eſt dicere: Dicebant exceſſum, ac dicebant exitum: quis autem hic exitus fuerit, de quo tunc in monte ſermo *Chryſoſt.* erat, ex Chryſoſtomo facilè colligo, dicente: *Dominus quidèm noſter Ieſus Chriſtus aduentum ſuum carnalem exitum vocat: exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum: & iterum: exiui à Patre: & hoc in plurimis Scripturæ locis poterit inueniri:* ſic ipſe hom. 3. ex cap. 1. & 2. ad Hebræos: ergò per exitum, Diuini Verbi incarnatio explicabatur? ità ſanè. At ſi vlteriùs quæratur: cur præcisè tali nomine appelletur, & non alio hæc Diuini Verbi incarnatio? explicauit D. Bonauentura *Bonauent.* ſuper citata Lucæ verba: *Dicebant exceſſum eius. Fuit exceſſus amoris, ſecundùm illud, Deus, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, &c. proprio Filio ſuo non pepercit, iſtũ exceſſum compleuit in Ieruſalem, &c.* Perinde, ac ſi diceret: ſi excedentis amoris talis eſt vis, atq; virtus, quòd exceſſum pariat & egreſſum: quid mirum, quòd humanæ carnis aſſumptio exitus ab Euangeliſta vocetur, ſi in ea Deus ſuperexcellentem oſtendens amorem, à ſe quodammodò exiſſe videatur?

Amoris exceſſus vbi & quomodò completus.

6 Chryſologus autem, ſolito ingenij acumine, allatis minimè contentus, in ſerm. 37. de Ionæ prophetæ ſigno, nõ tantùm exitum, ſed etiam fugam humanæ carnis aſſumptionem dicit eſſe vocandam: quia in illa non ſolùm à ſe exiſſe, ſed à ſe quodam pacto fugiſſe viſus eſt Deus, quod per Ionę fugam nimis ſubtiliter probat ipſe, cùm dicit: ſi Ionas Chriſti typus extitit & figura, quomodò à facie Domini fugere potuit, quòd de eo ſic dicere voluit ſacer textus: *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis à facie Domini?* cap. 1. Nunquid Chri*Ionæ c. 1.*ſtus, qui per Ionam figurabatur, à facie Domini aliquando fugere debebat & ipſe? Ità certè ait Chryſologus: aliàs enim figuratum figurę minimè reſponderet: quod fieri quomodò potuerit, imò in Saluatore quando completum fuerit, explicat ipſe cùm dicit; quòd quando ſerui faciem per humanæ naturę aſſumptionem quæſiuit Dominus, tunc quodammodò faciem Dei fugiſſe, non per loci mutationem, nec per Deitatis deſtitutionem, ſed per Diuinitatis abſconſionem, viſus eſt Deus: quia tunc noſtræ mortalitatis faciem ſic aſſumpſit, vt Deus nullatenus agnoſceretur, dicente Iſaia 45. *Verè tu* *Iſai. c. 45.* *es Deus abſconditus.* Egregiè nimis citatus Chryſologus rem cõfirmauit iſtam *Chryſolog.* ſequentibus verbis. *Ecce Propheta fuga*

*ipſius Domini vertitur in figuram: nam quemadmodùm Ionas typum per omnia tenuerit, & impleuerit Saluatoris hiſtoriã, quæ de ipſo ſcripta eſt, textus oſtendit. Fugit, inquit, Ionas à facie Dei. Nonne Dominus, vt hominis faciem præferret, & formam, faciem, formamq; propriè Deitatis aufugit? Apoſtolo ſic dicente; Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinã arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formã ſerui accipiens*, pauciſque interiectis ſubdit. *Et benè typus Chriſti, ipſius Ionæ ſeruatur in verbis; non dixit, fugio Deum, ſed à facie Dei, ego fugio; Deus, qui vbique eſt, quo ſeipſum fugiat, non eſt; ſed Chriſtus non vt loco, ſed ſicut ſpecie faciem Deitatis aufugeret, totum noſtræ ſeruitutis confugit ad vultum.* Ecce quomodò non tantùm à ſe exiſſe, ſed à ſe quodammodò fugiſſe, viſus eſt Deus, cùm noſtræ mortalitatis faciem quæſiuit & formam.

Quomodò Deus à ſe fugit.

7 Quem amoris exceſſum, immò per amorem egreſſum nullus mente capere potuiſſet omninò, niſi factum poſſibilitatem oſtendiſſet. Vndè cùm ab Angelo ſe Dei Matrem futuram accepiſſet Maria: *Concipies in vtero, & paries filium. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.* Lucæ 1. Rei nouitate ſtupens Virgo Beata percontari cœpit, & dicere. Quomodò fiet iſtud? Ac ſi diceret: ergonè à ſe exire; immò, vt ſerui accipiat formam, à ſe quodammodò fugere quærit ſumma Maieſtas? Quis allicere? Quis inducere? Quis excitare? immò quis eum ad hoc trahere poterit? Si intelligis explica quæſo, ò Gabriel? Nàm ex me hoc percipere nequaquam poſſum. At ad hæc quid Angelus? audi ſi libet. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Clariùs (niſi mea me fallit opinio) dicere volẽs: à me quid expectas audire, quod tu, quæ prima es Spiritus Sancti diſcipula, capere non vales? Deus ipſe, cui nihil eſt impoſſibile, factis magis, quàm verbis hunc amoris exceſſum tibi demonſtrabit, quando ex te carnem aſſumere non dedignabitur. Ità Bernardinus Senenſis tom. 3. ſer. 5. poſt tertiam Dominicam Quadrageſimæ de amore incarnante ſerm. 35. in Angeli perſona ad Virginem, cùm dicit: *Nec ego, nec omnes Angeli ſumus ſufficientes intelligere tantum myſterium; ſed experientia facti demonſtrabit, quia Deus Omnipotens in tuum gremium intrabit.* Magnus planè amoris exceſſus, qui nec ab hominibus intelligi poterat, nec ab Angelis, niſi factum poſſibilitatem probaſſet. Nos autem qui fidei lumine totum hoc certè cognoſcimus, clamemus cum Gregorio. *O inæſtimabilis dilectio charitatis, vt ſeruũ redimeres, filium tradidiſti!*

Luc. c. 1.

*Bernard. Senenſis.*

Incarnatio Verbi intelligi minimè poteſt.

Gregor.

## Mulier Chananæa à finibus illis egreſſa. Matth. 15.

### §. II.

*E priſtinæ vilitatis finibus humana egreſſa eſt natura, quando ad Diuini ſuppoſiti aſſumpta eſt vnitatem.*

1 DE diuino exitu, immediatè antè loquuti; de humano nunc ſermonem habere incongruum minimè exiſtimo; quia ſi Deus per humanæ carnis aſſumptionẽ à ſe quodammodò exiſſe viſus eſt; ſic & humana natura dũ ad diuini ſuppoſiti vnitatẽ aſſumitur, ineffabili modo à ſe egredi videtur: vndè ſi per talem exitum Deus factus eſt homo, per conſimilem egreſſum homo factus eſt Deus: ex quo dicere conſueuit Auguſtinus: *Deus factus eſt homo, vt homo fieret Deus.* Quod fortè tacitis verbis declarare voluit Euangeliſta, qui poſt Saluatoris egreſſum de Chananæa muliere illicò ſubdidit: *Ecce mulier Chananæa de finibus illis egreſſa*; ac ſi diceret: ſi verbum aſſumens à ſe egredi quodammodò dicitur, natura humana in muliere hac figurata, à ſe egreditur, cùm aſſumitur. Vndè Hieronymus, vbi noſtra legit vulgata, *A finibus illis egreſſa*, vertit ipſe, *De finibus priſtinis egreſſa.* Sed qui ſunt iſti priſtini fines, è quibus mulier egreditur iſta; expreſſit Damaſc. lib. 4. cùm ait; quòd erat priſtinæ vilitatis ſtatus, è quo humana egreſſa eſt natura, cùm ad diuini ſuppoſiti aſſumpta eſt vnitatem, cuius verba ſunt hæc: *Hoc vltimum eſt, quod Deus efficere potuit pro homine; amplius*

*Auguſt.*

*Matt. c. 15.*

*Hieronym.*

*Damaſc.*

Vltimum, quod Deus efficere potuit, fuit incarnatio.

*pliùs enim efficere non valuit ; ſic enim humanam naturam in altum euexit , vt quò aſcendat, iàm non habeat ; in eodem enim ſuppoſito collocauit naturam humanam , in quo diuina erat natura.* Mirabilis prorſùs egreſſio, per quam ſupra ſe homo, vltrà quàm cogitari poteſt, eleuatus , dicere valet cum ſponſa ; *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius:* Cant. 7. Vndè Cyprianus ſerm. 9. de Aſcenſ. Chriſti. Deum cũ homine, & hominẽ cũ Deo, ſic amorosè cõtendẽtes, introducit. *Per incarnationẽ dicit Deus: meus eſt homo: dicit homo: meus eſt Deus: homo, cuius Deus eſt, quid amplius quęrit? ſufficis tu Deo, ſufficiat tibi Deus:* hactenus ipſe. Quibus addo & ego, quòd ſi de diuino exitu paulò ſuperiùs dicta ſufficiunt : de humanæ naturæ egreſſu, quæ modò dicturi ſumus, ſufficient.

Cant. c. 7.

Cyprian.

2 Quàm per peccatum humana natura vilis euaſerat, dùm è maximo honoris faſtigio, in quo fuerat à Deo collocata, ad ſummũ opprobrium per præcepti trãſgreſſionem prolapſa fuerat: vndè infę licem ſtatum, in quem per inobedientiam deuenerat, agnoſcens, per Ieremiam ad Dominum dicere cõſueuerat. *Vide Domine & conſidera, quoniam facta ſum vilis.* Tren. 1. Tàm in incarnatione exaltari debebat, quando à diuino Verbo erat aſſumenda, cuius rei præſcia, huius aſſumptionis cupiditate flagrans, ſub ſponſæ nomine dicere ſic ſolebat. *Quis mihi det te fratrem meũ ſugẽtem vbera Matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iàm me nemo deſpiciat?* Cant. 8. Clarè (niſi opinione decipior) dicere volens; ſi per peccatum ſic vilis euaſi, vt omnium oculis contemptibilis appaream; vndè inſipientibus iumentis comparari ſoleo, & meritò: quia cùm in honore eſſem, dignitatis, & honoris non agnoui ſtatum: poſt tantũ opprobrium, exaltationis, erectionis & gloriæ, pluſquàm anxiè expecto diem, qui cùm alius non ſit, niſi ille, in quo diuinum ſuppoſitum me aſſumere non dedignabitur: idcircò dico: quis mihi det te fratrem meum per carnis aſſumptionem, vt inueniam te foris, à te quodammodò per amoris vim in incarnatione egreſſum, & deoſculer te per hypoſtaticam vnionem, & me nemo ampliùs deſpiciat, hoc eſt, de vili, nobilis; de contemptibili, honorabilis; & de ſummè eiecta, ſummè erecta inueniar; Quod egregiè confirmauit Cardinalis Vgo, cùm ait: *Me nemo ampliùs deſpiciet, cùm apparuerit me eſſe ſororem, Reginam, & Sponſam: olim deſpectum erat genus humanum, ſed per incarnationẽ, & vnionem noſtræ carnis ad Deum incepit humana natura nobilitari, & exaltari;* Ecce mulier, quæ à priſtinis egreditur finibus; ecce humana natura, quæ ab antiquo vilitatis ſtatu ad ſummum erigitur honoris faſtigium, cùm ad Diuini verbi aſſumitur vnionem.

Tren. c. 1.

Cant. c. 8.

*Vgo Card.*

Humanæ naturæ nobilitas.

3 Non parùm ſedulò priùs inquirebam: Cur Abram in Abraham vertere voluerit Deus? vt ex cap. 17. habetur Geneſeos. *Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham:* Et licèt Hieronymum in traductionibus hebraicis, iuxtà Hebræorũ opinionem, rei huius rationem noſcerem aſſignare, cùm dicit; quòd Deus litteram ex proprio nomine deſumptã, Patriarchæ nomini addere voluit, vt agnoſceret mundus eum quodammodò ad diuinã familiam eſſe aſſumptum; cuius verba ſunt iſta: *Dicunt Hebræi, quòd ex nomine ſuo Deus, quod apud illos, Tetragrammaton eſt, ה, he, litteram Abrahæ addiderit: dicebatur enim primò Abram, quod interpretatur Pater excelſus, & poſteà vocatus eſt Abraham, quod transfertur Pater multarum gentium:* adhuc tamen ſcrutari non deſiſtebam; vndè in Patriarcha iſto tanta nobilitas? vndè ad talem dignitatem euectio, quòd nedùm Pater vocatur excelſus, verùm etiam ad Dei familiam (ſi fas eſt dicere) per nouę litteræ receptionem, aſſumitur? cur Adam cunctorum hominũ Pater, ad hanc non euehitur dignitatem? cur Noe, qui inter diluuij vortices, vt bonus nauta, hominum ſeruauit reliquias, hoc priuatur honore? Demum pòſt multum laborem in inquirendo, Auguſtinus me ex hac extraxit difficultate, qui lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 28. ait; quòd non priùs Abrahæ hæc ſumma dignitas cõceſſa eſt, quàm ei facta ſit repromiſſio, vt agnoſcatur, quòd ideò ipſe ad diuinã aſſumebatur familiam, quia ab ipſo Verbum diuinum ſe humanam naturã aſſumere promittebat, ex qua aſſumptione omnis honor mortalibus oriri debebat & dignitas, cuius verba ſunt

*Gen. c. 17.*

*Hieron.*

Abrahæ nomẽ cur mutatum in Abraham.

*Auguſt.*

hæc: *Facta autem promiſſione tàm magna ad Abraham: dabo tibi & Sarai filium, & benedicam illum, & erit in nationes, & Reges gentium ex eo erunt: quam promiſſioné nunc in Chriſto cernimus reddi, ex illo deinceps, illi coniuges nõ vocantur in ſcripturis, ſicut antea vocabantur Abram, & Sarai: ſed Abraham, & Sara:* quæ promiſſio, quia, nec Adæ, nec Noë, nec alteri facta fuerat anteà, ideò ad diuinam familiã non ſunt aſſumpti illi, ſicuti iſte: vt clarè agnoſcatur, quòd tota humanæ naturæ nobilitas ex incarnationis myſterio ortum agnouit.

4 Verumenimuerò, quid Abrahã pòſt promiſſionem, ac nominis mutationem egerit, certè omittendum non puto; nàm, vt ſacra narrat hiſtoria, immediatè pòſt hæc, *Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit,* qui Patriarchæ caſus myſterio ſanè non vacat, cùm certũ ſit, quod dicere potuiſſet ſcriptura: proiecit ſe, in terram deiecit ſe Abraham, humi ſe proſtrauit iuſtus: quibus loquẽdi modis, quàm perfectè inter honorũ culmina humilitatem ſectatus fuiſſet, oſtẽderet: tamen his vti verbis minimè voluit; ſed factũ verius exprimere putauit, dicendo: cecidit Abraham; cùm non volũtarium, ſed neceſſarium caſum his verbis declarare intenderet ſcriptura; quia ſi munera onera ſunt, & pondera vocari ſolent beneficia; cecidiſſe, non ſe proſtraſſe dici debebat Abrahã: quia tanti beneficij pondus ſuſtinere non valens, vt Baiuli quandoq; nimio prægrauati onere in faciem cadunt, ſic & ipſe cecidit in faciem ſuam. Vtor Chryſoſtomo hom. 39. vbi hoc fortaſſe tacitè confirmauit, cùm fatus eſt: *Gratus, & religioſus famulus, videns tantam Dei erga ſe miſericordiam, obſtupefactus, animoq; verſans, & naturam ſuam, & bonitatem, immenſamq; miſericordiam Dei; cecidit in faciem ſuam.* hactenus ipſe. Sed multò clariùs quidam ex recentioribus citatus à Paez, de hoc caſu in hunc loquutus eſt modum: *Quia pondus tanti beneficij ſuſtinere non valuit; ſi enim quodlibet beneficiũ gratum animum onerare ſolet, quid mirum ſi Abraham deprimit, vel etiam in ſpecie datus Deus homo?*

*Gen. c. 17.*

*Chryſoſt.*

**Incarnationis pondus ſuſtineri nõ poteſt.**

5 Etiam pulchrè nimis, vndè hæc humanæ naturæ dignitas oriri cœperit, declarauit Ioannes cap. 1. vbi poſtquàm homines Dei filios nuncupauit; *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,* tanti honoris, tantæq; dignitatis illicò rationem adiecit, dicens: *Et Verbum caro factum eſt, et habitauit in nobis;* ac ſi diceret: ſi tantam hominis miramini dignitatẽ, ſimili ſi obſtupeſcitis exaltatione, audientes; quòd hominis filius ad Dei filiationem dicatur aſſumptus, rationem audite, & omnis deſinet admirationis occaſio: *Verbum caro factum eſt:* Si Verbum carni eſt vnitum, ſi diuinum ſuppoſitum humanæ naturæ dependentiã terminare minimè eſt dedignatum, & (vnico vt concludam verbo) ſi Deus factus eſt homo, homo per idiomatum communicationem factus eſt Deus. Ità Chryſoſtomus homil. 10. ſuper idem. *Cùm dixiſſet; ex Deo, & filios Dei factos, qui eum receperunt, tanti honoris cauſam adiecit, quòd Verbum caro factum eſt, & ſerui formam Dominus accepit: factus eſt enim Filius Dei, Filius hominis, vt filios hominis filios Dei faceret.* Si nunc aliquis curioſus ſcire cupit; quarè nunquam Angeli Dei filij ſic expreſsè vocati ſint, ſicuti homines, Paulum audiat ad Hebræos ſcribentem. *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* cap. 2. ideſt, quia non Angelicã, ſed humanam aſſumpſit naturam, ad talem, tantamque dignitatem hæc eſt euecta, non illa.

*Ioan. c. 1.*

*Chryſoſt.*

**Cõmunicatio idiomatum in incarnatione dignoſcitur.**

*Ad Hebr. c. 2.*

6 Et quidèm talis fuit iſta humanę naturæ prouectio, quòd ipſos cœleſtes Spiritus in ſtuporem adduxit, vt figuratum videmus in Exodo cap. 25. in quo habetur, quòd inter cætera, quæ ad Arcæ honorem, atq; cuſtodiam Dei iuſſu fieri debebant, vnum erat hoc: *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies, ex vtraq; parte Oraculi. Reſpiciantq; ſe mutuò verſis vultibus in Propitiatorium.* Vbi ſicuti per Arcam, & Propitiatorium Chriſti Domini figurabatur humanitas, iuxtà Gregorij opinionem hom. vlt. in Ezech. Et Cyrilli lib. 4. in Ioannem cap. 28. Ruperti de Trinit. & operibus eius lib. 4. cap. 5. & præcisè Carthuſ. art. 50. dicentis: *Per Arcam intelligitur mundiſſima Chriſti humanitas ex ſanctiſſimis Corpore, & Anima conſtans;* ſic per Cherubim cœleſtes ſpiritus figurabantur, qui Arcæ aſtantes, & Propitiatorio, ſe mutuò, vt ſtupore affecti reſpiciebant:

*Exod. c. 25.*

*Gregor.*

*Cirill.*

*Rupert.*

*Carthuſ.*

quia

quia cùm humanam naturam, à verbo aſſumptam, videre debebant, extrà ſe ob ſtuporem erant egreſſuri: Quod verbis non obſcuris declarauit Rupertus Holchot. lect. 98. in cap. Sap. 12. rationē aſſignans, cur ſe mutuò reſpicere debebant Cherubim, qui Dei iuſſu ad Arcæ cuſtodiam erant deſtinandi, quùm dicit: *Mutuò ſe reſpicere dicuntur, quaſi de naturę noſtræ innouatione ſpecialiter admirantes.* O verè magnam luti noſtri exaltationem! quæ ſublimes illos ſpiritus, quos fluminis lętificat impetus, & quos magni Dei beatificat viſio, in multam admirationem; immò in maximū ſtuporem adduxit!

*Rupertus Holchot.*

Angeli incarnationē admirantur.

7 Quem Angelorum ſtuporē quotiès conſidero, ſtatim mirari deſino; cur Gabriel, de primis Principibus cęleſtis Curiæ, immò vnus de ſeptem, qui omnium Domino aſtant, ad Virginem miſſus, priùs ipſam ſalutare voluit, quàm ſalutari ab ipſa, vt D. teſtatur Lucas. c. 1. *Ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena*: quia vltrà Virginis meritū & dignitatem, humanam etiam naturam mòx à verbo aſſumendam videbat; ideò hanc eius maximam dignitatem conſiderans, ſe inferiorem agnoſcens, ſalutare potiùs voluit, quàm ſalutari. S. Antonin. tom. 4. tit. 15. c. 18. *Humana natura Deo, & Angelus inimica, abiecta à Deo, prior etiam per Angelum ſalutatur.* & poſt paucas *Ideò miſit vnum de Principibus, ſcilicèt, Gabrielem ad ſalutandam Virginem, ut in ea, & per eam fieret reconciliatio noſtra per incarnationem.* Eccè quomodò natura illa, quæ priùs abiecta erat, & vt vilis deſpecta, nunc à primis Cœlorum Principibus reuerentèr viſitatur, & priùs ſalutatur, vt ad quam ſit dignitatem euecta, agnoſcat.

*Luc. c. 1.*

*Antoninus.*

Angeli reuerētur naturam humanam.

8 Sed quid mirùm, quòd ad ſummam dignitatem mòx proueh enda natura ab Angelis honoretur, ſi ab ipſomet Deo eandem ob cauſam à creationis exordio in honore habebatur: undè acutè ut obſeruauit Caietanus, poſt primorum Parentum tranſgreſsionem, ſerpenti quidèm maledixit Deus, Adæ autem nequaquàm, ſed eius loco ſuper terram maledictionem inflexit. *Maledicta terra in op ere tuo.* Gen. 3. Quià naturam illam, quam ad ſuppoſiti ſui vnitatem aſſumere debebat, maledictionibus ſubiacere, rationi conſentaneum non putauit: undè citatus Caietanus: *Nouit omnipotens Deus, quòd aliquando eſſet naturam humanam aſſumpturus, ideò noluit eam maledicere.* Si ergo ob incarnationis præuiſionem longè antè humana natura ab ipſomet honorabatur Creatore: quid mirūm ſi mox ad ſummum honorem eleuanda, ab Angelis quàm reuerenter inuiſitur, tàm humiliter Salutatur.

*Geneſ. c. 3.*

*Caietan.*

Deus etiam honorat naturā humanam ob incarnationē.

9 Poſtremò pro hàc materia ſcrutari liceat illud, quod ad Virginem per Angelum dictum fuiſſe teſtatur Lucas, nempè, quòd incarnationis myſterium (quod pluſquam clarum eſt effectiuè fuiſſe à tribus, cùm opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa) non Patri, nec Filio, ſed Spiritui Sancto erat tribuendum. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te.* c. 1. Quod vltrà rationes à Patribus allatas; ideò factum puto, quia Spiritus Sanctus, nō vt Pater generat, nec vt Pater & Filius ſpirat, idcircò, quod ad intra dici de eo nō poterat, ſaltē per attributionem dici debebat ad extra; & licet productio, ſecundùm propriam formalem rationem conſiderata, perfectio ſimplicitèr non ſit, cùm ſecundùm formale ſignificatum, nec finitam, nec infinitam dicat virtutem, vt docuit Subtilis in 1. diſt. 2. q. 6. identicè tamen, ſiuè realiter, ut monuit idem quodlibeto 5. uerè, & propriè perfectionem dicit ſimpliciter infinitam: cum admodum certum ſit, quòd quidquid eſt in Deo, ſit ipſemet Deus: meritò hoc incarnationis myſterium, quod infinitæ potentiæ opus fuit, Spiritui Sancto, qui ad intrà non producit, adſcribi debebat, ut ſaltem per hanc attributionem, æqualis, infinitæ, & eiuſdem potentiæ cum Patre & Filio agnoſcatur & ipſe: Quæ Sebaſtiani Gomezij fuit ſubtilitas ſuper Pſal. 50. verſu 5. ſic dicentis: *Fuit enim à diuina Sapientia inſtitutum, vt perſona Spiritus Sancti, quæ in Trinitatis myſterio non dicitur vt Pater filium generare, nec vt Pater et Filius Spiritum Sanctum ſpirare (quæ operationes ſunt infinitæ) in incarnationis myſterio dicatur ſuperuenire, vt cùm hoc etiam opus infinitum ſit, æqualis & infinita potentia eſſe, ſicut Pater & Filius oſtēda-*

*Luc. c. 1.*

*Scotus.*

*Sebaſt. Gomez.*

Incarnatio Spiritum ſanctum honorat.

*datur, nec de re tàm certa aliqualiter dubitetur.* Ex quo colligere poſſumus, quàm ſublimis ſit iſta humanæ naturæ aſſumptio, quæ infinitatem potentiæ Spiritus Sancti declarare poterat & debebat. Quod agnoſcens D. Leo. ſerm. 1. de Natiuitate, dicere ſic ſolebat: *Agnoſce, ò homo, dignitatem tuam: & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione tranſire.*

Leo Papa.

## Qui non reſpondit ei verbum &c. Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierãt Domus Iſrael &c. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere Canibus &c. Matth. 15.

### §. III.

*Citò obtenta ingrata eſt gratia, ſecùs autem admodùm grata, quæ multùm optatur.*

1 VErbum, quid eſt, quòd non loquitur? Pietas quid eſt, quòd non flectitur? Miſericordia, quid eſt, quòd videre miſeriam diſsimulat? Quòd clamante muliere qualibet reſponſione exiſtimetur indigna? *Non reſpondit ei uerbum.* Antiquæ miſercordiæ vbi ſunt? Priſtini vbi ſunt gratiarum imbres? Vbi nunc exuberantia beneficia coanguſtãtur? Quòd interpellantibus pro ea Diſcipulis aliud non obtineatur reſponſum, niſi: *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierãt domus Iſrael?* Si cordis præparationem andire ſolet Deus, ſi inopum deſiderijs ſatisfacere conſueuit, & (vnico vt concludam verbo) ſi etiam quæ non petimus, pijſſimus concedere ſolet Saluator: Cur ſic inſtanter petentem conceſsionis loco, contumelijs afficit Canem eam vocando, *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere Canibus?* An fortè, ſic inflexibilẽ ſe diuina Pietas oſtendebat, quia videbat, quòd conceſſionis dilatio, petentis deſideria augere ſolet & vota? Ità ſanè. Auguſtinus ſerm. 44. de tempore: *Clamabat ergò auida impetrandi beneficij, fortiterque pulſabat, & diſſimulabatur ab eo, non vt miſericordia negaretur, ſed vt deſiderium accenderetur.* Cur autem mulieris huius deſiderium ſic vehementer accendi voluerit Saluator: explicauit Oleaſter, quùm ait, *Aduertite, homines nihili facere quæcunque cõtuleritis, niſi, quæ cupiunt, addideritis:* haùd ſecus ac ſi diceret: ſi iuxtà votorum menſuram beneficij eſt exiſtimatio; differri meritò debet conceſsio, vt creſcente per dilationem obtinendi cupiditate, obtenti poſteà creſcat æſtimatio: quia vt moraliſsimus Seneca dicere ſolebat lib. 4. de beneficijs: *Nihil chariùs æſtimamus, quàm beneficium, quod diù petimus, nihil viliùs, quàm quùm citò accipimus:* cuius ſententiæ veritas ex dicendis elucebit non parùm.

Matt. c. 15.

Auguſt.

Deſiderium negatione accenditur.

Oleaſter.

Seneca.

Gratius eſt quòd diù differtur.

2 Primus locus pro hac materia ſit ille Lucæ 14. vbi habetur, quòd parata cæna, diſpoſitiſque cunctis, tandèm hora cœnæ, ſeruum Paterfamilias miſit, vt inuitatos vocaret: *Homo quidam fecit Cænam magnam, & vocauit multos. Et miſit ſeruum ſuũ hora cænæ dicere inuitatis, ut venirẽt, quia iàm parata ſũt omnia.* Magna inuitantis liberalitas, magna vrbanitas! ſed ad hæc quid inuitati? ipſum audi Euangeliſtam dicentem: *Et cœperunt ſimul omnes excuſare:* Quo reſpõſo inurbanius, inciuilius, inuenuſtius; immò inuerecũdius imaginari quid poterat, quàm vocanti non reſpondere? Inuitanti non annuere? Et ad ſua vltrò donãtẽ, nec vrbanitatis verbum trãſmittere? At tantæ inciuilitatis ſanè non miror; quià vltrò vocabat, quià ſpontè inuitabat, quià nõ rogatus, quæ vix rogatus, concedere debuerat, promittebat: idcireò & contemnitur promittens, & paruipenduntur promiſſa: Quæ Bedæ fuit ſententia dicentis: *Offert Deus, quod rogari debuit, non rogatus dare vult, quod vix ſperari poterat; quià dignaretur largiri poſtulatus, contemnitur verò paratus: delicias refectionis æternæ denunciat; & tamen ſimul omnes excuſant.* O ſi bonus hic inuitator petitiones, preces & vota expectaſſet! quàm reuerenter reſpondiſſent? quàs gratias pro tali dignatione rependiſſent? quia quàm paruifaciebant oblata,

Luc. c. 14.

Beda.

Oblatum ſpontè, & citò cõceſſũ cõtemnitur.

tàm

cùm petitionibus multis comparata magnifeciſſent?

3. Hinc inſtitutum fuit à Domino, prorſùm neceſsitatibus non conſulere, niſi priùs egentium petitiones & vota præcederent, quod in nuptijs illis viſum eſt, de quibus loquitur D. Ioannes c. 2.

*Ioan. c. 2.*

*Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ*; nam dicenti matri: *Vinum non habent*, Reſpondit filius: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Quæ Saluatoris reſponſio, iuxtà multorum Patrum ſententiam, hunc debet habere ſenſum: Quod mihi & tibi commune eſt, miraculum operari nõ valet; quià non humanitas, quam à te ſumpſi, ſed Diuinitas ſub humanitatis tegmine latens, aquam in vinum conuertere debet. Auguſtini nihilominùs inhærendo ſententiæ, dico; quòd hunc ſonum edere debent hæc verba: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* videlicèt, non tu me rogare debes ò mater; ſed qui egeſtate laborant, qui meæ indigent ope, & qui miraculo opus habent; nàm aliàs vileſcet beneficium, & paruipendetur miraculum: Ità Auguſtinus ſerm. 41. de tempore.

*Auguſt.*

*Non à ſe, neque non rogatus ad actionem miraculorum Dominus ſolet peruenire; neceſſitati enim atque vſui hominum gratiam ſuam præbere ſolet; quia gratiora etiam ſunt, quæ petuntur, ſi aliquãtulũ differantur.*

Gratiora ſunt, quæ aliquãtulũ differantur.

Et ſer. 29. de verbis Domini ſuper illud: *Quis veſtrũ habet amicũ*, &c. dicit, *Dare vult, tu pulſans nondùm accèpiſti: pulſa, dare vult, & quod dare vult, differt, ut ampliùs deſideres dilatum, ne vileſcat citò datum.* Ecce quomodò non rogatus beneficia nõ confert Saluator; immò etiam rogatus differt multotiès, quià gratiora ſunt, quæ petuntur, ſi aliquantulum differantur.

4. Rem tamen quia tetigimus iſtam, incongruum non erit immorari paulìſper verbis illis: *Nondùm venit hora mea*; quæ & ſi diuerſimodè intelligantur à Patribus, quorum præcipua pars Saluatoris paſsionem vocat eius horam, iuxtà illud Ioannis 7. *Nemo miſit in eum manus, quià nondùm venerat hora eius*: & 13. *Sciens quià venit hora eius*: & 17. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*: iuxtà quam opinionem, ſenſus horum verborum eſſe deberet: nondùm venit hora paſsionis meæ, quando pati debeo in ea naturâ, quam à te accepi.

*Ioan. c. 7.*
*Idem c. 13.*
*Idem c. 17.*

Attamen Diui Irenæi mihi non parùm arridet opinio, dicentis: *Nondùm venit hora mea, dixit: expectans eam horam, quæ præcognita eſt à Patre*: Aduerſ. hæreſ. lib. 3. c. 18.

*Irenæus.*

Quæ autem hæc eſſet hora, à Patre præcognita, explicat Toletus, quòd erat illa, in qua vinum totalitèr deficere debebat: nàm ſecundùm Auguſtini ſententiam, Virginis petitio præceſsit totalem vini defectum, quod ex verbo illo Euangeliſtæ, *Deficiente vino*, colligit ipſe, qui dicit: *Cùm vinum iàm iàm deficere incepiſſet, antequàm omninò deficeret, dixit Mater eius* &c. ſerm. 4. de tempore.

*Toletus.*
*Auguſt.*

Hora ergò à Patre præcognita, quæ nõdum aduenerat, illa proculdubio erat, in qua totalitèr vinum deficere debebat. Vlteriùs poſtea ſi quæratur? Cur hæc potiùs hora pro tali, tantoque miraculo à Deo ſit præcognita, quàm alia? explicat Chryſoſtomus Hom. 21. in Ioannem, qui dicit; quòd ſi vini non apparuiſſet defectus, & ſi ſumma indigentia non fuiſſet viſa, nec magnum apparuiſſet miraculum, nec iuxtà beneficij menſuram perſolutæ fuiſſent gratiæ: eius verba ſunt hæc: *Sine, id primùm intelligant, ſatis non eſt, quòd ſola referas. Oportet indigentes rogent, non quòd hoc ipſe indigeam, ſed vt miraculum cunctis appareat. Quippè egeni cùm beneficium accipiunt, plurimam habent gratiam; qui non indigent, nõ itidèm eam intelligunt.* Manifeſtiùs ac ſi diceret; quod non petitur, quod non quæritur, quod non optatur, æſtimari, ò Mater, quomodò poterit? Sine vt indigeant, indigentiam, vt intelligant, & intellecta, quòd poſcant, & tunc erit hora; quia magnifacient, quod facilè nunc paruipendere poſſunt.

*Chryſoſt.*

Indigenti accomodatius eſt beneficium.

5. Supra modum ad præſens inſtitutum facit locus ille Ioannis. 5. vbi habetur, quòd priùſquàm languidum, qui triginta & octo annos in infirmitate habebat, ſanitati reſtitueret Saluator, an ſanitatem optaret, interrogauit. *Erat autem ibi homo, triginta & octo annos habens in infirmitate. Hunc cùm vidiſſet Ieſus, & cognouiſſet, quia iàm multum tempus haberet, dicit ei: vis ſanus fieri?* Quàm autem ob cauſam languidi voluntatem expoſceret Dominus, cùm certum ſit, quòd propter valetudinis deſiderium, propria relicta domo, ad Piſcinam venerat; vbi miſer iſte ab omnibus derelictus, vi-

*Ioan. c. 5.*

tam

tam ducebat. Ad myſticam Animæ curationem recurrendo, rationem reddunt nonnulli, dicentes; quòd & ſi indigentes, & impotentes iuſtificet Dominus; nolentes autem, nequaquàm: ad quod habuit oculum Toletus, quàm ait: *Hac interrogatione nobis Dominus ſignificat, ſe arbitrio hominis libero vti in ſalute conferenda: ſaluat quidèm, & iuſtificat Dominus homines indigentes, & impotentes, ſed volentes: & quià gratia ipſius eſt etiam velle, propterea hoc ipſum excitat hac ſua interrogatione.* Nihilominùs, quia corpore etiam ipſum curatum videmus, Saluatoris interrogationem ad corporalem ſanitatem reducendo, dico; quòd ideò, an ſanari vellet, interrogauit: quia ſi penitùs ſine vlla petitione quod conceſſurus erat, conceſſiſſet; (cùm non petitum non optetur; & non optatum facilè ſpernatur, vt dixit D. Cyrillus Alexand. ſuper citata Euangeliſtæ verba: *Interrogat autem ſi ſanari vellet. Non quia id alicui dubium eſset, ſed vt cupiditate valetudinis ad petendum incenderet. Ac propter hoc paratiorem ipſum fieri ad ſuſcipiendum hãc gratiam, interrogando, hortatur.* lib. 2. in Ioan. cap. 124.) fortè, vt vltrò ad cœnam vocati, vocantis liberalitatem contempſere, ità ſpontè oblatam ſanitatem aſpernatus fuiſſet & iſte; ideò eius preces expectauit & vota: vndè Brugenſis: *Si Ieſus ſubitò, & ex abrupto ei dixiſſet: ſurge, non tanta cum admiratione, & gratitudine beneficium ſuſcepiſſet.* Ex quo ſatis patet: quare ſine petitionibus, & precibus beneficia cõferre multoties renuerit Saluator; quia dona nõ petita vileſcunt, & munera non optata, quantuncunque magna, contemni ſolent ab hominibus, & ſanè, quia vileſcere ſolent citò conceſſa, vnicæ tantùm mortalium petitioni minimè annuere ſolet Altiſſimus, ſed poſt multam importunitatem, tandèm noſtris petitionibus acquieſcere ſolet: vt accenſo iàm impetrandi ardore, quæ impetrantur chariùs habeantur. Cuius rei veritatem videre ſi cupis, ipſum audi dicentem: *Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis* Luc. 11. Qua verborum inculcatione oſtendere manifeſtè voluit, quàm ſollicitos, moleſtos, importunos; immò violentos & improbos ad petendum nos eſſe velit: quià & ſi citiùs concedendo, primiſquè tantum acquieſcendo petitionibus, magis ſuã clarificaret liberalitatẽ: mundanorum tamen conditio cũ ſit, citò obtenta, vili æſtimare: ideò tot voces, petitiones, & preces; immò tot importunitates expectat, vt quod poſt multa vota acquiritur, multùm æſtimetur: quod expreſſit Brugenſis his verbis; *Idcircò nonnumquam differt dare, quod petitur, vt accenſo aſſiduè orationis ardore, & ipſe id, quod petis donet vberiùs, & vos illud chariùs habeatis, quod improbis precibus impetraueritis.*

Toletus.

Cyrillus.

Meliùs diſponitur petens ſi ei gratia paululũ denegetur.

Brugenſis.

Luc. c. 11.

Brugenſis.

Orationis ardor accenditur cùm quod petitur denegatur.

6 Id ipſum immediatè antè in parabola amici ad amicum ob panis inopiam accedentis, clariùs oſtendit: *Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet: Amice, commoda mihi tres panes.* Nàm quamuis inflexibilis primo intuitu oſtenderetur rogatus: *Noli mihi moleſtus eſſe, iàm oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi:* Tamen multiplicatis vocibus, iteratiſque petitionibus reſiſtere non valuit: & ità, quod ob primas petitiones concedere noluit, inualeſcentibus obſecrationibus, conceſſit: *Et ſi perſeuerauerit pulſans: dico vobis, & ſi non dabit illi, eò quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.* Et quis eſt hic noſter chariſſimus amicus (dicit D. Thomas in catena) niſi Dominus, qui animam ſuam pro amicis ſuis ponere non dubitauit? Hic ſi petita aliquando concedere differt, hoc non ob tenacitatem efficit; ſed vt creſcentibus petitionibus, creſcat & deſiderium, iuxtà cuius menſuram æſtimari ſolent & dona. Vndè citatus Thomas: *Qui differt dare, vult vt ampliùs deſideres dilatum, nè vileſcat citò datum:* Ecce quomodò videre iàm licet, quàm verum ſit, quòd tàm ingrata eſt gratia, quæ citò obtinetur, quàm quæ optatur grata.

Luc. c. 11.

D. Thom. in Cant.

Dilatione petita non vileſcunt, & deſiderium accenditur.

7 Admodùm commodè hoc de quo loquimur probat locus ille Cant. 5. vbi habetur, quòd cùm ſponſæ foribus diù aſtitiſſet ſponſus, & cùm importunè perſeueraret pulſans, tandèm tædio magis, quàm voluntate ducta ſponſa, relicto cubili, vt aperiret ſurrexit: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo;* quod cùm deforis audiret ſpõſus, antequam fo-

Cant. c. 5.

fores panderētur, aditusq; pateret, omni, qua potuit, celeritate diſceſſit. *At ille declinauerat, atq; tranſierat*. Sed quid eſt hoc, ô ſponſe? tu adſtas, perſeueras, clamas, & vt aperiatur pluſquàm importunè pulſas; Cur poſteà adueniente ingrediendi tempore, elongaris, & fugis? An forſan in corde ſponſæ, quot vocibus, tot veluti inſufflationibus penè extinctum amoris igniculum, incendium facere cupis? eſtò. Sed accenſa, poſteà amoris flamma, cur recedis, declinas, atq; diſcedis? An quia amoris fallaciæ, amorem magis inflammant? Ità ſanè dixit Gilibertus Abbas ſer.44. Vt amor ſponſæ deceptus accenderetur magis, receſſit Sponſus: aliàs enim ſponſi viluiſſet præſentia, ſi eius, à quopiā pro libito habita fuiſſet copia, ipſius autem verba ſunt hæc. *Cur abis bone Ieſu? cur declinas? cur fraudas illam à deſiderio ſuo? tu deſiderium inducis, tu delectationem ſubducis? an fortè hoc modo in maiorē auiditatem, & ardentius deſiderium concupiſcentiam protrahis, dum copiam ſubtrahis? ità eſt: iſtæ amoris fallaciæ ipſum amorem magis inflammant*: hæc ipſe. Petat ergo, qui deſiderat; deſideret, qui inardeſcit; inardeſcat, qui cupit obtinere: ſecus autem ſi fecerit, quod optat, conſequi minimè ſperet: quia dicit D. Ennodius lib.7. Epiſt.15. *Deuenuſtat ſequuturæ liberalitatis genium velox impetratio*.

*Gilibertus Abbas.*

Amoris fallaciæ amorē magis inflāmabt.

*Ennodius.*

8 Hinc fieri ſolet, vt facillimè deſiderata obtineat, qui deſiderio exęſtuat, & nō ob aliud, niſi quia, quò feruentiùs res optatur, eò cariùs ęſtimatur, quod in Daniele completum videmus, quando à Gabriele audire meruit. *Nūc egreſſus ſum vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo*. cap.9. Quæ verba primo intuitu maximam videntur inuoluere contradictionem. Si à precum exordio, & ab orationis initio egreſſus erat ſermo, & exauditus fuerat Daniel: vndè Cardinalis Vgo. *Ex quo orare cœpiſti, ſermo tibi dicendus à Domino exiuit*: cur nuncius differre voluit? nàm iuxtà Hieronymi ſententiam, à ſacrificio matutino vſq; ad veſpertinum Gabriel reſponſum, & gratiam protraxit: quod fortè proprio ore indicare voluit idem Gabriel, cùm ait: ſe tunc, hoc eſt, in ſacrificio veſpertino egreſſum fuiſſe: *Nunc egreſſus ſum, ut docerem te*. At myſterium facilè percipietur, ſi quæ ſequuntur attendantur. *Ego veni vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es*. In quibus, ly, *Quia*, cauſſæ rationem habet, vt ſit ſenſus, quia vir deſideriorū es, vel vt Gloſſa legit: *Quia vehementer deſideras*; ideò veni, vt annunciarem tibi. Nil aliter rem explicat Carthuſ. cùm dicit: *Quia vir deſideriorū es, ideſt, excellenter affectuoſus, ac feruens es ad cognoſcendum diuina; ideò nunc veni, vt annunciarem tibi*. Ex quo liquidò conſtat, quòd vehementer deſiderans, deſiderata facilè obtineat; quia multis precibus redemptum, gratiùs eſſe ſolet. Quod (ni fallor) ſignificare voluit Dauid, quando ad Dominum ait: *Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te*: Quod idem eſt, ac dicere: ſi ab hominibus multoties contemnuntur miſericordiæ tuæ ô Domine: hoc ex alio capite non pendet, niſi, quia petita, citò concedis; ex quo apud homines cōceſſa multoties viluerunt: Sed contine nunc manum tuam, differ pauliſper, aliquantulum protrahe quæ concedere vis, & tunc mirabilem facies miſericordiam tuam: Quia apud mortales, quę carò emitur, carò exiſtimatur, & quod vili, vilipenditur itidem.

*Daniel.c.9.*

*Vgo Card.*

*Hieronym.*

*Gloſſa.*

*Carthuſ.*

Vehemēter deſiderans faciliùs obtinet.

*Pſal.16.*

## O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi, ſicut vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora. Matth. 15.

### §. IV.

*Priorū merita poſteris, Genitorumq; virtutes genitis quàm vtiles ſint, atq; proficuæ expenditur.*

1 NImis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ Domine! nàm ægrotante filia, doloribus affecta, & à Dæmonio vexata, Matri, non filiæ reſpondes, ac dicis: *Fiat tibi ſicut vis*: cùm iuxtà petētis deſiderium dici potiùs debuiſſet: fiat ei ſicut vis. Et quod maiori ſtupore dignum occurrit, quod vir inſipiens nō

*Matt.c.16.*

intelligit,eſt:Si genitrici dictum fuerat: *Fiat tibi*: quomodo genita reſtituta eſt ſanitati? *& ſanata eſt filia eius ex illa hora.* In quibus difficultatibus Origenem, nonnulloſq; pòſt ipſum noui dicentes: quòd non mater per verba illa; fiat tibi ſicut vis, ægritudine leuabatur; ſed vt ipſa ſobolem curare poſſet concedebatur, qua poſteà facultate accepta, illam priſtinæ ſanitati reſtituit: quam opinionem recitat Toſt. q.81. cùm ait: *Aliqui dicunt, quòd mulier fecit illud, ſcilicet, ipſa ſanauit filiam ſuam, concedente Chriſto: ità tenet Origenes in quadam homilia, quòd propter magnitudinem fidei conceſſit Chriſtus iſti mulieri, non ſolùm quod petebat, ſed & quòd ipſa illud faceret*: hactenus ipſe, qui validis rationibus hanc ſententiam impugnat. Nos autem veriorem ſequẽtes opinionem; dicimus; quòd ideò ſimul & matri conceditur petitio, & filiæ ſanitas, vt quam Genitricis meritum ad ſalutem genitę prodeſſet, agnoſceretur; idcircò dixit: fiat tibi, ideſt, ob tuum meritum, virtutem, & fidem è Demonis poteſtate puellam eripio. Quod dicere voluit Chryſoſt. his verbis: *Perſpicis iàm non parum ab ipſa ad curationem filiæ collatum fuiſſe: propterea non dixit Chriſtus: ſanetur filia tua; ſed magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis: rei euentus fidem illius docuit.* Et clariùs Brugenſis: *Animaduerte, quòd fides parentum proſit liberis: vndè dicit: fiat tibi ſicut vis.* Ad cuius rei probationem ex multis, quæ poſſint afferri, potiora adducam.

*Toſtatus.* Chananææ conceſſit Chriſtus, vt ipſa ſanaret filiam.

*Chryſoſt.* Genitorum merita genitis vtilia.

*Brugenſ.*

2 Et antè omnia, verba illa regij Vatis in medium ſtatuo. *Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hęc, quæ docebo eos: & filij eorum vſq; in ſæculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam.* Pſalm. 131. Quæ verba, licèt ſpeculandi anſam mihi præbuerint multotiès: quomodò propter filiorum obſeruantiam, non ipſi, ſed ipſorum filij regio honore eſſent afficiendi: ſi cuſtodierint filij tui legem meam, filij eorum ſedebunt ſuper ſedem tuam. Circà quod nunc tempus ampliùs non tero; quia optimè noſco, quod non tantùm parentes ob proprium meritum remunerantur; verùm filij etiam propter paternam virtutem muneribus afficiuntur non paruis. Quod ſonant verba illa: *Si cuſtodierint filij tui, filij eorum ſedebunt*: quibus pluſquam clarè oſtenditur, quòd ob filiorum merita nepotes etiam, hoc eſt, filiorum filij ſint extollendi: Quæ fuit Auguſtini obſeruatio dicentis: *Si cuſtodierint filij tui legem meam, &c. Filij eorũ ſedebunt ſuper ſedem, &c. Quia meritum filijs Parentes faciunt.*

*Pſal. 131.*

*Auguſt.* Filios iuuat Patris meritum.

3 Quod Dominus ipſe Sole clariùs declarauit, cùm ad Iſaac ait: *Multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas Cæli: daboque poſteris tuis vniuerſas regiones has, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obedierit Abraham voci meæ.* Geneſ. 26. Quorum verborum ſi poſteriora prioribus præponantur, hunc facient ſenſum: Quia Abraham obediuit voci meæ; quia mea ſeruauit præcepta; quia legem meam cuſtodiuit: immò legis ceremonias quia nullatenus eſt trãſgreſſus, ideò non tantùm te, ſed etiàm tuos poſteros donis, & gratijs redundare facio. Quod dixit Chryſoſt. hom. 51. *Ea propter, quia in omnibus declarauit Abraham magnam obedientiam, & mandatorum cuſtodiam; propterea te ex illo natum, promiſſionum, quæ illi factæ ſunt, facio hæredem*, & ſubdit: *Vidiſti Dei miſericordiam, quomodò propter mentionem virtutis patris huius mentem roborauit.* Quis ſtultus nunc nón intelliget hæc? Quod ob virtutes, & merita parentum à Deo benè afficiãtur & nati; ſi propter Abrami virtutem, remuneratur Iſaac.

*Geneſ. c. 26*

*Chryſoſt.*

4 Hinc, vt optimè obſeruauit Toſtatus quæſt. 20. ſuper cap. Exod. 32. Quoties antiquis Patribus ob virtutis meritum aliqua fuit facta repromiſſio, & eis, & ſemini eorũ facta deſcribitur, quod ex omnibus Sacræ Scripturæ locis patet: & hóc non ob aliud factum fuiſſe, aſſerit ipſe, niſi, vt quàm priorum merita poſteris proſint, agnoſcatur: cuius verba ſunt hæc: *Cuilibet enim factæ fuit promiſſio pro ſe, & ſemine ſuo: ideò cùm promitteretur, cuilibet eorum dicebatur: tibi & ſemini tuo dabo terram hanc.* Ergo iure optimo ad Dauid dicere poterat Dominus: *Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum: filij eorum ſedebunt ſuper ſedem tuam.* Quia genitorum merita non parũ proſunt genitis ad honorem.

*Toſtatus.* Promiſſio facta Patribus trãſit in filios.

5 Nec tantùm liberorum honor Parentum creſcit ex merito, ſed illorũ eſſe ob iſtorum virtutem conſeruatur multoties; quod videre eſt in D. Luca,

qui

qui cap. 5. dicit; quòd parentes cuiuſdã paralytici, longæ illius ægritudinis forſitan tędio affecti, ac non parum vexati, omni penitùs humana deſperata ope, ad cœleſtem medicum illum adducere decreuerunt: quod cùm perfeciſſent, & propter audientium multitudinem, cũ ad eum acceſſum habere non poſſent, per tegulas ante ipſum, paralyticum in

Luc. c. 5.

lectulo iacentem ſubmiſerunt. *Ecce uiri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes, qua parte illum inferrent pre turba, aſcenderunt ſuprà tectum, & per tegulas ſummiſerunt eum cũ lecto in medium ante Ieſum*: Quorum ſedulitatem, laborem, & fidem, vt vidit piiſſimus Saluator languidum priſtinæ ſanitati reſtituit: ità citatus Lucas: *Quorum fidem, vt vidit, dixit. Homo remittuntur tibi peccata tua: Surge, tolle lectum tuũ, et uade in domum tuam.* Ex quibus verbis ſubtilis quæſtio moueri ſolet à Sanctis Patribus, & eſt: Quorum ſit iſta fides viſa à Domino, benè habentium, an ęgrotis? Portitorum, an portatis? offerẽtium, an oblati? Et licèt Chryſoſt. homil. 30.

Chryſoſt.

Paralyticum etiam fidem habuiſſe teſtetur; quod & ſenſit Euthimius ſuper

Euthimius.

cap. Matth. 9. Hieronymus tamen ſuper citatum Matth. caput, offerentium fidem, non oblati à Domino fuiſſe inſpectam, aſſerit, cùm ait: *Videns fidem, non eius, qui offerebatur, ſed eorum, qui offerebant.*

Hieron.

Quod ſi verum eſt, vt veriſſimũ puto: quomodò aliorum fide curetur alius; & vnius meritum alteri proſit ad ſalutem: explicauit D. Ambroſius. *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoſcit alijs, & dùm alios probat, alijs relaxat errata*: Quid intuemini? quid miramini? quid obſtupeſcitis? ac ſi diceret Ambroſius; quòd propter vnius fidem curetur alter, ſi Dei noſtri mos hic eſt, ob parentum merita liberorum honorem conſeruare & vitam.

Ambroſ.

Vndè Toletus ſuper 5. Luc. annot. 36. *Eſt difficultas, quomodò per fidem illorum, qui offerebant, ſanitatem contulit Chriſtus paralytico? ad quam difficultatem elucidandam reſpondeo: fidem petentium impetraſſe alijs etiam non petentibus; immò & non credentibus ſanitatem corporis, res eſt certa in Euangelio, & affirmat Cyrillus Catechesi 5.*

Toletus. Fides aliorũ quàm alijs proſit.

Cyrillus.

6 Quod ſi manifeſtiùs videre cupis, priorum merita, non tantùm poſterorum honori conſulere; ſed & vitę: iuſtiſſimi Noe lege hiſtoriam, & videbis, quòd propter ipſius virtutes, & merita, omnis eius familia incolumis ſeruata ſit, nè vt cęteri inter diluuij gurgites abſorpta remaneret. Ità ex ipſius Dei ore colligitur; vt habetur Geneſ. 7. *Ingredere tu, & omnis domus tua in Arcam: te enim vidi iuſtum coràm me in generatione hac*: quaſi diceret: inter tot homines, totq; inter mulieres, quot nunc terra fortaſſis iniuitè, propter eorum ſcelera, ſuſtinet; quia te ſolum inter tot iuſtum vidi, & te ſeruare volo, & vxorem, & filios, & nepotes; ne communi interitu pereant, vt tecum ingrediãtur acquieſco: Pro qua re audiendus eſt D. Chryſoſt. homil. 24. ſuper cap. Geneſ. 6. in hunc modum loquens: *Conſuetudo enim miſericordis Dei eſt; honorem hunc dare ſeruis ſuis, vt propter eos ſaluentur alij, id quod & Beato Paulo conceſſum eſt, cum ille Romam nauigaret, orta in mari tempeſtate magna adſtitit illi Angelus, dicens: ne timeas Paule, dedit tibi Deus omnes, qui tecũ nauigant: vidiſti quomodò virtus viri ſalutem illis conciliauit.*

Geneſ. c. 7.

Chryſoſt. Merita iuſtorum etiã alijs proſiciunt.

7 Hinc ritè memoriali iuſtorũ memoria comparari ſolet; quia ſicut per illud exponitur omnis petẽtis intẽtio, ſic per hanc quicquid à Deo petitur, facilè obtinetur. Ad cuius rei probationem ipſius Dei verba adduco, ad Moyſen dicẽtis: *Hæc dices filijs Iſrael: Dominus Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in perpetuum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.* Exod. 3. Circà quæ, duo conſideranda ſe offerunt, quorum primum eſt: ſi Deus ſatis commodè explicauit ſuum eſſe, dicendo, *Ego ſum, qui ſum,* Ad quid addere voluit ſe eſſe Deum antiquorum Hebræorum: *Ego ſum Deus Patrum veſtrorum*? & poſtea, quod magis mirum eſt, quomodo æterni Dei memoria per creaturarum nomina conſeruari poteſt, quòd dicit: *Hoc erit memoriale meum*: Quibus ex ſupra allatis facilè reſpondeo: quòd ideò ſe Deus antiquorum Hebræorum Deum vocat, quia de pietate, de miſericordia, ac de liberatione agebatur, vt Hebræi tantæ diuinæ beneuolentię copiam ex eorum

Exod. c. 3.



Digitized by Google

*Gloſ.interl.* priorũ meritis oriri intelligeret. Quod tetigit Gloſſa interlinealis. *Merita parentum bonorum ſæpè filijs ſubueniunt.* Et Deus ſignificare voluit Moyſi in hoc eodem capite, cum ait: *Ego ſum Deus Patris tui.* vbi Carthuſ. art. 5. *Ideò quoque Deus vocauit ſe Deum Patris Moyſis, vt in ſpe, & amore Dei magis accenderetur, Patriſque ſui meritis ſe crederet adiuuari.* Quod vt ſimiliter intelligeret Populus, ſe non proprio, ſed Patrum merito liberari, dicere voluit: Ego ſum Deus Patrum veſtrorum: nec ſine magna ratione ſubdidit: hoc memoriale meum; non quia Patriarcharum nomina Dei memoriã conſeruare deberent; ſed quia ſicuti per memoriale optata exponimus, vt obtineamus, ſic bonorum Parentum nomina, veluti perpetua memorialia apud Deum pro filijs, poſteriſque miſericordiam, pietatem, & gratiam aſſiduè clamant, quibus vocibus non ſurdus auditor Altiſſimus, quicquid per talia memorialia exponitur, facilè concedit: Cui meæ ſimilitudini applaudit Rupertus de Trinit. & operibus eius. in Exod. lib. 1. cap. 14. vbi dicit. *Addidit hoc nomen, mihi memoriale eſt in æternum, ſcilicet, ob obedientiam illorum, in qua peregrinos, & hoſpites ſe eſſe confeſſi ſunt ſuper terram: hoc ergò, inquit, nomen mihi eſt in perpetuum, & hoc memoriale meum ſubauditur ſecundùm ea, quæ operor, vel operaturus ſum in illis adoratoribus meis, & in ſemine eorum.* Felix proles, & pluſquàm beata ſoboles, quæ apud Deum tale habere meruit memoriale, per quod ei ſemper fœliciter eueniunt cuncta.

*Carthuſ.* Patrum meritis adiuuamur.

*Rupertus.* Memoriale Dei Sanctorum Patrũ merita.

8 Cui nunc magnum videbitur, quòd Iacob morti propinquus, nepotibus, filijs videlicet Ioſephi, Ephraim, & Manaſſe benedicere volens, his verbis vti voluit. *Innocetur ſuper eos nomen meũ, nomina quoq; Patrum meorum Abraham, & Iſaac, & creſcant in multitudinem ſuper terram.* Geneſ. 48. Sciebat hic bonus Dei famulus nomina iuſtorum priorũ, coràm Deo, vt perpetua memorialia pro poſteris interpellare: propterea meliorem benedictionem nepotibus conferre non agnouit, quàm ſuper eos Sanctorum Genitorum nomina inuocare: propter quæ eorum nomen, & alia ſemper creſcere debebãt. Carthuſ. ibidem. *Vide Modeſtiam, quia nuſquàm ſuæ virtutis memoriam fecit, ſed ex probata Patrum vita, ipſe preces fundit, & benedictionem filijs precatur.* Mirum ergò non eſt, quòd ſuper filios hic Sanctus ſenex, Patrum nomina inuocaret; quia fortè præuidebat, quòd dicere poterãt illud, quod poſteà ſeptem mulieres erant dicturæ. *Tantùmodò inuocetur ſuper nos nomen tuum, aufer opprobrium noſtrum.* Iſai. c. 4. *Iſai. c. 4.*

*Geneſ. c. 48.*

*Carthuſ.* Patrum vita in filios inuocatur.

9 Et quidèm adeò efficax eſt hoc memoriale, & tàm Deo grata iuſti memoria, quòd nunquàm ſic indignatione æſtuat, nec ira ſic feruet Altiſſimus, quòd ſi ei Iuſtorum parentum nomina, veluti memorialia porrigantur, illicò non miteſcat, natiſque propter illa, ſtatim non ignoſcat. Quod Dux ille Iſraelitici populi Moyſes agnoſcens, cùm ob idololatriã, ob vituli nempè adorationem Deum maximè iratum videret, inter maiores iras, & minas in hunc modum iratum Dominum alloqui cœpit. *Quieſcat ira tua, eſto placabilis ſuper nequitia populi tui, recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum.* Exod. 32. *Exod. c. 32.* Magna profectò eſt populi huius malitia, nequitia, atq; duritia; & quòd ob idololatriam magnas pœnas luere mereatur, non ignoro: iuſtè ergò feruet tua indignatio, ô Domine: ſed ſi propter meam virtutem non miteſcit, propter Abraham, Iſaac, & Iacob, quorum nomina, vt grata memorialia tibi offero, manſueſcat quæſo, atq; quieſcat. Sic Gloſſa ſuper citata Moyſi verba: *Patres, qui diliguntur, inducit pro filijs, qui offendunt, nec merentur audiri; quia bona Sanctorum Patrum ſæpè ſubueniunt filijs.* *Gloſſa* Cui ſupplici libello, quàm celeritèr annuerit Altiſſimus, illicò explicat Sacra pagina, dùm ait: *Placatuſq; eſt Dominus, ne faceret malum, quod loquutus fuerat aduerſus populum ſuum:* ibidem. *Exod. c. 32.* Ex quibus, quis huius libelli efficaciam non uidebit, ſi uix Deo oblato placatus eſt Dominus, flagella depoſuit, malum nõ intulit: ac tandem id quod petebatur, conceſſit? Vndè Carthuſ. *Et placatus eſt Dominus nè faceret malum, &c. ideſt tantùm ab effectu iuſtitiæ ſuæ ſe temperauit, quòd non intulit impijs illis tàm graue malum pœna, vt fuerat comminatus.* *Carthuſ.* Igitur iuſti memoria memoriale Dei gratiſſimum uocetur, per quod, non ſolùm obtinemus optata; ſed etiam ergà ſcele-

Patrum memoria filijs ſubuenit.

ſtos

ſtos poſteros omnis diuina miteſcit ira, & manſueſcit indignatio.

10 Quod benè ueteres Sancti noſcentes, inter maiores anguſtias, immò inter prima uitæ diſcrimina, priorum, ac piorum ſuorum offerebant nomina; quia ſic Dei pietatem facillimè erga ſe conciliari intelligebant: Sic Sanctus ille Adoleſcens Azarias, inter flammas ad Deum dicere cœpit. *Ne auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael Sanctum tuum.* Daniel. 3. ubi Theodor. quæſt. 3. *Etiam Patrum nomina commemorat, ut memoria iuſtorum bonum Dominum prouocet ad miſericordiam.* Et Carthuſ. *Fuit autem conſuetudo populi Iſraelitici, in precibus ſuis memorari iuſtitia Patriarcharum iſtorum, vt Deus propter illorum virtutes, & merita exaudiret ipſos.* Iure igitur optimo Genitoribus cunctis ſuadere ſolebat Chryſoſt. quòd ſi ampla, opulenta, ac ſecura liberos ſuos ditare cuperent hæreditate, ipſi uirtutes coaceruarent & merita. *Itaq; ſi liberis tuis magnas opes relinquere vis: Dei prouidentiam relinquito:* quia nati ſuccedentes in hoc patrimonium, honorum titulis, rerum affluentia, & longitudine dierum non poterunt non affluere.

Daniel. c. 3. Patrum nomina ad miſericordiam prouocant. Theod.

Carthuſ.

Chryſoſt.

FERIA

# FERIA SEXTA
## POST
# DOMINICAM PRIMAM
## QVADRAGESIMAE.

**Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida,quinquè porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium,cæcorum, &c. Ioannis. 5.**

### §. I.

*Quia interni non tantùm,verùm etiàm externi quodammodò peccatoris ob culpam cæcutiunt oculi, cæcus iure vocari poteſt & debet.*

1 QVid per Ieroſolymam,iuxta Origenis ſententiam, hom. 6. ſuper Ieremiam. Et 5. & 6. ſuper Ezechiel. niſi Eccleſia? Quid per piſcinam, niſi pœnitentia ſecundùm eundem? Quid per quinquè porticus, niſi quinquè Moyſi libri, vt ſenſit Emiſſenus? Quid per aquas,niſi baptiſmatis vnda? vt dixit idem. Quid per lãguidos, vt ait Magnus Antonius Paduanus, niſi vitio detenti? Et quid tandem per tot cæcos figurabatur,niſi peccatores? Iuxtà illud Sophoniæ. 1. *Ambulant vt cæci, quia Domino peccauerunt.* & Sap. 2. *Excæcauit enim illos malitia eorum.* Vndè dicere conſueuerat Euſebius Emiſſenus, quòd,*Cæcitas iſta non eſt corporis, ſed animæ,* quæ quantò anima corpore eſt perfectior,tantò illa corporis ſuperat cæcitatem. Quod ſignificare voluit Auguſtinus de ſentent. Proſp. c. 305. verbis illis: *Tenebræ metuendæ ſunt morum, non oculorum,ſi oculorum, nõ exteriorum,vndè diſcernitur album, & nigrum; ſed iuſtum, & iniuſtum:* quę interni luminis carentia, licèt à peccatoribus, qui ſe ſemper videntes exiſtimant, non agnoſcatur; attamen, quò minus agnita, eò periculoſior eſt. Quod & moraliſſimus Seneca explicauit ad Lucillum ſcibens, epiſt. 89. vbi; quod vxoris famulę acciderat, quę cæca effecta, ſe minimè lumine carere exiſtimabat, ſed domum tenebroſam eſſe,dicebat,ad vitioſos ſic tranſtulit,dicens: *Incredibilem rem tibi narro,ſed veram: neſcit ſe eſſe cæcam, ſed ſemper rogauit pedagogum ſuum, vt recedat de domo, in qua eſt; dicit enim domum eſſe tenebroſam: Hòc enim, quod in illa videmus, nobis accidit: nemo ſe auarum eſſe intelligit, nemo cupidum. Cæci ducem quærũt, nos ſine duce erramus, & dicimus,non ego ambitioſus ſum, ſed vrbs mea magnas exigit impenſas; non eſt meum vitium, quòd iracundus ſum, quia nõdum conſtitui certum genus vitæ, adoleſcentia facit, quòd nos decipimus. Non eſt extrinſecum malum noſtrum; intrà nos eſt,in viſceribus ſedet, & ideò difficulter ad ſanitatem peruenimus; quià nos ægrotare neſcimus.* Aurea prorſùs verba, quibus, quàm interna hæc cæcitas magna noſcitur, tàm ſimilium cæcorum explicatur dementia,qui cùm interno lumine careant,ſe tali lumine priuari nõ intelligũt. Quod Epiſcopo Laodiciæ Eccleſiæ exprobrauit Io. Apoc. c. 3. *Dicis,quòd diues ſum: et locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quià tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus:* quod non videntes, vt videant, & non intelligentes, vt intelligant,

*Origenes.* *Emiſſenus.* *Antonius de Padua.* *Sophoniæ c. 1.* *Sap. c. 2.* *Euſeb. Emiſſ.* *Auguſt.* Tenebræ morum metuendæ. Senecę optima ſentẽtia; *Apocal. c. 3.*

gant, dictis dicenda ſubnecto.

*Claudian.*

2 Priſcis Poetis fingere ſi licuit, & præcipuè Claudiano lib. 5. maior. voluminis, quòd omnes peſtes infernales (quæ apud eos vitia ſunt, & ſupplicia) noctis tempore natæ ſint, & quòd ab Acheronte originem duxerint: & hoc non ob aliud ſomniare (niſi fallor) voluerunt, niſi, vt quàm cæcus ſit vitioſus oſtenderent: quid nos dicere debemus, qui à Paulo accepimus, ſcelera, noctis partus, tenebrarūq; fœtus vocari? *Abijciamus ergò opera tenebrarum*. ad Rom. 13. vbi Cardinalis Vgo: *Dicuntur autem peccata opera tenebrarum, quia in tenebris fiunt, iuxtà illud Ioannis 3. qui malè agit odit lucem, & quia tenebras interiores efficiunt; ſecundùm illud Dauidis Pſalm. 93. Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, vt viderem.* Quæ ſi vera, immò veriſſima ſunt; vitia tenebrarum opera cum Paulo, & nocturnas peſtes, non cū Poetis, ſed cum Hieronymo vocare debemus; qui vbi noſtra vulgata legit: *A negotio perambulante in tenebris.* Pſ. 90. vertit ipſe: *A peſte in tenebris ambulante.* Quæ tenebræ, etſi externo lumine non priuent, tamen internum mentis oculum obnubilant: nàm inſtar ſacrilegi, & impijſſimi Antiochi, qui, vt Ieroſolymitanum Templum fuit ingreſſus, lampadem, quę ſemper ſucceuſa Templum illuſtrabat, ex illo abſtulit; ſic peccatum animam noſtram, quæ Spiritus Sancti Templum eſſe deberet, cùm primùm ingreditur, gratiam, quæ ſola illam illuſtrare poterat; expellit, eamque obtenebratā relinquit: Quod obſeruauit Rupertus Holchot. lect. 194. ſuper cap. Sap. 17. verba perpendens illa: *Factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti: vbicunque autem habitabant filij Iſrael, lux erat.* Exod. 10. vbi ſic ait: *Tenebræ ergò culpæ fuerunt etiam tenebrarum pœnæ, & quia culpa plus habet de malo, quàm pœna, dicitur, quòd Ægyptij peccatores, & tenebroſi intrinſecùs per peccatum erant:* quàm ergo ſine lampade obtenebratum remanſerat Templum, tàm gratiæ amiſſione mentis oculus caligat, quamque inter tenebras cæcutiebant Ægyptij, tàm inter peccatorum tenebras, interno amiſſo lumine, omnis peccatoris obnubilatur ratio.

*Ad Rom. c. 13.*

*Vgo Card.*

*Pſal. 90.*

*Exod. c. 10.*

*Rupertus Holchot.*

**Tenebræ mentis quæ ſint.**

3 In quas tenebras miſſus ſit homo ille, qui ſine veſte nuptiali Conuij locū fuerat ingreſſus, expende quæſo: *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Matth. 22. Per quas tenebras, infernum ſignificari, nulli dubiū puto: præcipuè dicente Iob. c. 10. *Antequam vadam & non reuertar, ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine: terram miſeriæ & tenebrarum.* Difficultas autem, quę eſſe poſſet, in eo conſiſtit, quòd non in tenebras ſimpliciter miſer iſte mittitur; ſed in tenebras exteriores: ergo dantur interiores, dicit Gregorius lib. 25. moral. Ad interiores namque, niſi exteriores reſpectum dicerent, exteriores vocari nequaquàm poſſent? ità ſanè, dicit ipſe, & internæ, & externæ dātur tenebræ: ſed ſi tartara externæ uocantur; internæ, Bone Deus, quæ erunt? Dicam ego, reſpondet Gregorius; culpæ, peccata, & vitia; hæc quid ſunt, niſi tenebræ? Quia ſi oppoſitorum eadem eſt diſciplina: & peccatum, & gratia ſaltem demeritoriè opponuntur: ergo ſi gratia dicitur lux, tenebræ dici debent peccata, iuxtà illud Ioannis 12. *Ambulate, dum lucem habetis, nè tenebræ vos comprehendant*: Quæ quia mentis oculū obnubilant, tenebræ vocari meritò poſſunt: verba autem ipſius Gregorij ſunt hęc: *Iniquus quiſque interius excæcatur; vndè ſcriptum eſt: ligatis manibus, & pedibus, mittite in tenebras exteriores: tunc enim coactus in tenebras exteriores mittitur, quia nunc in interioribus excæcatur voluntariè;* hæc ipſe: ex cuius pręcipuè vltimis: *Quia nunc in interioribus excæcatur voluntariè,* culpam internam eſſe cæcitatem liquidò conſtat.

*Matt. c. 22.*

*Iob. c. 10.*

*Ioan. c. 12.*

*Gregorius.*

**Tenebræ interiores peccata.**

4 Vltrà tamen in hac materia procedens Hieronymus, dicit; quòd non tantùm internum oculum, culpa excæcat, verùm etiam ipſos externos caligare quodammodò, & cæcutire facit, idque ex verbis illis Matth. 26. *Erant enim oculi eorum grauati,* carpit ipſe: vbi quo pondere diſcipulorum oculi ſic grauarentur, vt aperiri, lumenque aſpicere vix poſſent, explicat, quùm ait: *Langueſcebant enim eorum oculi negatione vicina*: non ſecus ac ſi diceret: culpa illa, quæ mentis oculos claudit, corporis etiàm ſuo pōdere ſic claudebat, vt aperiri vix poſſent, vt quàm magnā cęcita-

*Matt. c. 26.*

**Quo pondere diſcipulorum oculi grauabātur?**

*Hieron.*

tem

Digitized by Google

tem internã, ſcilicèt, & externam peccatum afferret, intelligatur.

5 Hinc quærit D. Auguſtinus; cur Chriſtus inter miniſtrorum caterruam Petrum aſpicere voluerit? dicente Luca

*Luc.c.22.*

c.22. *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum.* Quia ſi eum à negationis ſomno excitare intendebat, & ab eius corde criminis tenebras expellere contendebat, hoc per occultam operationem, per gratię nempè immiſſionem ſatis commodè effici poterat: ad quid externus intuitus; ſi internus per gratiã ſufficiebat aſpectus? Cui difficultati reſpondet idem Auguſtinus hom. 5. de Paſſione Domini, in qua dicit: quia ob peccatum non ſolùm internus Petri caligauerat viſus; ſed quia etiam corporis quodammodò cęcutiebant oculi; ideò externo intuitu, interiùs, exteriuſque illuminari debebat. Vndè in Petri perſona, ob Chriſti intuitum, in ſe reuerſi, ſic Dominum alloquitur Auguſtinus: *Domine, ubi me dimiſiſti, lumen tuum uideo, lumine tuo aperi oculos meos, quomodò poſſum te uidere, niſi reſpexeris me:* quòd lumen oculorum meorum & ipſum non ſit mecum, nunc intelligo Domine, quià priùs excęcauerat me malitia mea; propterea interiùs, exteriuſque etiam aliquo pacto lumine priuabar, propter quod dicere meritò poteram: multiplicatæ ſunt ſuper me negationes meæ, & non potui, vt viderem.

*August.*

Sine diuina gratia non videmus.

6 Vndè Chriſti comprehenſores moueri potuerint, vt cum tot laternis, & facibus eum quęrerent, quòd dicit Ioannes.c.18. *Iudas ergo cùm accepiſſet cohortem, & à Principibus, & Phariſæis miniſtros, uenit illuc cum laternis, & facibus.* Excogitaui non ſemel, & quamuis factum tempori congruere videatur; quià ob nocturnas tenebras res ſine lumine videri nequeunt: verùm quando viſibile de ſe luminoſum eſt, ſanè ad illud videndum aliud lumen non requiritur: & ſicut aliud ſtolidius excogitari non poſſet, quàm lumen cum lumine, ac Solem cum lampade quęrere; ſic minoris dementiæ indicium non erat, Chriſtum, qui, vt proprio teſtatus eſt ore, lux erat: *Ego ſum lux mundi.* Ioannis 8. Et qui fulgentiſſimus vocabatur Sol: *Orietur uobis timentibus nomen meum Sol Iuſtitiæ:* Malach. 4. cum laternis quærere, & facibus: Verùm nõ miror, quòd Solem non uideant, & quòd lumen illud, quod ſedentibus in regione umbrę mortis oriri dignatum eſt, non inſpiciant; quia liuore ſic teneſceſcebant, & ſic malitia excæcabantur, quòd inter ſplendores cęcutiebant, & inter diuinos fulgores, interiùs, exteriuſque etiàm (dicere ſi licet) caligabant. Quę Ambroſii fuit ſubtilitas in Catena citati, dicentis: *Stultum eſt, quærere cum facibus lumen, factum congruit tempori, & perſonis, quia cùm eſſent tenebræ in tenebroſo tempore, tenebroſum opus exercebant,* ſic ipſe. Ex quibus haud difficilè myſterium colligi poteſt: Cur lumen cum lumine quęrerent iniqui? Quia tenebrę in tenebris tenebroſum opus perficere conabantur.

*Ioan. c.18.*

*Ioan. c.8.*

*Malac. c.4.*

*Ambroſ.*

Lumen externum tenebris congruit.

7 Nequè hic ſiſtit eorum cęcitas: ſed ſtatim ſubdit D. Ioannes; quòd cùm luminaria adhiberent cęci, ut Saluatorem inuenirent, ipſe iterum eos interrogauit, quem quęrerent: *Iterum interrogauit eos; Quem quæritis?* c.18. Reſpondētibuſque illis: *Ieſum Nazarenum:* ſubdidit mitiſſimus Dominus. *Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergò me quæritis, ſinite hos abire.* Quis nunc cæcis omnibus cæciores (ſi fas eſt dicere) hos non uocabit? Qui pręſentem quærunt, adſtantem non uidēt, ſemel & iterum eos alloquentem, ſeq; ultrò pluriès offerentem, quia nõ agnoſcunt, comprehendere non audent. Vndè D. Cyrillus, Alexand. aduerbium illud, *Iterum*, non inaniter ab Euangeliſta poſitum aſſerit, ſed myſterium in eo clauſũ his uerbis enucleat: *Vt magnitudinem cæcitatis eorum in medium proferret. Impietatis namque crimine mente capti, non agnoſcebant quem alloquerentur.* lib. 11. in Ioan. c. 34.

*Ioan. c.18.*

*Cyrillus.*

Sine Deo lumen non videtur.

8 Vlteriùs tamen conſiderans uerba illa præfatus Cyrillus. *Stabat autem, qui tradebat eum Iudas,* ibidem: Stupet, quòd Iudas, qui Chriſti Diſcipulus fuerat, qui totiès cum illo cibum ſumpſerat & potum, qui paulò antè dicere nõ erubuit: *Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.* Matth. 26. Poſteà nec ipſe præſentem cognoſceret, quem quærebat! eius autem verba ſtupore plena ſunt iſta. *Euangeliſta proditorem quoquè cum militibus, & miniſtris ſtetiſſe narrat: quomodò igitur ille, Chriſtum non*

*Ioan. c.18.*

*Matt. c.26.*

*Cyrillus.*

Cum laternis præſẽs Chriſtus non cernitur.

*nouit*

*nouit? An quia nox erat? Sed hoc quoque mirabilis Euangelij ſcriptor prævidit: cum facibus enim, & laternis illos fuiſſe, expoſuit*. Et tandèm pòſt nimiam admirationem in hunc modum concluſit. *Quàuis enim Chriſtus ſe quęrentibus offerret, minimè tamen agnoſcebatur, & certè nil mirum: quia ſicuti Sol cæcis præſens, ab ipſis non videtur; ſic Chriſtus Iuſtitiæ Sol, quamuis vltrò cæcis ſe offerret iſtis, ab ipſis tamen minimè agnoſcebatur*: quam ſimilitudinem proſecutus eſt D. Thom. in Catena ſuper verba illa: *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. Ioannis c. 1. quùm ait: *Quomodo enim homo poſitus in Sole cæcus, præſens eſt illi Sol; ſed ipſe Soli abſens eſt: ſic ſtultus omnis cæcus eſt, & præſens eſt illi ſapientia. Sed cum cæco præſens eſt, oculis eius abſens eſt: non quia illi ipſi abſens eſt; ſed quia ipſe abſens eſt ab illa.*

Ioan. c. 1. D. Thom. in catena.

Ioan. c. 1.

9 Verborum illorū: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, Ioannis. 1. Nunc facilè intelligentiam carpo, & quomodo tenebræ, quæ lumini priuatiuè opponuntur, lumen comprehendere poſſent, intelligo: nàm per lumen, Chriſtus; & per tenebras, eius comprehenſores ſignificabantur; ut dictorum uerborum ſenſus ſic eſſet: lux, hoc eſt, Chriſtus; in tenebris, uidelicèt, errorum, perfidiæ, atque liuoris lucebat; & tenebræ, ideſt, miniſtri, ſatellites, & perſecutores eum nō comprehenderunt; quia præſentem non agnouerunt: Ità explicat locum iſtum Auguſt. ho. 5. de paſſ. Domini: *Lucem in tenebris quęrebant, ſed lucē tenebræ non comprehenderunt: ſed audiamus vocem lucis, quid dicit: tenebris uenientibus, cum laternis: quem quæritis? Illi dixerunt Ieſum. Reſpondit Ieſus: ego ſum: audita uoce abierunt proſtrati in faciem cæcitatis*. Quis nunc peccatores cæcos non dicet? Si tenebræ per antonomaſiam uocantur à Ioanne.

Auguſtin.

**Lux in tenebris à peccatoribus quęritur, & non videtur.**

10 Quis denique dicenti fidem præſtaret, ſi audiret, quòd meliùs uideat clauſis oculis dormiens, quàm peccator vigilans, apertis luminibus inruatur? Et tamen adamuſſim rem narrat Matthæus c. 27. in quo dicit; quòd cùm Hebræi Saluatorem apud Pilatum falsò criminarentur, cumque vt mortis reum accuſarent, Pilati vxor ad virum nuncios deſtinauit, vt dicerent: *Nihil tibi, & iuſto illi: multa enim paſſa ſum per viſum hodiè propter eum*. Circà quam mulieris confeſſionem (quicquid dicant alij) ſubtilitèr obſeruat Rabanus: quòd Saluatoris innocentiam, quam Iudęi vigilātes ob liuorem agnoſcere nequibant, illam clauſis oculis, immò dormiens mulier Iudaici liuoris expers, & agnouit dormiens, & confeſſa eſt vigilans: cuius verba ſunt hæc: *In viſionibus autem, & ſomnijs gentilis viri vxor hæc intellexit, quod Iudæi vigilantes, nec credere, nec intelligere voluerunt*. Ecce quòmodo & vigilans vitioſus, & apertis oculis minùs videt, quàm clauſis luminibus dormiēs, ſi vitiorū fuerit expers. Quæ cæcitas ex hucuſque dictis, ſi iàm peccatori innotuit, ad Dominum cum Dauide ſupplicitèr clamet, & dicat: *Illumina oculos meos, ne vnquàm obdormiam in morte: nequandò dicat inimicus meus præualui aduerſus eum*. Pſalm. 12.

Matt. c. 27.

Rabanus.

Dormiens plus videt, quā vigilās peccator.

Pſal. 12.

## Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tēpus in piſcinam: & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam, pòſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate Ioannis. 5.

### §. II.

*Ex tot languentium cateruis, vix curabatur vnus, vt quàm inter peccatorum turmas exiguus ſit iuſtorum numerus oſtendatur.*

1 Diuina miracula, quæ omnem creatam virtutem ſuperant, ſi tantùm eſſent opera potentię; cur ex tot languentibus, vnus ſolummodò ſanaretur, mirari proculdubio deberemus, cùm certum ſit, quòd eadem facilitate,

qua ſanabatur vnus, curari potuiſſent & reliqui. Si poſteà miſericordiæ tantùm eſſent effectus, admirationis quoque extaret origo: quare hæc cùm ſit infinita, ad primum præcisè ſe extendere vellet, ad alios autem nequaquàm. At quià, vt Auguſtinus tract. 44. de verbis Domini docet: Potentiæ, & Miſericordiæ quidem, ſed, & Sapientiæ ſimul opera erant. nulla admirationis relinquitur cauſa; ſed myſterium potiùs per hoc ſignificatum, inquirendum proponitur, quod (vt cæteros omittam) conſiderans Ambroſius lib. 2. de Sacramentis c. 2. dicit; quòd ſicuti per Angeli deſcenſum, Chriſti Domini figurabatur Aduentus; ſic per illum, qui curabatur, humanum genus ſignificari non eſt dubitandum: quod idcircò in vno figurabatur, non in multis; quia in vno homine infirmati ſunt omnes, & pòſt illum ſub eadem mortis damnatione tenebantur cuncti, vt Romanis ſignificauit Paulus, ad quos hunc ſcripſit in modū: *Per vnum hominem peccatum in hunc mūdum intrauit, & per peccatum mors; & ità in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* c. 5. Nihilominùs rei huius aliam ego reddens rationem, dico: quòd ideò ex tot languentibus, vnus curabatur ſolummodò, vt reſpectu malorum, quàm paruus bonorum ſit numerus, oſtendatur: quia ſi per infirmos, iuxtà multorum Patrum opinionem, peccatores; per ſanitati reſtitutum, iuſtus figurabatur & bonus: ergo quàm ęgrotantium copiæ vnitatem excedebant, tàm mali bonos ſuperant atque excedūt. Quod etiam eundem Ambroſium loco citato his verbis tetigiſſe puto. *Tunc, inquam, temporis in figura, qui prior deſcendiſſet, ſolus curabatur: quantò maior eſt gratia Eccleſiæ, in qua omnes ſaluantur, quicunque deſcendunt: ſed videte myſterium: venit Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad piſcinam, multi ægri iacebant, & facilè ibi multi ægri iacebant, vbi vnus tantummodò curabatur:* hactenus ipſe. Nos autem ad probationes, vt fas eſt, accedamus.

*Auguſt.*

*Ambroſ.*

*Ad Rom. c. 5.*

*Ambroſ.*

**Plures ſunt, qui damnātur, quàm qui ſaluantur.**

2 Quarum omniū, prima D. Chryſologi ſit obſeruatio; Cur Præcurſoris ortum, vitam, & mores ſcribere incipiens Lucas; impiíſſimi Herodis meminiſſe voluerit, dicendo: *Fuit in diebus Herodis, Regis Iudææ, ſacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abiæ?* c. 1. quòd Genitorem antè genitum ponat, optima ſcribendi ſeries, tùm vt genus agnoſcatur & origo, tùm etiam, ſicuti benè obſeruauit D. Ambroſius, vt parentum laudibus nobilitaretur ſoboles. Ad quid verò ſacrilegi Herodis mentionē etiam facere voluerit Euangeliſta, miratur non parum Chryſologus: & tandèm pòſt multam admirationē ſerm. 86. ſic concludit: *Dum dicitur, ſub quo Rege quis Sacerdos ſit, temperātur mala: adeſt ſemper in mærore ſolatium; Herodes veniens ex gente aliena, inuaſit Regnum, violauit ſacerdotium, confudit ordinem, mutauit mores, corrupit genus, tulit quicquid erat & diuinæ & humanæ funditùs diſciplinæ. Ne quid ergò tale & in ipſo Zacharia crederetur admiſſum, cogitur Euangeliſta dicere: fuit in diebus &c. Eò quòd impietatem Regis, iniquitatem temporis, ambitionis rabiem, temeritatis furorem, Sacerdotis & meritum ſuperauit & vita.* Satis clarè (vt opinior) dicere volens; quòd non ob aliud de Herode ſimul & Zacharia ſit mentio, vt illi, eiuſque temporibus opponeretur iſte, & vt à veritatis via, tunc aberrantibus cunctis, ſolùm hunc ſemper rectè ambulaſſe, agnoſceretur.

*Luc. c. 1.*

*Ambroſ.*

*Chryſolog.*

**Zachariæ ſanctitas**

**Iuſtus impio opponitur.**

3 Vlteriuſque procedens, & quæ Euangeliſta immediatè ſubdidit, perpendens: *Et uxor eius de filiabus Aaron, & nomen eius Eliſabeth. Erant autem iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus eius ſine querela.* idem Chryſologus clamat, & dicit: ergò ne Sancte ſcriptor, tantùm hi duo tunc Deum timebant, legem obſeruabant, & in iuſtificationibus incedebant? Ergo tunc temporis inter viros vnus, & inter mulieres vna ſolummodò coràm hominibus laudabiles, & coràm Deo iuſti apparebant? Proh dolor! Ità ſanè dicit ipſe: propterea ambo iuſti dicuntur; quia fortè perfectus tunc alter inueniri nequaquàm poterat: ipſum audi dicentem: *Hi in omnibus, in quibus nemo, uel pauci, In omnibus mandatis, & iuſtificationibus. Quis fumi neſcius cupiditatum tranſit incendia? Quis uitæ lubricum nūquàm lapſus euadit? Per uitiorum gurgites quis impollutus incedit? In Zacharia, & Eliſabeth omnis eſt amputata cauſatio: manet in duobus mens una, una ſanctitas in duobus.* ſerm.

*Luc. c. 1.*

**Zacharia, & Eliſabeth cur in Dei mandatis incedentes deſcribūtur?**

*Chryſol.*

**Pauci boni inter multos impios.**

Digitized by Google

ſerm. 4. de Annuntiatione, & Conceptione Ioannis. Quod ſi pluſquam uerũ eſt inter tot uirorum, mulierumque millia uix duos coràm Deo perfectos extitiſſe, quis bonos reſpectu malorum paucos non uocabit?

4 Sed utinam non in Iudæa tantùm; uerùm etiàm in toto orbe ſemper coràm Deo duo reperirentur perfecti! quia multoties uix unus inuenitur talis. Quod expreſſit ſacra pagina de Noè Geneſ. c. 6. loquens, quùm ait: *Noè uir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis.* Geneſ. c. 6. ubi pro generatione, tempus legit Chryſoſtomus hom. 23. ſuper idem, ut ſit ſenſus: tempore illo, quo aliud non abundabat, niſi malitia, nec aliud uidebatur, niſi nequitia; tempore, inquam, illo, in quo omnes declinauerant à uia ueritatis: quià ſolus Noè reperiebatur iuſtus; propterea non eius originis narratur ſeries, ſed temporis deſcribitur conditio: ut inter tot malos, ſolus ipſe Chryſoſt. intelligatur Iuſtus: ſic citatus Chryſoſtomus: *Noè uir iuſtus, atquè perfectus fuit* Vnus iuſtus inter tot iniuſtos. *in generationibus ſuis. In tempore illo, in generatione illa peruerſa, quæ adeò in malum declinauit, quòd neque ueſtigium uirtutis præ ſe ferre uoluit. In illa igitur generatione, in illis temporibus iuſtus ille, non ſolum uirtutem præ ſe tulit, ſed et in tantum peruenit uirtutis culmen perfectus, & in omnibus abſolutus.* Ex quibus docemur, quòd tempore iuſti Noè, ſolus ipſe inter tot hominum millia iuſtus reperiebatur & bonus.

5 Quod expreſſiùs ipſemet Deus Geneſ. c. 7. declarauit, quùm ait ad iuſtum: *Ingredere tu, & omnis Domus tua in Arcam: te enim uidi iuſtum coràm me in generatione hac.* Genet. 7. ſuper quæ uerba Chryſo- Chryſoſt. ſtomus hom. 24. *Te uidi iuſtum, te ſolùm inueni gratum, te ſolùm inueni uirtutis rationem habere: tu ſolus coràm me iuſtus in* Solus iuſtitatis apud Deum habetur. *omni generatione hac apparuiſti.* Quid ſi tunc Noè ſimilis extitiſſet aliquis? Quid ſi ut iſte in toto orbe alter iuſtus apparuiſſet? Sanè dici minimè potuiſſet: quià te uidi iuſtum: uerùm quoniàm, nec huic ſimilis, nec alter iuſtus in toto orbe reperiri poterat, ob id, non ut de Zacharia, & Eliſabeth, quòd erant Iuſti ambo dici poterat: ſed quià te uidi iuſtum, hoc eſt, te ſolùm in generatione iſta.

6 Nec tantùm temporibus Noe id accidiſſe reperio, quòd non duo iuſti ſimul, ſed uix unus in toto orbe reperiri potuerit; uerùm id etiam temporibus Iob accidiſſe, obſeruat Origen. lib. 1. in Iob. idque ex uerbis illis: *Vir erat in terra* Iob. c. 1. *Hus nomine Iob.* c. 1. facilè deducit, quia ſi ſolus Iob uocabatur uir, uiri alij non erant, ſed Belluæ; aliàs enim fruſtrà hoc nomen tributum eſſet iuſto, ſi cæteris conueniſſet. Sed ſi homo non natura fit bellua, ſed conditione redditur talis, quùm peccat, dicente Dauide: *Homo,* Pſal. 48. *cùm in honore eſſet, nõ intellexit: comparatus eſt Iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pſal. 48. Igitur ſi tunc ſolus Iob vocabatur vir, & cæteri iumenta, ſolus ipſe iuſtus erat, reliqui peccatores. Optima reuera deductio, & ab ipſomet Origene his verbis confirmata: *Vir erat* Origenes. *in terra Hus. Homo quidèm erat, non erat bellua cruenta, non erat ſerpens nequitia,* Quis verè vir? *non erat equus, neque mulus luxuria, non erat canis ſpurcitia; ſed homo erat: Non erant tales omnes homines, ſed unus erat ſolus, taliſque ex omnibus Iob beatiſſimus.* Iobi perfectio. Efficax probatio meo quidèm iudicio, per quam pluſquàm optari poteſt, oſtenditur, quòd multoties in toto orbe, totq; inter malos, vix vnus reperitur iuſtus.

7 Quià tamen Sanctiſſimi Iobi tetigimus hiſtoriam, Dæmonis cùm Domino expendamus colloquium, & videbimus, quòd interrogatus ille, vndè veniret: cùm reſpondiſſet: *Circuiui ter-* Iob. c. 1. *ram, & perambulaui eam:* illicò ſubdidit Dominus: *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob?* c. 1. Quia in re, cur ſe circuiſſe potiùs, quàm perambulaſſe aſſerat Diabolus, facilè intelligitur, tùm quià, qui tortuoſam habet voluntatem, rectum iter tenere non poteſt, tùm etiàm quia, qui recto graditur itinere, ad terminum tandèm vt perueniat eſt neceſſe: ſecùs autèm accidit illi, qui circulari motu mouetur, quia in illo terminum & finẽ neſcit: ſic Diabolus non per directum, ſed in circuitu ambulat; quià malitiæ ſuæ finem ignorat. Quod forsàn dicere voluit Dauid, quùm ait: *In circuitu impij* Pſal. 11. *ambulant.* Pſal. 11. Et demùm benè ſe circuiſſe aſſerit Satan; quià quietis impatiẽs ſemper noſtrã ruinam exoptat: vndè fideles cũctos monere cõſueuerat 1. epiſt. Petrus. c. 5. *Fratres ſobrij eſtote, & uigila-* Petri c. 5.

*te: quiâ aduerſarius ueſter Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Cur autem interrogaretur, An Iobum vidiſſet, cùm certum ſit, quòd ſi terram perambulauerat, & orbem totum circuiuerat, proculdubio Iobum vidiſſe erat neceſſe, haùd fàcilè intelligerem, niſi quidam nouus commentator huius hiſtoriæ difficultati ianuam aperuiſſet, dicendo; quòd Iobum propterea Dominus propoſuit, vt Diaboli retunderet ſuperbiam, qui terram totam perambulaſſe, terrenoſque cunctos ſe iure poſſidere iactabat: vt benè notauit Gregorius lib. 2. moral. c. 17. verba explicans illa: *Circuiui terram, & perambulaui eam*: quibus ſubdidit ipſe. *Ab Adam quippè ante aduentum Domini, omnium poſt ſe gentium nationes traxit. Circuiuit terram & perambulauit, quiâ per corda gentium iniquitatis ſuæ ueſtigia impreſſit. Cadens enim à ſublimibus, humanas mentes iure poſſedit, quiâ in culpæ ſuæ uinculo uolentes aſtrinxit*; ſic Gregorius. Quam Diaboli ſuperbiam conſiderans Dominus, & quiâ omnium cordibus ſuæ iniquitatis veſtigia ſe impreſſiſſe dicebat, iuſtum proponit, iuſtum nominat; immò iuſtum prædicat, & extollit; nè in poſterùm penitùs cunctorum dominium ſe obtinuiſſe iactaret, quia adhunc vnus erat, qui in omnibus mandatis, & iuſtificationibus viriliter incedebat. Sic præcitatus Iobi Commentator Pineda. *Non producit hic Deus aduerſus contumacias Dæmonis numeroſum famulitium hominum, ſed vnico ſerno contentus, vnicum proponit Iobum, vnicè dilectum, cuius ſe Deum, dominumque teſtatur.* Cui ſi alter ſimilis tunc extitiſſet, eum ad majorem dæmonis confuſionem abſquè dubio produxiſſet: quòd quiâ non egit, dicere quid cogemur, niſi quòd tunc in orbe alter fortaſſis non reperiebatur Iuſtus?

*Gregorius.*

Circuitus Diaboli quis ſit?

*Pineda.*

Vno iuſto Deus cõtra Dæmonem vtitur.

8 Verum adeò eſt id modò dictum, quòd, vt placuit Gilberto Abbati ſerm. 4. in Cant. Iobi imaginem per totum orbem circunducere decreuit Altiſſimus, vt vnum perfectum inter tot crimino ſos exiſtere, tàm homines intelligerent, quàm Angeli, nè fortè nec hunc reperiri exiſtimarent: cuius verba ſunt iſta: *Circuiuit Iob, immò circumductus eſt magis à Domino per terræ fundamenta, per menſuram, per lineam, & baſes, & lapidem angularem, & aſtra matutina, ad filiorum Dei iubilum.* Paruum equidem ſolatium, paruum leuamen, omnium vitijs vnius ſolummodò opponere virtutes: ſed aliquale non tantùm hominum, & Angelorum; ſed ipſius etiam Dei oblectamentum, inter multorum offenſas vnius honorari obſequijs.

*Gilibertus Abbas.*

Iuſtus à Deo per totum orbem ducitur in iubilũ

9 Præterea Vgo Cardinalis ſuper verba illa Pſalm. 64. *Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti*, diligenter inquirit; quare in ſingulari loqui maluerit Propheta, quàm in plurali? Si dicere potuiſſet: Beati, quos elegiſti, & aſſumpſiſti, maximè cùm pro certo habeamus, non vnum, ſed multos eſſe electos, multoſque aſſumptos: Quod ſignificare voluit Paulus, prædeſtinationis ſeriem deſcribendo, quùm ait: *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit: quos uocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Ad Rom. 8. Verùm non ab re, nec ſine peculiari Spiritus Sancti inſpiratione, ſic Dauid eſſe locutum aſſerit præcitatus Vgo, vt videlicèt quàm reſpectu malorum exiguus ſit bonorum numerus, declararet, ſic ipſe citato in loco. *Non dicit pluralitèr, Beati, quos elegiſti, ut notet, quoniam & ſi multi ſunt uocati, pauci tamen electi, & pauciſſimi aſſumpti, ut dicitur Matt. 20. & 1. Corint. 9. Omnes, qui in ſtadio currunt, omnes quidèm currunt, ſed unus accipit brauium.*

*Pſal. 63.*

*Ad Rom. c. 8.*

*Vgo Card.*

Quàm exiguus bonorum numerus reſpectu malorum.

10 Hac fortaſsè de cauſa, quàm latam vocauit Saluator Inferni viam, & quàm ſpatioſam Tartari portam; tàm eſſe arctum Cæli iter, & tàm eſſe anguſtam æternæ Patriæ ianuam aſſerit: ait ipſe per Matth. *Lata eſt porta, & ſpatioſa uia eſt, quæ ducit ad perditionem: quàm anguſta eſt porta, et arcta uia eſt, quæ ducit ad uitam.* c. 7. Rationem autem quare ſic contrariæ ſint viæ & portæ iſtæ, ſaltem tacitè reddit ipſe Saluator, quùm ait: quiâ multi ſunt, qui per illam intrant, pauci autem qui iſtam inueniunt: Ac ſi clarius diceret; quòd ſit admodùm lata perditionis via, & quòd nimis ſpatioſa ſit Inferni ianua, ne miremini; quiâ tanta ambulantium, atquè intrantium eſt multitudo, quòd ſi aliter eſſet, fluctuantes capere nequaquàm poſſet: Cœli autem via propterea adeò arcta eſt, quòd ſemita vocari ſolet & callis, quia

*Matth. c. 7.*

rari

rari ſunt, qui per eam ambulant; vndè quantuncunque anguſta ſit, nunquàm tamèn coanguſtantur terentes: propter quod etiam paruus eſt aditus; quia pauci ſunt, qui per illum intrant. Ambroſium hùc adduco rem ſubtilitèr confirmantem atque dicentem: *Duæ ſunt uiæ, una iuſtorum, altera peccatorum; una æquitatis, altera iniquitatis: iuſtorum uia anguſtior eſt, iniuſtorum latior; illa ſobrietatis anguſtior, hæc ebrietatis latior, ut poſſit capere fluctuantes.* ſuper Pſal. 1. Sanè, quàm exiguus ſit iuſtorum numerus vides, dùm arcta ſemita, ſtrictuſque callis: immò quantuncunque anguſta porta iuſtos facilè capit & admittit ad Patriam.

*Ambroſ.*

Via perditionis cur ampla?

11 In cuius rei figura, de Salomonis Templo me legiſſe memini, quòd ab Atrio excedebatur non parùm, quia Atrium tàm in longitudine, quàm in latitudine erat centum cubitorum: Templum verò ſexaginta cubitos in longitudine non excedebat, nec in latitudine triginta, cauſam autem ob quam Atrium ſic Templum excedere debebat, aſsignat D. Bernardinus Senenſis, tom. 2. Sabb. pòſt Dominicam primam ſerm. 16. art. 1. dicens; quòd ſicut per Atrium, quod foris eſt, mundus & mundani figurabatur: ſic per Templum, iuſti ſignificabantur & boni: quia verò mundani plures ſunt, quàm boni: propterea Templum ab Atrio non parùm excedebatur, vt quàm ab hoc illud, tàm boni ab iniquis agnoſcantur excedi. Perbellè præfatus Bernardinus hoc confirmauit, dicendo: *Templum vtique Salomonis minoris menſuræ erat, quàm Atrium; vt dicitur 3. Reg. 6. Atrium uerò centum &c. Quid igitur per Atrium, niſi multitudo peccantium ſignatur, quæ reſpectu iuſtorum, qui Dei ſunt Templum, incomparabiliter maiori numero in quolibet principatu reperitur?* Inſignis figura, ac optima equidem verba, paucitatem iuſtorum oſtendentia, & præcipuè illa: *Niſi multitudo peccantiũ, quæ reſpectu iuſtorum, qui Dei ſunt Templum, incomparabiliter maiori numero in quolibet principatu reperitur?* De qua paucitate per Prophetarum ora conqueritur Dominus, quùm iuſtos racemis comparat, peccatores vindemiæ: ſic ipſe per Micheam: *Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in Autumno racemos uindemiæ.* c. 7. Et per Iſaiã. *Et racemi, cùm fuerit finita uindemia.* c. 24. Quia quàm uindemia racemos ſuperat, tam boni exceduntur à malis. Quod expreſſit Cardinalis Vgo, ſuper cap. 7. Matth. *Iuſtorum hæc paucitatem ſignificant, & tamen mirum eſt, quòd quilibet credit eſſe de iſta paucitate.* Cauſam nunc percipe, qui legis, cur ex tot languentibus, vnus curaretur ſolummodò. Vt incomparatione huius vindemiæ, quàm pauci ſint racemi, cognoſcas.

*Bernardin. Senenſ.*

Templum Salomonis cur Atrio minus?

*Mich. c. 7.*

*Iſai. c. 24.*

*Vgo Card.*

## Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet quià iàm multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri? Ioannis. 5.

### §. III.

*Quæcunque pretioſo theſauro pretioſiores cùm ſint ærumnæ, non eas abijcere; ſed fortitèr ne fugiant amplexari debemus.*

1 Diuerſimodè diuerſi de hac interrogatione, *Vis ſanus fieri?* loquuntur: nàm vt ſentit D. Chryſoſtomus hom. 35. in Ioannem: non ob aliud hoc dictum fuit, niſi, vt in diuturno languore, in hominum deſtitutione, in doloribus & egeſtatibus, quàm inconcuſſam languidus iſte patientiam ſeruaſſet, oſtenderetur: cuius verba ſunt iſta: *Non quæris, eò quòd dubitaret, eſset enim abſurdum: ſed vt illius oſtenderet tolerantiam, vt intelligamus, quare poſthabitis cæteris ad hunc venerit.* Ericius autem, vt ad valetudinis deſiderium penè deſperantem accenderet: ſic autumat fuiſſe quæſitum, quùm dicit: *Sanaturus Dominus infirmũ diuturno languore tabeſcentem; vtrũ vellet ſanus fieri interrogat: non quia id uelle ignoraret, ſed vt eum ad maius ſanitatis deſiderium accenderet. qui iàm longa decubatione penè ſalutem deſperauerat, nec pro ſua reſtauratione rogare noucrat.* Et nè varias variorum Sanctorum Patrum

*Ioan. c. 5.*

*Chryſoſt.*

*Ericius.*

trum ſententias afferendo, in longum ſermonem protraham, vnum dicam, à quo nullus, nec diſcordat, nec diſcordare poteſt, & eſt: quòd non ex ignorantia tale procedebat quæſitũ, cùm quærentis oculis omnia eſſent nuda, & aperta: ſed vt quid de ærumnis languidus ſentiret, nobis innoteſceret: quæ quia ſciebat celeſtis hic medicus æſtimari quàm debeant, propterea, an ſanus fieri vellet, interrogat: ac ſi diceret: cùm pretioſus theſaurus ſit tribulatio; immò celeſtis margarita cùm ſit afflictio: an illum paruipendere, iſtamque proijcere velis, non mihi, ſed vt aſtantibus, poſteriſque cunctis declares, interrogo: cuius theſauri pretium, ſi languidus iſte cognouiſſet, ad aquas non cucurriſſet, in porticis non manſiſſet, hominum dexteras non poſtulaſſet, & denique de omnium deſtitutione nõ queſtus eſſet, hominem ſe non habere, reſpondendo; ſed Habacuc ſecutus fuiſſet dicẽdo: *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat. Vt requieſcam in die tribulationis: vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum*. cap. 3. Et Hieronymum præueniſſet gloſſantem: *libenter patior, quod paſſus eſt Iob, non ſolùm carnes meas, ſed & medullas quoque oſſium, cupio tabefieri, & ſtratum meum putredine, & innumeris ſcatere vermibus, & poſtquam hic pro peccatis meis, hæc ſuſtinuero, requieſcã in die amara, & aſcendam ad populum bellatorem*. Quod quia, vt languidus iſte, multi minimè capiunt; propterea, vt in poſterùm, non odio, ſed amore tribulationes proſequantur, quę dicturus ſum audiant quęſo.

*Habacuc c. 3.* Iuſti plus quam libenter tribulationes amplexantur. *Hieronym.*

2 Aureo ſemper qui loquutus eſt ore Chryſoſt. Pauli vincula, carceres, inedias & preſſuras conſiderans, aurea hæc protulit verba in ſerm. 8. ſup. Epiſt. Pauli ad Epheſios. *Si quis mihi; vel vniuerſi Cęli, vel huius Catenæ copiam & optionem daturus eſſet, Catenam hãc Ego planè elegiſſem: deindè ſi aut mihi, cum Angelis ſtandum eſſet ſurſum, aut cùm Paulo vincto, carcerem vtique præoptaſſem; ad hæc ſi quis me, aut in numerum, & ordinem cæleſtium poteſtatum, earum etiam, quæ propè ſunt thronũ Dei, aut talem ligatum feciſſet, talis vtique ligatus eſſe vellem*. Et infra, Petrũ in vinculis conſiderans, ſic dicit: *Si mihi quiſquam dixiſſet: elige vtrùm velis eſſe Angelus Petrum ſoluens, an Petrus ſeruatus? Petrus vtique maluiſſem eſſe propter quem & Angelus deſcendit*: hactenus ipſe. Quibus ſatis clarè oſtenditur, quòd non odibiles, ſed amabiles & optabiles ſunt ærumnæ, cùm pro Chriſto mallet pati Chryſoſtomus, quàm cum Chriſto regnare: dum in tetris, fœtidiſq; carceribus cum Petro, & Paulo, ſi ſibi conceſſa fuiſſet electio, includi mallet, quàm inter Angelorum Choros gloriæ Conditoris aſſiſtere. Quod pòſt ipſum Diuam etiam Catharinam Senenſem libentèr elegiſſe ſcribit D. Antoninus in vita eiuſdem, his verbis. *Nulla res exterior Diuam Catharinam tãtùm in hac vita refrigerabat, quantùm paſſiones, & tribulationes, ſine quibus impatientiſſimè fletiſſet in corpore; ſed propter has ſuſtinendas libentèr portabat coronæ cæleſtis dilationẽ*. Optima planè Chriſti Diſcipula, quæ Dñum & Magiſtrũ pro ſe paſſioni deditum iugitèr conſiderans, à paſſionibus diuelli minimè poterat, etiam ſi cęleſtis Patriæ gaudijs frui pro libito licuiſſet.

*Chryſoſt.* Erga tribulationes Sãctorum affectus.

D. Antonin. Diua Catharina Senenſis plus, quodammodo pati, quã beari optabat.

3 Cuius etiam ſententiæ, quòd ſic amabiles ſint preſſuræ, quòd pro Deo etiam cœleſti beatitudini præferendæ ſint, antè Catharinam, & Chryſoſtomũ, Iacob etiam fuiſſe obſeruat D. Auguſt. idque ex ipſius Iacob verbis. *Congregamini, & audite filij Iacob, audite Iſrael patrem veſtrum*. Geneſ. 49. Colligit tract. 10. de verbis Domini ſerm. 40. Vbi quęſtionem mouet: Cur Iacob pòſt nominis mutationem, Iacob, & Iſrael ſe nuncupare voluit: Abraham verò ſemel ſic à Deo nocatus, ampliùs priori nomine uocari ſemper renuit? *Quærite ſcripturas, & videte quòd accepto alio nomine Abraham, non aliter uocatus eſt, niſi Abraham, accepto alio nomine Iacob, & Iacob vocatus eſt, & Iſrael: Cur hoc?* Cui tandem difficultati ſatisfacit idem Auguſtinus dicendo: Quòd cũ Iſrael idem ſonet, ac vidẽs Deum Beatis potiùs, qui Deum iugitèr vident quàm viatoribus conuenit: Iacob poſteà, quòd idem eſt, atq; ſupplantator & luctator; viatores, qui non contra carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & poteſtates tenebrarum harum luctari non ceſſant, ſignificat. Eſt igitur Iacob, nomen pugnæ, luctaminis, tribulationis, & ærumnæ: Iſrael au-

*Geneſ. c. 49*

*Auguſt.*

tem

tem quietis, pacis, præmiorum, & gaudij. Quod noſcens Sanctus Patriarcha, vt ille, qui non triumphare, & coronari ſolummodò; ſed pugnare, & luctari etiã optabat, & Iacob ſe nominat, & Iſrael: Ità præcitatus Auguſtinus. *Nomen Iſrael ad alterum ſeculum pertinet, vbi videbimus Deum, populus ergo Dei in hoc tempore, & Iacob eſt, & Iſrael: Iacob in re, Iſrael in ſpe*: Sed quod notatu dignum duco, eſt: quòd priùs Iacob, quàm Iſrael ſe nuncupare voluit. *Congregamini, & audite filij Iacob, audite Iſrael*: Quia ſi per primũ, luctamen, pugnæ, & dolores: per ſecũdum autem, Dei viſio, & beatitudo inſinuabatur: priùs Iacob ſe vocat, quàm Iſrael, vt priùs ſe tribulationes pro Deo, quàm coronas eligere oſtenderet. Vgonis fuit iſta ſubtilitas, ſic dicentis. *Quid eſt, quòd duplici nomine ſe nominat, Iacob, & Iſrael? Iacob quando inuitat ad luctam, Iſrael quando vocat ad quietem*. Meritò lucta quieti præponitur, quia nedùm per luctam ad quietem peruenitur, verũ pro Deo cæleſti quieti ẽporales pugnas libentèr præponebãt Sancti.

*Auguſt.* Populus Dei eſt Iacob, & Iſrael & quomodo.

*Geneſ. c. 49.*

*Vgo Card.* Preſſuras beatitudini præponunt Sancti.

4 Nec mirum, quòd labores, & ærumnas tanti fecerint Sancti; quia non uulgares, ſed impretiabiles ſunt theſauri. Vndè ſuper uerba illa 2. Corint. 4. *Momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: Lyranus quærit: cur gloriæ *Pondus* addere uoluerit Paulus, & dicit: *Pondus ratione pretioſitatis, quia pretioſa communi modo loquendi dicuntur magni ponderis*. Et Bernardus ſerm. 17. ſuper Pſal. Qui habitat, perpendes uerba illa Saluatoris. *Simile eſt Regnum Cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo præ gaudio illius vadit, & uendit uniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum*. Matth. 13. Quiſnam hic ſit theſaurus, qui ob magnam pretioſitatem ſic diligentèr abſconditur, ſubtilitèr inquirit: & dicit; quòd aliud non eſt, niſi afflictio, quæ cũ omni pretioſo theſauro pretioſior ſit, & theſaurus, & abſconditus dicitur, vt ſeruetur: quem uenditis omnibus, hoc eſt, familiaribus, terrenìſque cunctis poſthabitis, ut comparare poſſimus, ſtudere debemus. Nil aliter in præcitato loco Bernard. *Latet gloria, fratres mei, abſcondita nobis eſt in tribulatione: in momentaneo hoc, latet æternitas*.

*2. Corinth. c. 4.*

*Lyranus.*

*Matt. c. 13.*

*Bernard.* Gloria eſt in tribulatione abſcondita.

*in hoc leui, pondus ſublime, & ſupra modũ: interim ergò feſtinemus emere nobis agrum iſtum, quia abſconditus eſt in agone, omne gaudium exiſtimantes eùm in uarias incideritis tribulationes*.

5 Cuius Theſauri pretioſitatem, niſi agnouiſſet Ioſeph, in fratrum ſaccis pecunias includi minimè iuſſiſſet. *Iuſſit Miniſtris, ut implerent eorum ſaccos tritico, & reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis*. Geneſ. 42. Verùm quia, quot laboribus, & ærumnis; immò quot uitæ diſcriminibus expoſitus fuerat, tot ab eis cæleſtes gemmas, & ineſtimabiles margaritas ſe accepiſſe agnoſcebat; proptereà in ſacculis, ultrà frumẽtum, pecunias reponi iuſſit, ut benefactores ſuos remuneraret, & illos, qui ſe tribulationibus ditauerant, ditaret. Chryſoſtomus hom: 64. ex cap. Geneſ. 42. *Vide quàm religioſè eos remuneret, etiam inuitis eis benefacit: non frumentum ſolùm dedit, ſed etiam pecuniam*: quod idem eſt, ac dicere: quia quanti ponderis eſſent, quæ à fratribus acceperat Ioſeph intelligebat: ideò frumẽta tribuit, pecunias donat, & muneribus ditat, ut agnoſcerent fratres, quòd quæ paſſus fuerat, non odio proſequebatur, ſed amore, & quæ gratis acceperat, uenditis omnibus, denuò comparaſſet, ſi adfuiſſet occaſio.

*Gen. c. 42.*

*Chryſoſt.* Iniuriæ etiã pecunijs cõpenſandæ.

6. Nec pecunijs tantùm hic impretiabilis theſaurus emi debet; ſed diuitiæ ſi deſint, illum laboribus, & ſudoribus comparare debemus. Quod Diſcipulis ſignificare voluit cæleſtis Magiſter, cùm ait: *Cùm autem perſequentur vos in Ciuitate iſta, fugite in aliam*. Matth. 10. Quæ verba Tertullianum inter cæteros in ſtuporem adduxerunt, qui in lib. de fuga, contineri nõ potuit, quin diceret: ſi ad luctamina, ad bella, ad pugnas, & pericula Apoſtolos incendiſti, ò Domine, & quod maius eſt, ſi pericula non timere, plagas non formidare, & mortẽ pro te paruipendere docuiſti: quomodò nunc primis incurſibus cedẽdo, eos fugam arripere, pedibuſque ſe dare iniungis? Cæterùm ſubtiliùs rem ſi perpẽdo (dicit ipſe) in verbis myſterium latere, & in fuga aliquid abſcondi intelligo, & eſt: quòd non vt perſecutiones fugiant, fugam præcipis; ſed vt ipſi tribulationes inſequantur, alias quærere Ciuitates iniungis, vt ſcilicèt, ſi fortè, ali-

*Matt. c. 10.* Tribulationes pecunijs, & laboribus comparandæ.

Digitized by Google

alicuius Ciuitatis quandoquè aduerſùs eos eſſet expleta perſecutio, & ſedata indignatio, currant in aliam, vt ebulliente ibi furore, non primas fugiant, ſed nouas ſemper ſubeant preſſuras: cuius verba ſunt iſta. *Fugiant in aliã, non quaſi tacitè in aliquam Ciuitatem fugiendum erat; ſed quaſi ubique annunciaueris, & ex hoc ubique perſecutiones ſubiturus.* Audis quare Ciuitates relinquendæ, & quare aliæ ſint quærendæ, vt itineribus, laboribus, & ſudoribus nouas patiendi occaſiones venari poſſimus, quæ nos vbique expectant. Quod nè gratis dictum, exiſtimes, quid poſt Aſiæ tribulationes de ſe diceret Paulus, audi, ſi libet. *Vos ſcitis, à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualitèr vobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cùm omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidijs Iudæorum. Et nunc ecce alligatus ego ſpiritu, vado in Ieruſalem.* Act. 20. Sed cur, ò Paule, relicta Aſia, Ieruſalem pergis? Nunquid perſecutiones formidas, & perſecutoribus terga vertere putas? Nequaquam ſanè: ſed quia penè frigeſcente iam in Aſia perſecutione, nouo patiendi ardore incenſus, vbi eam magis feruere agnoſcis, eò libentèr pergis, nouos ſemper vt ſubeas dolores: quod ſatis apertè explicas, quùm ſubdis. *Quæ in ea ventura ſunt mihi, ignorans: niſi quòd Spiritus Sanctus per omnes Ciuitates mihi proteſtatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Ieroſolymis me manent. Sed nihil horum uereor:* hoc eſt, non timeo, nõ formido, nec fugio; ſed amo, quæro, & inuenire exopto. Graphicè Carthuſianus explicationem confirmauit iſtam art. 20. *Tribulationes Ieroſolymis me manent, hoc eſt, expectant: ſicque certus ſum reuelatione illorum, & quòd ibidem ligabor, captusque tenebor, ac tribulabor: ſed nihil horum vereor, ideſt, aduerſa pro Chriſto pati nõ timeo; nec eos, qui corpus occidunt formido: quia iàm ad talem patientiæ gradum, culmenque deueni, vt in omni tribulatione læter ex animo, & incõcuſſus mente permaneam.* hactenus ipſe. Ex quibus ſatis patet, cur Paulus relicta Aſia, Ieroſolymã pergeret: quia non vt tribulationes fugeret & dolores; ſed vt nouas venaretur patiendi occaſiones itineribus ſe dedit, periculiſq; ſe expoſuit, quod ſupta modum declarant verba illa: *Quoniã vincula, & tribulationes Ieroſolymis me manent:* Quæ à Lyrano, & Carthuſiano gloſſantur: *Vincula, & tribulationes Ieroſolymis me expectant:* A quibus cùm ſe expectari agnoſceret, libentiùs, quàm ad gaudia inuitatus feſtinabat.

Tertull.

Perſecutiones ſemper ſuſtinendæ.

Act. c. 20.

Ibidem.

Patiendi occaſiones venabatur Paulus.

Carthuſ.

Tribulationum nouæ occaſiones captandæ.

7 Planè pecunijs non tantùm, & laboribus hic theſaurus acquiri debet; ſed adeò pretioſus eſt, quòd ſi vita ipſa comparetur, vili proculdubio, non carò emetur. Meum non eſt hoc, quod dico; ſed Euthymij, qui ſuper locum illum Luc. *Qui non habet gladium, uendat tunicam, & emat.* c. 22. per tunicam corpus, & vitam intelligit, iuxtà illud Pauli ad Philipp. 2. *In ſimilitudinem hominum factus, et habitu inuentus, ut homo:* per gladium verò tribulationes, & cædes inſinuari aſſerit, vt verborum iſtorum: *Qui non habet gladium, uendat tunicam, & emat,* iſte ſit ſenſus: qui tribulationes nõ patitur, afflictionibus non premitur, nec doloribus angitur, vt theſauro iſto diteſcat, vendat tunicam, hoc eſt, vinculis, carceribus, & morti ſe libentèr exponat, vt tali theſauro dignus reddatur: quod qui fecerit, nec multùm pro illo ſe impendiſſe exiſtimet; ſed impretiabilem rem vili emiſſe intelligat: ità Euthymius. *Iubet, vt vendant tunicam, & emant gladium, ideſt, tradãt corpus, vt mortem recipiant.* Sanè vides, quòd non tantùm pecunijs, & laboribus, ſed vita etiàm hic pretioſus theſaurus comparari debet.

Luc. c. 22.

Theſaurus gloriæ tribulationibus creſcit.

Ad Philip. c. 2.

Euthymius.

Tunicam vendit, & gladiũ emit, qui pro Deo ſe morti exponit.

8 Acquiſitus poſteà, quàm ſedulè aſſeruari debeat, nè deprædemur, & quod tot, tantiſq; laboribus fuerat acquiſitùm, nè ex incuria deperdatur, docuit ipſemet Saluator, qui morti propinquus Ieroſolymam verſùs cum Diſcipulis, multiſque ſequentibus incedẽs, vt illam conſcendit, relictis omnibus, ſeorſùm, immò vt Matth. cap. 20. ait: ſecretò vocauit Apoſtolos. *Aſſumpſit Diſcipulos ſuos ſecretò:* eoſque Paſſionis ſuæ, & mortis, nemine penitùs præter ipſos audiente, commonefecit, dicendo: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis: & condemnabunt eum morte, & tradẽt eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Cauſam autem ob quam non publicè, ſed ſecretè de

Matt. c. 20.

paſ-

paſſione, & morte; loqui voluerit Saluator, affert Imperfectus hom. 35. in Matth. vbi habet: quòd ſicut pretioſus theſaurus non omnium oculis ſolet exponi, nè ſurripiatur, ſed amicorum ſolummodò, qui amici gratulantur diuitijs; ſic labores, & afflictiones omni pretioſo theſauro pretioſiores cùm ſint, non omnibus exponi debebant; ſed Diſcipulis diſcooperiendæ erant ſolummodò. Venuſtè in recenſita homilia Imperfectus: *Cum turba plurima fidelium eum ſequeretur in via, duodecim Apoſtolos ſuos tulit in ſecreto, & illis tantummodò mortis ſuæ annunciauit myſterium; quia ſemper pretioſior theſaurus in melioribus vaſis abſconditur:* ſic ipſe. Quibus & quàm pretioſus hic ſit theſaurus, & quàm illum diligenter abſcondere debeamus, oſtenditur.

Tribulationũ theſaurus abſcõdẽdus.

Imperfect.

Quã pretioſus tribulationum theſaurus.

Ad hoc, de quo loquimur, rem nunc omni ſtupore dignam adducam, & eſt: quòd cum Iob iniquis plagis eſſet affectus, cùm à planta pedis vſque ad verticem capitis lepra coopertus; & vndique ex putridis vlceribus vermes ſcaturirent & pus: Chirurgos non vocabat, medicinas non adhibebat, oleũ plagis non infundebat, nec ipſas aliqualiter lauabat: ſed (vt ait ſacer Textus) *Teſta ſaniem radebat*, c. 2. Quod conſiderans Origenes lib. 2. in Iob ſtupore plenus in hunc modum eum alloquitur: *Ob quam rem hæc facis, ò Iob! cur hunc dolorem exaſperas? Cur exaggeras, teſta radendo, hoc lamentabile vulnus, atque ſæuiſſimam hanc plagam? Potius debueras lauare, fouere, & vngere.* Et tandem concludit: quòd patiendi ardore incenſus, nondum doloribus ſaturatus, non vt illos minueret; ſed vt ipſos augeret, plagas teſta renouabat & vlcera: *Aduertite, ò viri, ob hoc raſit Iob vulnera ſua teſta, non quòd non ei valdè doluiſſent, ſed ob hoc raſit teſta, vt nobis patientiæ, & tolerantiæ normam daret.* Optima planè expoſitio: ſed mihi non totaliter ſatisfacit: quia eſtò, dolorem per hoc augere, non minuere ſtuderet: cur teſta potiùs, quàm lapide, vel ligno hoc efficiebat? Cui difficultati ſupra modum ſubtiliter Chryſoſtomum occurriſſe, reperio; qui ait: quòd in teſtaceis vaſis ſi recludi ſolent theſauri, & ſiuè in terra, ſiuè in parietibus, vel quibuſuis in locis, facili-

Iob c. 2.

Origen.

Iob cur teſta ſaniem radebat.

Idem.

ùs abſcondantur: meritò nõ alio, quàm teſta ſaniem radebat Iob; quia cùm hanc, cæteraſque preſſuras non vulgarẽ eſſe theſaurum agnoſceret; deprædari timens, in teſtaceis vaſis illum recludebat, vt quò cautiùs ſeruaretur, eò tutiùs, quod poſteà dicturus erat Paulus, dicere poſſet: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* 2. Corint. 4. Viuat ſemper Chryſoſtomi memoria, qui hanc inuenit ſubtilitatem, dicendo: *Teſtam accipit, qua ſanies ſerueretur: teſta quidem ſaniem ebulliebat, hoſtis verò patientia frangebatur. Decuit & ipſum dicere habentem teſtam: Habemus theſaurum in vaſis fictilibus.* homil. 4. de patientia Iob. Quæ omnia ſi agnouiſſet languidus iſte, vt Petrus ille, qui fractis vinculis, ruptiſque ſeris, libero patente aditu, nè tribulationes fugere, ſed fortiter amplexari videretur, egredi minimè volebat: vndè poſt ſuaſiones, & incitamenta, Angelus impulſibus, & pugnis, & eum extrahuit, & egredi compulit. Vndè Bernardinus Senenſis. tom. 1. Sabb. poſt Ciner. ſerm. 9. art. 2. cap. 1. verba conſiderans illa: *Percuſſoque latere Petri, excitauit eum, dicens: ſurge velociter.* Actor. 12. ait: quòd nec voluntariè, nec libentèr; ſed inuitè & violenter, nè Angelo reſiſtere velle putaretur; vincula reliquit Petrus & Carcerem: *Angeli ſuaſu Herodis vincula & Carcerem dereliquit Petrus.* Sic & languidus, inquã, iſte ad interrogationem à Saluatore factã: *Vis ſanus fieri?* andacter vtiquè reſpondiſſet: nolo Domino; ſed potius hic vre, hic ſeca, vt in æternũ parcas.

2. Cor. c. 4.

Chryſoſt.

Iob in teſta theſaurum patientiæ cõſeruabat.

Act. c. 12.

Bernar. Senenſ.

Inuitè Petrus carcerẽ reliquit & vincula.

## Surge tolle grabatum tuũ, & ambula. Ioan. 5.

### §. IV.

*Virtutis qui ingreditur ſtadium indeſinentèr procedere, immò vſque ad metam Gigantũ greſſibus currere ſemper debet.*

1 CVm Peccatoris figuram, iuxtà communem Sanctorum Patrum opinionem, languidus iſte geſtaret, eò quòd

S qua-

quadragenariũ numerũ, qui legis plenitudinẽ, & rectę cõuerſationis perfectionem ſignificat, nondũ attigiſſet; ſed duo minùs habebat: quia videlicèt illũ, qui Dei, & proximi charitatem non habet, figurabat: Ità inter cæteros Beda: *Homo iſte multorum infirmitatè detentus annorum, ſignificat peccatorem, cuius ſignificando reatui, etiam ortus temporis, quo iſte languebat, congruit; quia quadragenarius numerus, qui denario quater ducto cõficitur, pro perfectione rectę conuerſationis ſolet in ſcripturis accipi: quia quiſquis perfecta conuerſatione ſe gerit, legis profectò decalogum, per quatuor Sancti Euangelij libros implet. A qua nimirùm perfectione duo minùs habet, qui Dei & proximi dilectione, quam legis pariter & Euangelij ſcriptura commendat, vacuus incedit*: hactenus ipſe. Iure optimo & ſurgere (quia priſtinam conuerſationem relinquendo, ad amorem Dei & Proximi conſurgere debebat) & ambulare iubetur: quia qui virtutis iter ſemel terere cæpit, non ſiſtere, ſed ad brauium vſque virtutum greſſibus ambulare indeſinenter debet. Nil alitèr citatus Beda explicans verbum illud; *Ambula. Hoc eſt, toto corde, tota anima, tota virtute Deum diligens, vt ad eius viſionem pertingere merearis, quotidianis bonorum operum paſſibus de virtute in virtutem progredere*. Qui in virtute profectus vltrà ſacros Scriptores, & præcipuè Dauid, qui in pſal. 83. ait: *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorũ in Sion*: ipſis Gentilibus ſatis innotuit: nàm Diogenes, (vt cæteros omittam) ſicuti lib. 6. ſcribit Laertius: cuidam monenti, vt iàm ſenex quieſceret à laboribus, audacter reſpondit: *Quid ſi in ſtadio currerem? Vtrùm oporteret iàm meta vicinum curſum remittere, an magis intendere?* Optima ſanè reſponſio, ex naturali motu fortè deſumpta, qui in fine ſemper velocior eſt, quàm in principio. Verùm ſi hoc fidei lumine carens dicere nouit; dicere quid debebat Paulus, qui diuino ducebatur Spiritu? Profectò nil aliud, quàm quod de ſe Philippenſibus ſcripſit, quàm ait: *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autèm, quæ quidèm retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor*. cap. 3. Quæ verba conſiderans Diuus Ambroſius ſuper pſal. 83. ſic habet: *Quicumque Sanctus quotidiè in priora extenditur, & præteritorum obliuiſcitur, fælix eſt; qui quotidiè proficit, qui non conſiderat quid heri fecerit; ſed quid hodie faciat, vt proficiat*. Hoc languido mãdatur, quùm dicitur: *Surge & ambula*; hoc animæ, ſub ſponſæ figura, à ſponſo ſuadetur his verbis: *Surge, propera Amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni*. Cant. 2. Et de hoc in præſentiarum, dùm fandi mihi tribuitur materia, loquar.

*Beda.* — *Idem.* — **Fideli ſẽper in virtutibus gradiẽdum eſt.** — *Pſal. 83.* — *Laertius.* — *Ad Philip. c. 3.* — *Ambroſ.* — *Cant. c. 2.*

2 Paulus, qui ſemper diuino ſpiritu ducebatur, Galatas hunc hortabatur in modum: *Si ſpiritu viuimus, Spiritu & ambulemus*. cap. 5. ac ſi diceret: ſi Dei ſpiritu, qui mortuos viuificat, è peccati morte reſurreximus, & iuxtà Dei beneplacitum, per eius gratiam viuere cæpimus, ſpiritu ambulemus: de virtute procedamus in uirtutem; & ſemper noua perfectionis accrementa quæramus: aliàs enim ſi fecerimus, nequaquàm Dei ſpiritu viuere oſtendemus: quia ſi vita infantis in matris vtero cõſtituti, aliundè non arguitur, niſi ex motu; ſic in virtute infantes, in ſpiritali Matris Eccleſiæ gremio viuere non dicentur, niſi, quę rettò ſunt, obliuiſcantur, & ad ea, quæ priora ſunt, ſe extendant. Quam expoſitionem confirmauit D. Bernardinus Senenſis tom. 4. de maniſeſtatione Spiritus Sancti ſerm. 8. cap. 2. vbi relatis Pauli verbis: *Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus*: ſubdidit ipſe: *Scilicet, proficiendo de die in diem per opera bona: cùm enim in vtero fætus mouetur, manifeſtum ſignum eſt, quòd animatus ſit: ſic profectò contingit in homine; nàm cùm in via iuſtitiæ mouetur per bona opera, apparet, quòd de Spiritu Sancto viuat*. Vndè Præcurſorem in matris vtero ſaltantẽ, & Virginem pòſt Verbi Incarnationem in montana pergentem, conſiderans, ait; quòd primus materna quatiebat viſcera, ventriſque carcerem rumpere contendebat, vt ſe Dei ſpiritu viuere incepiſſe, oſtenderet: & quòd eodem ſpiritu roboratus infantiæ non noſcens ætatem, ex vtero priùs quàm egrederetur, precurrere feſtinabat: in cuius perſona Chryſoſtomus: *Acceſſit, qui ſoluit vincula: & quid ego ſedeo vinctus, et retineor, ut maneam? Exibo, præcurram, et prædicabo omnibus*. Secunda autèm per nouã gratiarum & donorum receptionem no-

*Ad Galat. c. 5.* — *Bernardin. Senenſ.* — **Viuit, qui in via virtutis quotidiè mouetur.** — *Chryſoſt.*

nouitet in ſe Spiritum ſāctum ſuperue-
niſſe agnoſcens, ambulat, properat, fe-
ſtinat, & ac ſi nihil vſque tunc aſcendiſ-
ſet, ad montana tendens, altiora ſe ſem-
Bernard. pēr quærere oſtendebat. Itā præcitato
in loco Bernatdinus. *De Ioanne Baptiſta*
Baptiſta cur in matris vtero mouetur. *legitur Lucæ primo, quòd repletus Spiritu*
*Sancto adhuc in utero matris, cæpit moueri*
*ad præſentiam Saluatoris. De Beata quoque*
*Virgine legitur, ubi ſupra, quòd poſtquàm à*
*Spiritu ſancto obumbrata eſt, abijt in mōtana*
*cum feſtinatione. Ex quibus omnibus lu-*
*culenter apparet, quòd ſicuti motus natura-*
Bona operatio effectus gratiæ. *lis ſequitur formam naturalem, ſic motus*
*operationis bonæ neceſſariò ſequitur inha-*
*bitationem Spiritus ſancti.* Satis commo-
da (ni fallor) demonſtratio, per quam &
qui Dei ſpiritu viuat, & qui tali viuit,
quid agere debeat, declararur.

3. Iàm verò loci illius, *Domine, bo-*
Matt. c. 13. *num eſt nos hic eſſe: ſi uis, faciamus hic tria*
*Tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, &*
*Eliæ unum.* Matt. 17. difficultatem ener-
uo; cur his addere voluit Lucas cap. 9.
Luc. c. 9. *Neſciens quid diceret:* quia vt Theophy-
lactus ait: ibi eſſe, ibi ſiſtere, ibique Ta-
bernacula figere conabatur: quæ Theo-
phylacti ſententia maiorem profectò
mihi ingereret difficultatem: quomodo
ille, qui Deo adhærere ſtudebat, inſciē-
tia notari deberet? Præcipuè dicente
Pſalm. 72. Dauide pſal. 72. *Mihi autem adhærere*
*Deo, bonum eſt:* niſi ſcirem, quòd virtutis
ſtadium, qui ſemel (Deo inſpirante) in-
greditur, viriliter ambulare; immò ve-
lociter vſque ad ſupremum ſpiritum
currere ſemper debet. Quod quia fa-
cere renuebat Petrus, qui in cepto vir-
tutis itinere, non ambulare, ſed ſiſtere;
non propetare, ſed immotari; non cur-
rere, ſed Tabernacula figere nitebatur:
propterea inſcientia notabatur. Vndè
Theophyl. citatus Theophylactus. *Non eſt dicendum*
*cum Petro bonum eſt nos hic eſſe: nàm opor-*
Petrus reprehēditur, quia proficere nolebat. *tet ſemper proficere, & non permanere in*
*uno gradu uirtutis, ſed ad altiora tranſire.*
Audis quare & à Saluatore (vt Matthæ-
us ait) reſponſum obtinere non meruit,
& quā ob cauſam à Diuo Luca bonus
Petrus reprehendatur? Quia quieſcere,
non ambulare; & ſedere in via Domini,
non propetare ſtudebat. Cuius oppoſi-
tum, quia Sācti illi coniuges Zacharias,
& Eliſabeth faciebāt, ab eodem Euan-
geliſta, non vt Petrus reprehenduntur;
ſed commendantur, & præconijs extol-
luntur non modicis. *Erant iuſti ambo antè* Luc. c. 1.
*Dominum, incedentes in omnibus manda-*
*tis, & iuſtificationibus Domini ſine querela.*
c. 1. Quorum verborum vim perpendēs
Chryſologus ſer. 91. ait; quòd non ſim-
pliciter eos iuſtos uocauit; ſed addidit:
*incedentes:* ut oſtenderet, quòd inceſ-
ſus in iuſtitia, atque uirtute origo erat
tot præconiorum, ac laudum. *Incedentes* Chryſol.
*dixit, ut eos oſtenderet cucurriſſe uirtutibus,*
*non ſteriſſe; & ambulaſse in uia iuſtitiæ, non* Incedentes non manentes in virtutibus iuſti ſunt.
*ſediſse, nec remanſiſſe in itinere mandato-*
*rum; ſed ad mandatorum plenitudinem per-*
*ueniſse.* Secus autem ſi feciſſent, ut Pe-
trus, reprehenſi, non laudibus affecti
fuiſſent.

4. Subtiliter ad hoc, de quo loqui-
mur, quòd ſemper in uirtute nouus pro-
fectus quærendus ſit, Carthuſianum fu-
iſſe loquutum reperio, qui explicans
uerba illa Saluatoris: *Ego uos elegi, & po-* Ioan. c. 15.
*ſui, ut eatis, & fructum afferatis; & fructus*
*ueſter maneat.* Ioan. 15. Ea non ſolùm de
Apoſtolorum prædicatione, & gentium
conuerſione eſſe intelligenda, aſſerit: ſed
ad rem noſtram hanc tribuit explica-
tionem: Ego uos elegi, æternaliter præ-
deſtinando, & temporaliter uocando, &
poſui, in perfectionis uidelicèt tramite;
ut eatis, hoc eſt, ut de bono in melius, &
de uirtute in uirtutem ſemper proce-
datis: Carthuſiani uerba ſunt: *Poſui uos* Carthuſ.
*in uita præſenti, in uita huius exilij, in cor-*
*pore iſto mortali, ut eatis, de bono in melius,* Vt de bono in melius eamus, poſiti ſumus in hac vita.
*de fide in opus, de ſtatu animali ad ſpirita-*
*lem; et fructum afferatis, ideſt, tamquàm bo-*
*na arbor fæcundi ſitis in actibus uirtutis;*
*iuxtà illud in pſal. Iuſtus, ut palma florebit.*
art. 37. Quia qui ſemel uirtutis iter tere-
re cæpit, non tantùm non ſiſtere; ſed
ire, hoc eſt, uſque ad mortem progredi
debet, ut dignos, manenteſque fructus
afferre ualeat.

5. Inſignis huius rei in ipſo Salua-
tore extat figura, de quo habetur Act. Act. c. 10.
10. quòd *pertranſiit benefaciendo.* Quæ
uerba, & ſi iuxtà Lyrani expoſitionem,
de animarum conuerſione, & corpo-
rum curatione intelligi debeant: vndè Lyranus.
ipſe: *Pertranſiit benefaciendo, quantùm ad* Chriſtus nō ſtando, ſed prætereūdo beneteciſſe dicitur, & quare.
*informationem mundi, et ſanitatem langui-*
*dorum:* nihilominùs in his uerbis my-
ſterium includi intelligo; quòd non
ſolummodò ſtando, ſed prætereun-

S 2 do

do etiam Saluator benefacere uoluit, ut tranſitus & beneficētia in vnum copulari viderentur: ac per hoc intelligeret mundus, quòd nullus benefacere poteſt, niſi qui in benefaciendo pertranſit. Cui expoſitioni non parùm fauet Bernardus in Epiſt. 53. ad Garinum; vbi quàm velocitèr iſte Gigas ad Eccleſiæ informationem currere voluerit, his verbis oſtendit. *Pertranſiit, ſicut non infructuoſè, ità non remiſſè, non pigrè, non lento greſſu; ſed quemadmodùm de eo ſcriptum eſt: exultauit vt gigas ad currendam viam. Porrò currentem nō apprehendit, qui & ipſe pariter non currit, & quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi. Ideò Paulus aiebat: ſic currite vt comprehendatis: Ibi tu, chriſtiane, ſige tui curſus, profectuſque metam, vbi Chriſtus poſuit ſuā, factus, inquit, obediens vſque ad mortem, mortem autèm Crucis*. Audiant Tyrones, audiant in virtute Nouitij, vt in Palæſtra, quàm uirilibùs ſemper exerceri debeant, intelligant, vt pòſt prima vitæ ſpiritualis rudiméta, ad quod perfectionis magiſterium peruenire debeant, vt Magiſtrum pro modulo ſuo imitari poſſint, agnoſcant.

*Bernard.*

In virtutibus ſemper exerceri debeamus.

6 Quod quia benè noſcebant Sancti, in cæpto Religionis itinere ſic ſemper progredi feſtinabant: vt tota eorū vita curſus ad perfectionem dici meritò poſset. Ad cuius confirmationem, quę de iuſto Henoch dicit ſacer textus, affero. *Ambulauit Henoch cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus*. Geneſ. c. 5. Quæ verba mihi non modicam parerent difficultatem, quomodò cum Deo ambulare poſſet Henoch, ſi motus eſt actus entis in potentia, prout in potentia, & Deus non in potentia, ſed actu vbique eſt per eſſentiam, præſentiam, et potentiam, qui cùm omninò immobilis ſit, de eo meritò dicitur; quòd, immotus in ſe permanens, dat cuncta moueri; niſi ea ex Hebræo verteret Toſtat. Ambulauit Henoch ad Deū, hoc eſt, de virtute in virtutem; ità ipſe: *Ambulauit Henoch cū Deo, ſcilicèt, in vijs Domini rectè uiuendo. Vndè in hebræo dicitur: Ambulauit Henoch ad Deū, & eadem ſententia eſt.* Quibus ſatis clarè Henoch non ſtetiſſe, ſed in via Domini ambulaſſe, oſtendit. Tamèn quod magis facit ad præſens inſtitutum, eſt: quòd recenſitis annis conuerſationis Henoch. *Facti ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexaginta quinque anni*, ibidem, immediatè ſubditur: *Et ambulauit Henoch cum Deo*. Ità quòd vitæ diebus ambulatio copulatur: vt intelligamus, quòd totus vitæ iſtius curſus aliud non fuit, niſi continuus ad perfectionem motus; vt de eo, quod dixit Diuus Maximus hom. 59. dici meritò poſſit. *Quid enim fuit totus vitæ illius curſus, niſi vnius cum vigili hoſte conflictus? Qui* conflictus, ſeù, vt clariùs loquar, ad virtutem motus, cùm non remitteretur, ſed magis ſemper intenderetur, aſſiduus, veloxque ad Deum curſus dici meritò poterat. Propterea Cardinalis Vgo explicans præcitata verba, hunc ait in modum: *Ambulauit Henoch cum Deo de virtute in virtutem. & bonus fiat. & in bono proficiens. Micheæ 6. Indicabo tibi homo quid ſit bonum, & quid Deus requirat à te? Vtique facere iudicium, diligere miſericordiam, & ſollicitè ambulare cum Deo tuo.*

*Geneſ. c. 5.*

*Toſtat.*

Ambulandū ſemper cum Deo.

*Gen. ibid.*

*Maximus.*

Henoch cū Deo ambulaſſe quomodò intelligēdum.

*Vgo Card.*

7 Verùm in via Dei, nec quilibet motus, nec omnis curſus ſufficit; ſed gigantum greſſibus, & ceruorum ſaltibus montes aromatum aſcendere debet, qui ſemel virtutis iter arripuit. Vndè ſponſa ſponſi velocitatem admirans in canticis, ipſum ob eam, & ob ſaltandi leuitatem ceruorum hinnulis comparauit. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliēs colles: ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum*. Cant. c. 2. nec mirùm quòd relictis campeſtribus, colles tranſeat, & montes pluſquàm velociter aſcēdat: quia ſponsā ad pòſt ſe currendum vocabat, vt ipſa proprio cōfitetur ore, quùm dicit: *En Dilectus meus loquitur mihi: ſurge, propera Amica mea, formoſa mea, & ueni:* ibidē, vt qua celeritate, & quibus ſaltibus ad virtutum culmina eſſet pergendum, addiſceret; cùm hęc aſcenſio (vt benè notauit Cardinalis Vgo) ad ſponſam potiùs pertineat aſcēdentem, quàm ad ſponſum vocantem: *Salit in montibus, quia eos ſalire facit ſaltibus mirificis: Quorum primò tranſilitur caro, & ſalitur in ſpiritum; quia qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt ad Rom. 8. Secundò tranſilitur mundus, & ſalitur in Cælum; vt poſſimus dicere cum Apoſtolo: noſtra conuerſatio in Cœlis eſt. Tertiò tranſiliuntur dæmonia, vt ſit in pace locus noſter. Quartò tranſilit homo ſe ipſum, & ſalit in* 

*Cant. c. 2.*

*ibid.*

*Vgo Card.*

Saltus gratiæ qui ſint.

*De-*

*Deum, vt poſsit dicere: viuo, non idm ego, ſed in me Chriſtus*. Ecce ad quem curſũ; immò ad quos ſaltus animarum ſponſus ſponſam inuitat, cui non ſufficit, quòd hæc currat; niſi vtleuis Ceruа ſaltibus mirificis virtutum culmina, & perfectionis cacumina attingit.

8 Iſti ſunt illi ſponſæ greſſus, qui ſic cæleſti ſponſo placent, vt pluſquàm facies, & oculi commen dentur: nàm cùm illam per membra ſingula laudare vellet, non à facie, nec ab oculis; ſed à greſſibus incepit præconium. *Quam pulchri sũt greſſus tui, filia Principis*, Cant. c. 7. Et non ob aliud ſanè, niſi quia per hos greſſus (vt notauit Vgo Cardinalis) figurabatur progreſſus in agendo: qui quò velocior, eò pulchrior & charior ſponſo apparet; qui non ſolummodò progreſſum laudat, ſed curſus magnifacit & ſaltus. Præcitatus Vgo: *Quàm pulchri sũt greſsus tui, ideſt, progreſsus in agendo, & patiendo ſpecioſi. Vndè Agnum comedentibus præceptum eſt, vt calceamenta haberent in pedibus. Exod. 12. & Ioãnis 1. c. 2. Qui dicit ſe in ipſo manere debet, vt ille ambulauit, & ipſe ambulare*: Fęlices greſſus, & pluſquam beati ſaltus, qui dùm fiunt, laudantur; & cùm facti, ſiuè completi fuerint, non temporali afficiuntur prǫmio, ſed æterno!

Cant. c. 7.

Vgo Card.

Greſſus pulchri qui ſint.

9. Hinc iuſti quã diù hic fuerũt, nec ſolùm ambulare, nec tãtùm currere voluerunt; ſed, vt magis magiſque Deo placerent, aſſumptis pennis, ad ſanctitatis faſtigium volare multotiès decreuerunt: vndè Auibus in Sacra Scriptura comparari ſolent, & meritò; quia ſi hæ humanam tantùm vocem audientes, relictis conuallibus, ad montium cacumina volant: ſic ipſi, vt mundanos tumultus fugerent, virtutum pennis ad ſublimia volare conſueuerunt. Meum non eſt hoc, quod dico; ſed Carthuſiani, qui verba explicans illa. *Fruſtrà iacitur rete antè oculos pennatorum*. Prouerb. 1. per pẽnatos, iuſtos intelligit, qui proptereà pennigeri vocantur; quia Dei, & proximi amore, veluti duabus alis surſùm facillimè volant, quem volatum diabolus tentationum retibus impedire conatur, ſed fruſtrà; quia ruptis retibus, fractiſque laqueis, diuina fauente gratia, à volatu detineri nullatenùs poſſunt: audiendus eſt itaque ipſe, qui dicit. *Fruſtrà iacitur rete antè oculos pennatorum, ideſt, coràm ſapientibus, & virtuoſis hominibus, qui interioris viſionis acumine talia machinamenta facilè deprehendũt, & euadunt, & uincunt, quorum corda virtutibus ſunt alata, quibus volant in Cælum*: hucuſque Carthuſianus. Cæterùm non parùm clariùs Cornelius à Lapide ſuper verba illa Iſaiæ 40. *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aquilæ, current & non laborabunt*, dum ſubdidit: *Qui ſperãt in Domino, ope gratiæ ab eo acceptæ, uiam Diuinæ legis, non tàm ambulando, & currendo, quàm volando conficient, & in Cælum contendẽt, ac ſi Aquilæ, immò Angeli eſſent, quibus ſcriptura dat alas Aquilæ*. Eià igitur Cõmilitones, & ſocij, dimicemus, properemus, curramus: immò vt pennigeri ad perfectionis volemus faſtigium; quia beati non ſunt, qui edunt & bibunt iuſtitiam, ſed qui, vt Saluator ait, *Eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*. Matth. 5. hoc eſt, qui ſemper nouo benè operandi deſiderio flagrant, vt benè expoſuit Chriſtianus Ruthmanus. *Qui eſuriũt? Qui ſemper faciunt, hoc eſt, iuſta operantur, & ſemper plus cupiunt facere, et quaſi faciendi famem patiuntur, iſti ſaturabuntur de æternis bonis*. Eſuriamus & nos, vt ſaturemur: ſitiamus, vt de fonte illo bibere poſſimus, de quo ſcriptum eſt. *Apud te eſt fons vitæ: et in lumine tuo uidebimus lumen. pſal. 35.*

Prouer. c. 1.

Carthuſ.

Aues in virtutibus imitari debemus.

Iſai. c. 40.

Cornelius à Lapide.

Matt. c. 5.

Chriſtian. Ruthman.

Eſurire non edere iuſtitiam debemus.

Pſal. 35.

DO-

# DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMAE.

Aſſumpſit Ieſus Petrum,& Iacobum,& Ioannem fratrem eius,& duxit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt antè eos. Matt c.17.

## §. I.

*A terrenis omnibus ſe euellere debet, qui perfecta Dei contemplatione, & aliquali eius viſione, hic frui optat.*

1 NOn in vallibus, nec in campeſtribus: ſed in montibus, immò in altiſſimi montis cacumine, Petro, Iacobo, & Ioanni, ſe transfiguratum oſtendit Saluator. *Duxit illos in montem excelſum ſeorſum: et transfiguratus eſt antè eos.* Matth. 17. & non tantùm, vt cuncti Viatores intelligerent, non hic, videlicèt, in fletus conualle exiſtentibus, claram Dei viſionem concedi; ſed ijs qui in ſupernæ Patrię collocantur faſtigio; vt ſuper hoc adnotauit venerabilis Beda, qui ait: *Oſtenſurus gloriam ſua Maieſtatis, in montem Diſcipulos ducit, ut diſcant ipſi, diſcant omnes, qui hanc uidere ſitiunt, non eam ſibi in huius ſaculi profundo; ſed in Regno ſupernæ beatitudinis eſſe quærendam.* Verùm, vt etiàm adnotauit Diuus Thomas in catena, in montis vertice, non in camporum planitie claritatis ſuæ gloriam mortalibus obiecit obtutibus, vt quàm à mundo mundaniſque cunctis abſtractus eſſe debeat, qui Deum perfectè contemplari, eumq; aliqualitèr pro Viatorum modulo intueri cupit, inſinuaret. Ità relatus Thomas explicans predicta uerba: *Duxit eos in montem excelſum* &c. *in quo docet, quia neceſſe eſt omnibus, qui Deum contemplari ſtudēt, ut nō in infimis uoluptatibus iaceāt, ſed amore ſupernorū ſemper ad cœleſtia erigantur.* Quod & Moyſi (ni fallor) ſignificare uoluit Deus, quandò ut eum alloqueretur, in Sinai cacumen aſcendere fecit, dicente ſacra pagina Exod. c. 19. *Deſcenditq; Dominus ſuper montem Sinai in ipſo montis uertice, & uocauit Moyſen in cacumen eius.* Cuius rei, nempè, cur ad montis faſtigium uiſurus Dominum vocatus ſit Moyſes, rationem reddit Interlinealis quùm ait: *Vt per contemplationem proficeret.* Et Ioanni qui cœleſtia contemplari debebat, ſatis clariùs declarauit Angelus, cùm ait: *Aſcende huc, & oſtendam tibi*, Apoc. 4. nam hæc Angeli uerba, iuxtà Ambroſij expoſitionem, nil aliud ſonant, niſi quòd terrena, & mundana cuncta relinquere debet, qui cæleſtia ſpectare deſiderat: Ità præfatus Ambroſius: *Si ſurſum cor erexeris, & quę doceo, & quæ uentura ſunt, facilè cognoſcere poteris, &c.* Cùm per deſideria plantatus in infimis, ad ſuperiora aſcédere nequeat, ut oſtendere ſtudebimus.

2 Et quod primò in hac materia ſe mihi offert, eſt locus ille Ioannis. c. 21. in quo habetur, quòd, cùm ſimul piſcarentur Petrus & Ioannes, ſtantem in littore Saluatorem, non Petrus, ſed Ioannes quiſnàm eſset, agnouit: *Dixit ergo Diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus, Petro: Dominus eſt.* Quod cùm ab iſto accepiſſet ille, marinos fluctus, veluti ſolidam humum impauidè terere cæpit, & ad Dominum currere: *Simon Petrus cùm audiſset quia*

Do-

Marginal notes: Matt. c.17. — Beda. — Gloria in ſummo quęrenda. — Thom. in Catena. — Cur ſe transfiguratum oſtendere volens Saluator in montem diſcipulos duxit. — Exod. c. 19. — Gloſ. interl. — Apoc. c. 4. — Ambroſ. — Ioan. c. 21.

*Dominus eſt; tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.* Circà quod (cętera ut omittam) non parùm laborant ſacræ ſcripturæ Expoſitores, ut rationē reddant, undè Ioannes Magiſtrū agnoſceret, ſi Petrus eum prorſùs non agnoſcebat? Et licèt uirgineæ puritati hanc cognitionem adſcribat Lyranus, qui dicit: *Puritas mentis & corporis maximè diſponit hominem ad cognitionem Diuinorum; & ideò Ioannes, qui cæteris præſtantior erat, tamquàm Virgo citiùs alijs agnouit Christum:*

*Lyranus.*

Puritas maximè diſponit ad viſionem Dei.

Chryſoſtomus tamen, ob ſublimiorem Ioannis contemplationem, quod Petrus non agnoſcebat, ipſum agnouiſſe aſſerit: *Proprios, inquit, modos referunt, Petrus, & Ioannes, ille feruentior, hic altior erat: ille uehementior, hic perſpicacior: ideò Ioannes prior agnoſcit Ieſum, & Petrus prior ad eum peruenit*, hom. 38.

*Chryſoſt.*

Quæ Chryſoſtomi uerba, quia occaſionem præbent ulteriùs inquirendi, cur Petrum in contemplatione Ioannes excederet, difficultatem totaliter non eneruant: ideò ad plenam huius dubij ſolutionem Lucam Brugenſem adduco, qui ait: quòd Petrus ſic altè ut Ioannes propterea contemplari non poterat; & Dominum, ut iſte, agnoſcere nequibat; quia præſentibus ſtudebat, quia rebus temporalibus incumbebat, quia piſciū capturæ, retiumque attractioni addictus erat: ideò nec perfectè contemplari, nec vt Ioannes, mentis poterat ſeruare intuitum: Citatus Brugenſis: *Prius Ioannes agnouit Dominum Ieſum, poſteà Petrus: cùm autem Petrus audiſſet à Ioāne, quòd Dominus eſſet, hoc idem facilè perſuaſus, quod prius, cùm eſſet totus in negotio concludendi, attrahēdique retia, animo minùs perpenderat.* Quia qui terrenis curis implicatur, ad ſuperiora per contēplationem aſcendere nullatenus poteſt.

Chriſtum, quē Petrus nō agnoſcebat, Ioannes agnoſcit. & vndè.

*Brugenſis.*

Ad ſuperna aſcendere, niſi curis ſolutus, non poteſt.

3 Sapida nimis ad hoc, de quo loquimur, eſt Bernardini ſubtilitas, qui tom. 3. de munditia cordis. ſer. 9. cap. 3. quærit, quæ ſquamæ fuerint illę, quę ex Pauli oculis, antequā amiſſus repararetur intuitus, ceciderunt, ſacra dicente pagina: *Confeſtim ceciderunt ab oculis eius tamquàm ſquamæ, & viſum recepit.* Act. 9. et ad myſticum ſenſum rem reducendo, ſubdidit idem Bernardinus; quòd per ſquamas mundanarum rerum imagines figurabantur & ſpecies, quæ niſi ab intellectu proiiciantur, perfectus mentis intuitus acquiri nequit: & quià eodem modo, quo Sancti Deum intuētur pòſt mortem, Paulus in mortali corpore conſtitutus tranſitoriè ſaltèm contemplari debebat; propterea non prius viſum recepit, quàm ſquamæ caderent: quia niſi inanis rebus terræ omnimodè renunciaſſet, Deum, vt vidit, videre nequaquàm potuiſſet. Cuius Bernardini verba, ex Auguſtino ad Horoſiū de raptu Pauli, magna ex parte deſūpta, ſunt hæc: *Ad hoc profectò perueneràt Paulus, vt Deum ſic in vita iſta videret, ſicuti Sancti pòſt hanc uitam, videbunt; ſed prius tamquàm ſquamæ ceciderunt ab oculis eius, vt dicitur Act. 9. Per quod myſticè denotatur, quòd ille qui Deum uidere debet ſicuti eſt, debet habere intellectum ab omni phantaſmate depuratum.*

*Act. c. 9.*

Terrena deſpiciat, qui perfectè cœleſtia cōtemplari deſiderat.

*Bernard. Senenſ.*

Squamas præſentium ab oculis abiiciat qui Deū videre cupit.

4 Et ſanè adeò verum eſt, quòd qui à terrenis non diuellitur, perfectè Deum contemplari nequit: quòd ſi Sancti, vt perfectè ſphericum perfectè planum, in puncto terrena non attingunt, ad plenam Dei cognitionem (loquor ſemper de cognitione viatoribus poſſibili) peruenire nullatenus poſſunt. Vndè, vt optimè obſeruauit Diuus Gregorius hom. 14. in Euangelia, non priùs Iacob Deum vidit, nec Iſrael (quod idem ſonat ac videns Deum) eſt appellatus, quàm claudus effectus, ſed poſtquàm fœmoris emarcuit neruus; & propterea claudicare coactus: tunc quem nuſquam antea intueri poterat, uidit: Quod expreſſit ſacra Hiſtoria Geneſ. 32. quæ uerbis illis *Vidi Deum facie ad faciem*, ſtatim addidit: *Ipſe verò claudicabat pede*, ac ſi diceret: quòd Iacob Deum uideret, quem videre non poteſt homo, & uiuere, ne miremini; quia ampliùs tibias non habebat æquales, ſed ex nerui contractione claudicabat. Verùm cur illum, quem priùs intueri non poterat, pòſt nerui attractionem uidere potuerit, rationem aſſignat Gregorius, dicendo; quòd claudus qui uno tantùm innititur pedi, & alterum à terra ſuſpendit, perfectè contemplantis umbra eſt & figura, qui ad plenam Dei cognitionem ſi peruenire deſiderat, ſuſpenſo pede amoris mundi, nè in puncto quidèm terram attingat, in ſolo pede amoris Dei ſuſtinere

*Geneſ. c. 32.*

Iacob claudicans perfectè contēplātis figura.

ſe-

*Gregor. Magnus.*

*Cõtemplatiui vni Deo innituntur.*

ſe debet; quod ut intelligeret Iacob, claudicare prius cogitur, quàm uidere: *Significat ergò Angelus Deum; & Iacob, qui cum eo contendit, contemplatiui uiri animã exprimit, qui Deum contemplari nititur: qui enim claudicat, tantùm vno pedi innititur, cui enim deſiderium terrenorum areſactum eſt, in ſolo pede amoris Dei tota virtute ſe ſuſtinet, & in ipſo ſtat, quia pedem amoris ſeculi, quem in terra ponebat, iam ſuſpenſum portat*: hæc ipſe. Quibus omnibus, ſed præcipuè illis, *Quia pedem amoris ſeculi, quem in terra ponebat, iam ſuſpenſum portat* quàm verum ſit, quòd, nec in puncto quidèm terrã attingere debeat, qui perfectè contẽplari deſiderat, oſtendit.

*Marc. c. 9.*

5 Quod peracutè obſeruauit Origenes, perpendens verba illa Diui Marci. *Et pòſt dies ſex aſſumit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem: & ducit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos, & transfiguratus eſt coràm ipſis c. 9.* vbi pòſt diligentem inquiſitionem, multamque pòſt diſcuſſionem, quid per hos dies ſignificare vellet Euangeliſta, pòſt quos, non antè transfiguratus Diſcipulis apparere voluit Saluator; tandem concludit; quòd per hos ſex dies, opera ſex dierum ſignificare voluit Euangeliſta: vt totus mundus intelligeret, quòd, qui omnia opera ſex dierum non tranſcendit; vel (vt clarius dicam) quòd, qui poſt ſe non reijcit cuncta creata, Chriſti transfigurationem, Deique plenam cognitionem habere nullatenùs poteſt: ità ipſe Hom. 3. in Matthæum: *Si quis ergo noſtrum videre velit transfigurationem ipſius, tranſcendat opera ſex dierum, non aſpiciens, quæ videntur, neque diligens mũdum, nec ea, quæ ſunt in mundo; coràm his ergo transfiguratur Ieſus, & non coràm illis, qui ſunt in conuerſatione terrena uiuentes.* Optima planè noſtri inſtituti probatio, qua pluſquàm euidenter concluditur, quòd perfectè Deum contemplari nequit, qui à terrenis omnibus radicitùs non diuellitur.

*Origenes.*

Transfigurari cupiẽs, omnia creata tranſcendat.

6 Quæ vt fulciantur, par minimè eſt Eliæ raptum preterire; nàm dùm igneo curru fulgentium, ignitorumque equorum citis ſaltibus, non per terræ ſpatia, ſed per aeris campos cœlum uerſus rapido curſu duceretur Propheta, pallium ei cecidiſſe ſacra narrat hiſtoria; *Tulit pallium Eliæ, quod ceciderat.*

*4. Reg. c. 2.*

4. Regum 2. quæ in re, ſicut communis eſt expoſitorum opinio, quod non caſu cecidit, ſed vltrò Elias pallium proiecit: Vnde, ceteros vt omittam, Cardinalis Vgo prefata ſcripturæ verba exponens, ſic ait: *Tulit pallium Eliæ, quod ceciderat, id eſt, quod Elias proiecit dum tolleretur*; ſic, cur propheta illud abijcere voluerit, non parua inter ipſos lis eſt & contentio: & quamuis pene omnium ſit ſententia, quòd vt Eliſei ſpiritum demonſtraret, pallium ei Elias reliquit, vt videlicet, magiſtri virtutem ſuper Diſcipulum requieſcere agnoſceretur. Vide Carthuſianus ibidem art. 2. in expoſitione litterali. *Elias deiecit illud pro conſolatione dilecti ſui diſcipuli; ut aliquid haberet, quaſi ex teſtamento patris ſublati, atq; ut illo pallio ueſtiretur, in ſignũ, quod magiſtro ſuo ſuccederet, in duplici gratiarũ præfata.* Heronymi nihilominus fuit opinio, quòd propterea indumentũ dimiſit Propheta, quia cum ipſo cœlum ſcandere minime poterat: ſic ipſe Epiſtola 34. ad Iulianum: *Regna Cælorum expeditos, & alarum leuitati ſubnixos habitatores deſiderant* (& paucis interiectis) *Elias ad Cælorum regna feſtinans, non poteſt ire cum pallio: ſed mundi in mundo veſtimenta dimittit.* Quod Hieronymi dictum intelligi difficile poſſet, quòd penè nullius ponderis res ſic currum prægrauaret, vt nec talium ſublimium equorum fortitudine trahi poſſet, niſi Gloſſa rem explicaſſet, quæ ait: per Eliam in Cœlũ aſcendentem contemplatiuum figurari, qui niſi penitùs nudus, hoc eſt, terrenarum rerum cupiditatibus expoliatus, ad Deum per contemplationem eleuari nullatenus poteſt. Vndè benè, vt eadẽ Gloſſa notauit, Elias, aſcendens Dominus, interpraetatur, quia terrenarum paſſionum Dominus eſſe debet, qui per contemplationem perfectè aſcendere cupit, ipſam Gloſſam audi dicentem. *Moraliter autem per Eliam in Cælum aſcendentem, vir contemplatiuus ſignificatur, & interpretatio nominum conſonat; quia ſicut dictum eſt. Elias, aſcendens Dominus interpretatur, & benè dicitur, aſcendens Dominus, quia nullus poteſt aſcendere per contemplationem in Deum, niſi fuerit Dominus ſenſibilium paſſionum*: Patet ergo quàm lõge à ſe terrena abiicere debet, qui perfectè contemplari cupit, dùm vile palliũ

Elias in Cœlum aſcẽdẽs pallium dimiſit, & quare.

*Carthuſ.*

Eliſæus Eliæ pallio operiri debebat.

*Hieronym.*

Mundana aſcenſum præpediunt.

*Gloſſa.*

prorſus nudus debet eſſe, qui per contemplationem, Cœlum ſcãde re cupit.

Eliæ

Digitized by Google

Eliæ aſcenſum præpedire poterat.

7 Cœterùm, quod in figura Apoſtolis contingebat, hoc in languido illo, qui triginta & octo annos in infirmitate habebat, quem Verbum verbo curauit, completum videmus: nàm, vt refert Diuus Ioannes c. 5. Chriſtum Dominum quē lāguidus, nec iuxtà piſcinam, nec inter languentium cateruas, nec denique inter calumniantium turmas agnoſcere potuit (vndè quis eum ſanū feciſſet, pluriès (vt Euangeliſta ait) interrogatus: *Interrogauerunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula?* illum non agnoſcens, reſpondere ignorabat: *Is autem, qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet*) in Templo poſteà, vt eum perſpexit, non tantùm quiſnàm eſſet, agnouit; ſed ignorantibus nunciauit: & quem priùs non agnoſcebat, publicè, & impanidè prædicauit: *Poſtea inuenit eum Ieſus in Templo &c. Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanū:* Quæ res in ſtuporem me proculdubio adduceret: vndè nunc Saluatorem agnoſcere potuerit homo iſte, ſi eum anteà penitùs non agnoſcebat: niſi Alcuinum, in Catena relatum legiſſem, dicentem; quòd in turba non agnoſcitur Chriſtus, ſed in Templo: quia, qui curis ſæcularibus inuenitur implicitus, Chriſtum & ſi videat, non agnoſcit; ſecùs autèm, poſthabitis cunctis, qui in Templo ſolus orat, & ſuprà ſe euehitur, & eum, quem alij in turba conſtituti agnoſcere non poſſunt, agnoſcit. Vndè orantes his verbis monet Alcuinus: *Si gratiam Conditoris agnoſcere volumus, & ad eius viſionem venire, fugienda eſt turba cogitationum, & affectuum prauorum; declinanda ſunt prauorum conuenticula, & fugiendum eſt ad Templum.* Quòd vtinàm fideles præſentis tempeſtatis intelligerent; & pręcipuè, qui diuino cultui ſunt deſtinati! quia etiàm mundanis, domeſticiſque curis relictis, vt commodiùs diuina contemplatione frui poſſent, Eccleſijs libentiùs inſiſterent, & Pauperū Patriarcham Franciſcum de ſe, ſuiſque ſocijs dicentem: *Nos autem libenter manebamus in Eccleſijs*, imitarentur.

*Ioan. c. 5.*

Chriſtus in Templo nō in turba agnoſcitur, & quare.

*Alcuin. in Catena.*

D. Franciſcus, vt altiura contēplaretur, in Eccleſijs libenter manebat.

S. *Frāciſcus de Aſſiſio.*

8 Verùm, nec hucuſq; dicta ſufficiunt; ſed proprij corporis, ſuique ipſius, qui omninò non obliuiſcitur, nec ſuprà ſe euehi, nec per mētis exceſſum Dei claritatem vmquàm contemplari valebit. Quod vt pateat, illa Diui Pauli verba: *Scio hominē in Chriſto antè annos quatuordecim (ſiuè in corpore, ſiuè extrà corpus neſcio, Deus ſcit) raptum huiuſmodi vſque ad tertium Cœlum,* 2. Corint. 12. in medium ſtatuo: in quibus, ſicuti quòd non explicet, quiſnam fuerit homo, non miror; quia non ignoro ipſum optimè noſſe, Sacramentum Regis abſcondere bonum eſſe: ſic quòd ignoraret, an in corpore, an extrà corpus eſſet, qui talia videbat, mirabile prorsùs mihi videretur: & quomodò hoc eum latere potuerit, ſi ipſemet raptus fuerat, penitùs non intelligerem, niſi Auguſtinum legiſſem, dicentem; quòd cùm Paulus tūc ſui immemor eſſet, an in corpore eſſet, an extrà corpus, ignorabat. Cùr autèm etiàm ſui ipſius tunc Paulus obliuiſci voluerit, rationem ex eodem Auguſtino lib. 12. ſuper Gen. ad literam: & tract. 38. in Ioannem colligit Bernardinus Senenſis, qui tom. 3. de munditia cordis ſerm. 9. art. 3. c. 3. ait; quòd, vt Paulus perfecta Dei viſione frueretur, & mundo, & ſibi talitèr abrenunciare voluit, vt corporis non minùs, quàm terrenorum immemor factus, quod in corpore videre non licet, extrà corpus per mentis exceſsū conſtitutus, videret: *Nemo autèm videns Deum viuit vita iſta, qua moralitèr viuitur in iſtis ſenſibus corporis; ſed niſi in hac vita quiſque funditùs ſenſibus moriatur, ſiuè omninò exiens de corpore, ſiuè ità alienatus à carnalibus ſenſibus, vt meritò neſciat, ſicut ait Apoſtolus, vtrum in corpore, an extrà corpus ſit, Non in illam ſuſtollitur uiſionem.* Audis, quarè proprij corporis, ſuique ipſius obliuiſci volebat Paulus; quia corporea prægrauatus mole, nō poterat ad illam viſionē eleuari, ad quam à carnalibus omnibus abſtractus omninò peruenire facilè poterat. Vndè Bernardus lib. de conſcientia: *Cùm amor Chriſti totum abſorbit affectum hominis, vt negligens, & immemor ſui, vt ſolùm Ieſum Chriſtum, & quę ſunt Ieſu Chriſti, ſentiat, frequentèr mentis exceſſu patitur, frequentèr ab omnibus præſentibus, & terrenis raptus, coràm Deo præſentatur, & Patris meditatur potentiam, Filij ſapientiam, Spiritus Sancti benignitatem, & Angelicæ Creaturæ beatitudinem.* Fœlix ſa-

*2. Cor. c. 12*

Paulus a Cœlum raptus, quid ſignificet.

*Bernard. Senenſis ex Auguſtino.*

Etiam ſuum corpus relinquat, qui Deum videre deſiderat

*Bernard.*

Exceſſus amoris erga Chriſtum extra ſe reddit amantē.

nè oblinio, fœlix dementia, quæ talem, ac tantam parere ſolet cognitionem, qualem, qui terrenorum nedùm; ſed ſui etiàm penitùs non obliuiſcitur, non acquirit.

9 Hoc in Iacobo, de quo paulò ſuperiùs fari iàm cæpimus, figuratum reperio: cui antequàm Deum videndi Geneſ.c.32. concederetur facultas: *Vidi Deum facie ad faciem*. Gen. 32. per Angeli tactum fœmoris emarcuit neruus: *Tetigit neruum fœmoris eius, & emarcuit*: ibidem: vt quiſque orans, intelligat; quòd perfecta Dei viſione frui nemini licet; niſi illi, qui & ſibi, & mundo, & corpori, & terrenis, per amoris extenſionem totalitèr moritur. Ità in præcitato loco Bernardinus ſecundùm Auguſtinum in lib. de Bernard. Senenſ. ex Auguſtino. Trinit. *Facies Dei dicitur forma, in qua non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Patri: quam nemo videre poteſt, & viuere: ſed in tantum carnalibus affectibus moriamur,* Moriatur qui Deo viuit. *vt ineſtimabili virtute creſcentes quodam contemplationis acumine æternã Dei claritatẽ videre poſsimus, vt ait Gregorius. Hac quippè morte mortuus eſt Iacob, quod myſticè indicatur in eo, quòd antequã videret faciem Dei, emarcuit neruus fœmoris eius, per quod myſticè indicatur, quòd in eo præceſſit extinctio omnis carnalis, & mundani affectus*. hucuſque Bernardinus. Quæ videlicèt ſole clariora cum ſint, quòd non in campeſtribus; ſed in mõtibus: immò in altiſſimi montis cacumine Chriſti Domini transfiguratio demonſtraretur & gloria, mirùm non eſt; quia per hoc quàm perfectam mundi abrenunciationem requirat contemplatio, oſtenditur.

## Ecce apparuerũt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes. Matt. 17.

### §. II.

*Ex alio ſeculo ad ſuas laudes canendas iuſtos accerſit Saluator. quia ſi Deus hominum vitia tegit, virtuteſq́ detegit, homo ecõtrario, proximi ſemper relicta virtute, quod in eo minùs laudabile putat, prædicat, & extollit.*

1 VNdè Moyſen, & Eliam agnoſcere potuerint Apoſtoli, non modica fuit inter ſacrę ſcripturę Expoſitores altercatio; & quidèm non abſq; magna ratione lis iſta mouetur & quæſtio: quia ſi nec ipſos viderãt vnquàm, nec eorum imagines, quas expreſsè lex prohibebat, quomodò cognoſcere potuerint, percipi haùd facilè poteſt. Et tametſi Tertullianus lib. 4. contrà Marcionem cap. 22. in ſpiritu, non in ſenſu hoc Apoſtolos agnouiſſe, aſſerat: qui ex- Matt.c.17. Tertullian. plicans verba illa Petri: *Si uis, faciamus hic tria Tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum, neſciens quid diceret,* Vndè Moyſen, & Eliam Apoſtoli in mõte cognouerint. *ait: Quomodò Moyſen, & Eliam cognouiſſet, cùm neque imagines eorum, uel formas populus habuiſſet, lege prohibente, niſi quia in ſpiritu viderat? Et ità quod dixerat in ſpiritu, non in ſenſu conſtitutus, ſcire non poterat.* Nihilominùs cùm hæc ſententia ſingularis ſit; & cõmunitèr oppoſitum ſentiant reliqui, adhùc prima uiget difficultas. Vndè Apoſtoli eos, quos, nec in ſe, nec in eorum imaginibus viderant, agnoſcere potuerint? Et quàmuis non ex aſpectibus, ſed ex ſermonibus; quòd eos nouerint, vniuerſalitèr aſſerant Patres; ex quibus Theophylactum adduco, dicentem. *Vndè enim agnouiſſent* Theophyl. *diſcipuli, quòd Moyſes, & Elias fuerint? Non enim à lineamentis facierum; quia imagines hominum facere tunc impium videbatur; uidetur igitur, quòd ex ſermonibus, quos tũc inter ſe cõferebant, agnouerint eos.* Tamèn ex hac communi Patrum ſententia non minor equidèm orietur difficultas: quo-

quomodò ex ſermonibus,quos ex aſpectibus non agnoſcebant,agnoſcerent,ſi communi loquendi modo vtebantur & ipſi, niſi difficultati occurriſſet Diuus Lucas,qui ait;quòd non ob aliud Moyſes,& Elias venerant, niſi,vt Saluatoris laudes canerent: *Dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.* c. 9. quod,quia à mundanis, qui proximorū tecta virtute, quod minùs laudabile, exiſtimant,detegunt, ſeruari non ſolet: ideò fortè dùm transfigurati laudes cani audiebant, non huius mundi incolas; ſed alterius ſeculi viros exiſtimabāt illos, quos ſic loquentes audiebant. Quod (niſi decipior) dicere voluit Toſtatus quæſt.57. ſuper caput Matth.17. his verbis: *Fortè multa loquebantur, per quæ oſtenderent excellentiam Chriſti; nàm ad hoc uenerant, ut teſtificarentur de Chriſto coràm Diſcipulis; ideò non tàm in uerbo, quàm in opere multa oſtenderent, per quæ appareret Chriſti excellentia*: quod quia à mundanis rarò fieri ſolet,alterius ſeculi vocantur viri, qui ex inſueto loquendi modo, quinam eſſent,agnoſcūtur. Quæ dùm ſandi materiam præbent; quàm à Deo diſcordent mundani,qui non vt ille vitia tegere,& virtutes detegere: ſed è conuerſo, proximorum relicta virtute, quod cenſura dignum putant, propalare ſtudent,oſtendam.

*Luc.c.1.*

*Toſtatus.*

Rarò proximorum virtutem laudant mundani.

2 Vt quàm ſit proprium miſericordis Dei noſtri hominum diſſimulare culpas, & prædicare virtutes, declaremus: Gorrani adduco quęſtionem, quę eſt;cur Chriſtus,qui præſtitum ſibi à Magdalena obſequium, coràm paucis Diſcipulis, nedùm laudauit, dicendo: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? Opus enim bonum operata eſt in me*:Matth.26.verùm etiàm vniuerſum per orbem, vt opus admodùm laudabile fore pręдicandū iure iurando affirmauit: *Amen dico uobis,ubicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in uniuerſo mundo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriam eius.* Poſteà Iudæ proditionem, quam ſtatim Euangeliſta ſubdidit: *Tunc abijt unus de duodecim,qui dicebatur Iudas Iſcariotes,ad Principes Sacerdotum: & ait illis:Quid uultis mihi dare, & ego uobis eum tradam?* non ſolùm non pręдicat, nec pręдicandam pręдicit; ſed ac ſi eam non intellexiſſet, diſſimulat: *Quæritur* (ait citatus Nicolaus de Gorra) *quare non prædixit Dominus diffamationem Iudæ, ſicuti gloriam Mariæ?* Si Magdalenæ pietate longè maior erat Iudæ impietas, cur illa laudatur, extollitur,& pręдicatur,hæc ſilentio tegitur? Sed: ò magnam Dei noſtri pietatem! miſericordiam ſanè ò magnam! quia hoc impietatis opus erat, pietatis illud; execrabile hoc, commendabile illud: ideò hoc ſub ſilentio præterit,illud verò & laudibus afficit, & afficiendum prædicit. Sic præfatam quæſtionem ſoluens, ait Gorranus: *Reſpondeo ſecundùm Bedam, quòd Dominus bonum pia laude remunerat, & futuras ſemper impiorum contumelias tacet*: vt quàm proprium ei ſit, diſſimulata hominum culpa, virtutes prædicare,oſtenderet.

*Matt.c.26.*

Chriſtus Magdalenæ penitentiam prædicat,& Iudę proditionem diſſimulat, quia nō hominū vitia,ſed virtutes propalare deſiderat.

*Nicolaus de Gorra.*

*Idem ex mēte Bedæ.*

Deus peccata diſſimulat, laudes promouet.

3 Subtiliùs idipſum ſi probare velimus, interrogationis illius tèr à Domino factæ: *Petre amas me?* Ioan. c. 21. rationem inquiramus; & myſterio non vacare videbimus:quòd ille,cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, an amaretur, interroget! Quodnàm autèm hoc ſit myſterium, explicat Toletus annotat.66.qui ait; quòd vt Petri infirmitatem, qui pòſt tot promiſſiones mortem ſubire pertimeſcens, eum turpiter negauerat, in fortitudinem, atque conſtantiam verſam oſtenderet, ab eo an amaretur, interrogat: *Dixerat priùs Petrus: animam meam pro te ponam, & tamen poſtea negauit tèr; nè ergo Diſcipuli crederent illum in eo ſtatu permanere,propterea an amet,interrogat. Hac ergo interrogatione idèm Petrum mutatum ab illo,qui erat, Dominus alijs innoteſcere facit.* Ecce quàm ſedulò vitia tegit, & virtutes detegit, qui vt omnis imbecillitatis aboleret memoriā, & ut perfecti amoris explicaret conſtantiā,an amet, & ampliùs cęteris amet, interrogat.

*Ioan. c.21.*

*Toletus.*

Vt Petri negationis deleretur memoria,an plus cęteris amet, interrogatur.

4 Fieri hinc ſolet, quòd ſi quē non laudandi,& extollendi, ſed arguendi,& increpandi ſe obijciat tempus & occaſio, hominum oculos, aureſque declinat,vt quò ſecretiùs id fieri poteſt, fiat. Meū nō eſt hoc, quod dico;ſed Victoris Antiocheni in Gloſſa cit.qui expendens uerba illa Diui Marci: *Et dimittentes turbam,aſſumunt eum ità vt erat in naui.Et facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in Nauim,ità ut impleretur nauis: Et erat ipſe in puppi ſuper Ceruical dormiens:*

*Marc. c. 4.*

c. 4. cur pòſt turbæ dimiſſionem non antè, vẽtos belligerare, fluctus moueri, tempeſtatem fieri, & Nauim periclitari permiſerit, diligenter inquirit: & pòſt multa, concludit: quòd quia Diſcipulos corrigere, & arguere volebat, dicendo: *Quid timidi eſtis? Necdùm habetis fidẽ?* nè adſtantium turba imbecillitatem fidei diſcipulorũ audiret, eam priuſquàm diſcipulos increparet, dimiſit: ſic ipſe cùm citatæ difficultatis rationem reddit:

*Victor Antiochenus.*

*Alijs præſentibus non ſinit eos iactari, nè infirma illorum fides cæteris pateſieret, cùm diceret: adhuc vos ſine intellectu eſtis? Nàm etſi ſcirent, & crederent excitatum maris æſtum compeſcere poſſe, dormiente autem id fieri neutiquam putabant.* Etità, quos tunc ob fidei defectum laudare non poterat, eos ſecretè ſaltem, nè eorum fidei innoteſceret paruitas, reprehendit & increpat.

Dimiſſis turbis, corripit diſcipulos Saluator.

5 A qua re nihil penitùs diſcordat, quod de languido illo iuxtà piſcinam curato narrat Diuus Ioannes. cap. 5. nàm hunc, cui in curationis actu de criminibus non obiecit, curatum poſtea, cùm in Templo inueniſſet, nè ampliùs peccaret, admonuit:

*Ioan. c. 5.*

*Poſteà inuenit eum Ieſus in Templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es: iàm noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat:* Quod & ſi ob varias cauſas factum fuiſſe aſſerat Bonauentura:

*Bonauent.*

nihilominus, vt placuit Cyrillo Alexandrino, propterea in curationis actu dũ interrogauit, an ſanus fieri vellet; crimina non obiecit, & nè ampliùs peccaret, vt opportunitas exegiſſet, non admonuit: quia cùm languentium aſtarent cateruæ, id ſecretò fieri nequaquàm potuiſſet: quùm autem in Templo inuenit, & à turbis ſeiunctum vt vidit, & languoris indicauit originẽ, & reincidentiæ prędixit diſcrimina:

*Cyrill. Alex.*

*Temporum in omni re opportunitate ſeruata. Occaſionem autem loquendi, admonitiò præbuit: qua homo docetur iàm non peccare, nè in peiora incidat.* hæc Cyrillus. Quibus, quàm Chriſtus hominum vitia operiat, quãdo virtutes prædicare non poteſt, oſtenditur: dùm nè languidi culpã notam faceret, corrigendi opportunitatem dimiſerat.

Peccata corripit ſecretò.

6 Sapidiſſimus etiam, ad hoc de quo loquimur, eſt locus ille Ioan. c. 18.

*Ioan. c. 18.*

*Si ergo me quæritis, ſinite hos abire;* nàm ſi ſubtilitèr præfata verba trutinabuntur, myſterium magnum in eis latere reperietur, quia ſi per ipſa facultatem ſe comprehendendi ſatellitibus concedere intẽdebat, dicere proculdubio potuiſſet: ſi me quæritis, ecce adſum, tenete, comprehendite, ligate, quia mortem ſubire non timeo, ſed expoto: ad quid ergo addere voluit: *Sinite hos abire?* Sed, ò magnam Dei noſtri pietatem! vt diſcipulorum honori conſuleret, ipſos abire præcepit; vt namque propinquam eorum fugam operiret, diſceſſum iniũxit.

Chriſtus in ſuæ comprehenſionis actu, quare diſcipulos abire permiſit.

Quod ſequentibus verbis dicere videtur Carthuſianus ſuper citatum locũ Ioannis art. 43.

*Carthuſ.*

*Quia infirmi erant, & ad moriẽdum pro Chriſto imparati; nam Princeps eorum ſola interrogatione concuſſus, ter negauit.* Vt itaque nõ tàm timori, quàm acceptæ à magiſtro facultati diſcipulorum fuga aſcriberetur, diſceſſum cõceſſit.

7 Cuius oppoſitum ſic paſſim facere conſueuerunt huius ſeculi viri, quod facilè apud eos, poſteroſque eorum in morem tranſiuit, proximi neglecta virtute, quod non multum laudabile exiſtimatur, notum facere, & prædicare: quęres, vt euidẽtèr innoteſcat, in languido illo, circà quem immediatè antè ſermo noſter dirigebatur, ſiſtamus etiã pauliſper; & videbimus, quòd cùm ipſe, poſt ſanitatis receptionem, vt Chriſti pareret mandato, lectulum, in quo diu iacuerat, ſuſtuliſſet: indignati Iudæi, quòd in Sabbato grabatum portaret, dicere cœperunt: *Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Ioan. 5. & reſpondente ipſo: *Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.*

Proprium mundanorũ eſt vitium, proximorũ tegere laudabilia, & il laudabilia detegere.

*Ioan. c. 5.*

Hoc minimè contenti inuidi, liuore inſanientes, quis hoc contrà legis præceptum effici pręcepiſſet, interrogant: *Quis eſt ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula?* Cuius rei non parùm miratur Chryſoſtomus, quòd nempè, cùm languidus duas confiteretur veritates, & quòd ſanus factus eſſet, & quòd, qui eum ſanum fecerat, vt tolleret grabatum iniunxerat: *Qui me ſanum fecit, ille dixit mihi: Tolle grabatum tuum:* ipſi tantummodò in vno morantur quærendo: *Quis eſt qui dixit: Tolle grabatum tuum?* Cur cœci de ſanitate nõ quæritis? ait Chryſoſtomus, & quis me-

Etiam ipſius Dei opinioni inuidus detrahere vellet, ſi poſſet.

di-

Google

dicus tàm diuturni lãguoris eſſe potuerit, non interrogatis? *Si* languidus ſanitatem proponit, cur non dicitis: quis te ſanum fecit? quòd tantùm quis eum grabatum tollere iuſſerit, ſic diligenter inquiritis? At ſubtiliùs rem perpendo, myſterium non ignoro, ait præfatus Chryſoſtomus, quia magnæ virtutis opus fuerat, deſperatæ valetudinis ægrum perfectæ ſanitati reſtituere: quia autem grabatum in Sabbato baiulare, legis tranſgreſſionẽ putabant; ideò relicto priori, de poſteriori tantùm loquuntur: quia proprium mundanorum eſt vitium, proximorum relicta virtute, in eo quod minùs laudabile putant, morari: *Ecce patet eorum malignitas* (ait ipſe hom. 36. in Ioannem) *non dixerunt: quis te ſanum fecit, ſed hoc omiſſo, in calumnia aſſiduè verſantur, dicentes: quis dixit tibi, tolle grabatum tuum? Quod extiterat poteſtatis, tacuerunt, quod verò videbatur eſſe tranſgreſſionis, in medium ducunt.*

*Chryſoſt.*

**Inuidus tacet virtutes, & inquirit mala.**

8 Nec ſilẽtio prętereundum puto, quòd cùm indiſcriminatim loqueretur languidus, & an tanti miraculi Deus, an homo patrator fuiſſet, iàm non decerneret; ſed tantummodò diceret: *Qui me ſanum fecit, dixit mihi* &c. ipſi abſolutè hominem fuiſſe affirmant, dicẽdo: *Quis eſt ille homo, qui dixit tibi* &c. Et hoc non ob aliud certè, niſi quia tàm virtutis, quàm perſonæ memoriam abolere ſtudebant: propterea hominem vocabant, nè ſupra hominem, qui hoc fecerat, putaretur: Quod his verbis confirmauit Toletus annot. 8. *Vide Iudæorum nequitiam, quæ non potuit occultari, nec intùs cõtineri, ſed foras erumpit: languidus enim non dixit: ille homo, qui me ſanum fecit, non eſt auſus determinare, an homo dicendus eſſet, qui tanta virtute pollebat, magnum aliquid concipiens; ideò quod certum erat, protulit, dicens: Qui me ſanum fecit, at inuidi calumnia pleni Iudæi, quod eis non conſtabat, affirmauerunt, dicentes: Quis eſt ille homo?* hæc ipſe. Per quæ apparet, quàm magna ſit mundanorum nequitia, quę dùm nomen magnorum conatur extinguere, infirmorum defectus, vt omnium oculis pateant, in medium ſtudet afferre.

*Ioan. c. 5.*

*Toletus.*

**Inuidus ad peiora inclinatur.**

9 De qua Iudæorum malitia, atque nequitia Dominus proprio ore cõqueritur, quùm dicit: *Vnũ opus feci, & omnes miramini?* Ioan. c. 7. Quæ verba, & ſi mihi ſpeculandi anſam præbuerint multoties; quomodò ille, qui cœcis uiſum, ſurdis auditum, mutis affatũ, claudis greſſum; immò mortuis vitam reſtituerat, vnũ opus ſe feciſſe aſſerat: & quodnam præcipuum hoc eſſet opus, non intelligebam: nunc autem, quia opus hoc languidi curationem fuiſſe reperio, dicente Gaudentio tract. 11. *Quod illud opus? quia paralyticũ curaui in Sabbato:* A quo non diſcordat Euthymius, qui ait: *Vnũ opus dixit, illius in Sabbato curationem, qui triginta & octo annos in infirmitate vixerat:* non miror, quòd poſthabitis cũctis miraculis, hoc vnum Iudæi mente retinerent; quia in Sabbato hoc patratum fuerat: propterea non ſigni magnitudinem, ſed tantùm illud mente retinebãt ſceleſti, quod ad Sabbati violationem pertinere exiſtimabant; ideò meritò conqueri poterat Saluator, & dicere: *Vnum opus feci, & omnes miramini?* Quod idem ſonat, ac; cur cœtera ſigna non cõſideratis? Cur cętera miracula non perpenditis; nec expenditis prodigia: ſed ſolummodò de hac languidi curatione loquimini? Sed hãc ſemper in medium ſtatuitis; quia cùm hæc in Sabbato facta ſit, ad bonum ſponte excęcamini: et quòd malum (ſed inſipienter quidem) putatis, prę oculis ſemper habetis: vt non virtutem laudare, ſed quod illaudabile exiſtimatis, tuba clariùs perſonetis. Egregiè Diuus Cyrillus Alexandrinus, lib. 6. in Ioan. cap. 48. dùm Saluatorem introducit, dicentem: *Vna hac re ad ſalutem hominis facta, Sabbati ſolummodò reſpicientes honorem, miraculi magnitudine non commoti, benefactorem damnatis, cumque laudare potiùs tantam rem deberetis, miramini, quia ſalus hominis in die Sabbati reſtituta eſt: fruſtrà de me turbamini; & quaſi cõtemptorem legis perſequimini; quia Patrem in omnibus ſequor: & quoniam ipſe operatur in Sabbato, ego quieſcere non poſſum. Pater meus vſque modò operatur, et ego operor:* Peſſima ſanè mundanorum conditio, cui non ſufficit, quòd proximi commendabilia non commendet; niſi etiam quod cenſura dignum putat, propalet, & prædicet.

*Ioan. c. 7.*

*Gaudentius*

*Euthym.*

**Vnum opus quod Chriſtus ſe feciſſe teſtatur lãguidi fuit curatio.**

*Cyrill. Alex.*

10 Denique, vt concludã, adeò apud mortales mos iſte inoleuit, quòd qui oppoſitum facit, admodùm iuſtus cen-

ſeri

ſeri meritò poteſt. Quam veritatem proſequutus eſt Aymo, qui explicans verba illa Euangeliſtæ Matthæi: *Ioſeph autem vir eius, cùm eſſet iuſtus, voluit occultè dimittere eam.* cap. 1. ait; quòd ideò de Ioſepho Euangeliſta loquens, dicere voluit: cùm eſſet iuſtus, non qui erat iuſtus, quia non quælibet iuſtitia ad hoc efficiendum, quod ipſe effecit, ſufficiens erat: ſed niſi Ioſeph admodùm iuſtus fuiſſet, prægnantem vxorem non occultè dimiſiſſet; ſed creſcente cum vtero ſuſpicione, vt lex præcipiebat, traduxiſſet: quod peracutè his verbis explicanit: *Niſi iuſtus eſſet, iuſtè omnia non diſponeret; poterat dicere vicinis ſuis: certè hæc mea ſponſa conſtuprata eſt, tamen noluit eā traducere, hoc eſt, crimen adulterij illi imponere: ideò noluit infamare, ſed maluit occultè dimittere eam:* verè iuſtus, qui mente non ore rem reuoluebat, & quod nō intelligebat, non diſcooperire, ſed operire ſtudebat. Cuius oppoſitum ſectatores huius ſeculi efficere ſolent: vndè quod minùs laudabile putant, nō cooperiendi & occultandi, ſed diffamandi & prædicandi occaſiones venantur.

*Matth. c. 1.*

Ioſeph, quia admodùm iuſtus, prægnātē ſponſam non traducere, ſed occultè dimittere voluit.

*Aymo.*

Iuſtus de proximo malè non iudicat.

Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Matt. 17.

## §. III.

*Impiger eſt, qui amat; quia operoſus cùm ſit amor, quietis impatientem reddit amantem.*

1 QVòd Piſcator, qui fabrefaciēdi arte minimè pollebat; immò qui piſcium excepta venatione, cuiuſcunque alterius artis ignarus erat omninò, tabernacula ſe effecturū domoſque ſe conſtructurum promiſerat, nō miror: quia ſi de profano amore dicere licuit Ouidio; quòd quietis impatiens, operi adeò ſit ſemper intentus, vt limite tantùm differt amare à pugnare: Vndè in arte amorum; ſic canere decreuit.

*Militia ſpecies amor eſt, diſcedite ſegnes,*
*Nec ſunt hæc timidis, ſigna timenda viris.*

*Ouidius.*

Amor admodùm operoſus.

De uero, & cæleſti amore, qui morti ob fortitudinem, & igni ob operoſitatem comparari ſolet, dùm dicitur: *Fortis eſt, vt mors dilectio, dura ſicut Infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum:* Cant. c. 8. quid dicā? aliud nequaquā ſanè; niſi quod ait deuotiſſimus Idiota lib. 1. de contemplatione diuini amoris: *Amor quietem neſcit; immò quiete fit inquietior, quieſcit afflictio, quieſcit tentatio; ſed dilectio quieſcere neſcit; requies enim eſt eius inquietitudo, qui huius amoris guſtu inebriatus fuerit, ad omne opus bonum hilareſcit, dolet & non ſentit, laborat & non laſſatur.* Vndè Auguſtinus amorem operatorium nuncupare conſueuit, cū de ipſo longiùs diſſerens ſuper Pſal. 30. concluſit: *Eſt itaque operatorius amor:* quę ſi admodùm vera ſunt, vt paulò ſuperius dicebam, non miror; nec alius in poſterum mirari debet, ſi tabernacula efficere, ac domicilia conſtruere vellet Piſcator; quia etſi neſciret quid diceret; nihilominùs amor, qui otioſitatem non permittit, & intra pigritiæ limites contineri nullatenus poteſt, ipſum ad labores impellebat & opera. Quod luculenter nimis expreſſit Ambroſius lib. 7. ſuper idem, ſic dicens: *Non ſolùm affectu, ſed etiam factorum deuotione præſtātior, ad ædificanda tria tabernacula impiger operarius communis obſequij miniſterium pollicetur; & quamuis neſciret, quid diceret; tamen pollicetur officium, in quo non inconſulta petulantia; ſed præmatura deuotio fructus pietatis accumulat.* ſic ipſe. Nos autem, vt fas eſt, probationibus operā demus.

*Cant. c. 8.*

*Idiota.*

Diuini amoris effectus.

*Auguſt.*

*Ambroſ.*

Deuotio eſt operatoris.

2 Pro quarum prima deſeruiat difficultas, quæ tàm à ſacris, quàm à profanis Scriptoribus moueri ſolet: cur igni potiùs, quàm alteri rei comparari ſoleat amor, dicente Virgilio. 4. Aeneidos.

Amor cur igni comparatur?

*Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.*

*Virgilius.*

Et vt penè ex infinitis ſacræ ſcripturæ locis patet, & præcipuè ex illo Leuitici. 6. *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubijciens ligna mane per*

*Leuit. c. 6.*

dies

Digitized by Google

*dies ſingulos*. Vbi ſicuti per altare, cor; ſic per ignem, amorem ſignificari aſſerit Ambroſius in Prologo de Spiritu ſācto, & de Iſaac, & Anima, cap. 8. & ſerm. 13. ſuper Pſalm. 118. Origenes ſuper Pſalm. 31. homil. 1. Auguſtinus ſerm. 108. Et ſerm. 125. Gregorius 2. moral. cap. 39. Et 3. moral. cap. 22. Multique alij. Et licèt diuerſos de hac re diuerſa dixiſſe non ignorem: illorum tamen mihi non parum ſatisfacit opinio, qui dicunt: quòd ob actiuitatē, igni cōparari debet amor; quia ſi ignis cùm maximè actiuus ſit, quietē neſcit; amor quietis impatientem reddit amantem: & ſicut ignis actiuitas nunquàm dicit ſufficit, ſic amoris operoſitas nunquàm in operando deficit: Ità inter cæteros Bernardinus Senenſis tom. 2. de mercatura diuini amoris. ſerm. 5. art. 2. cap. 2. verba illa Luc. 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus*, Diuo Franciſco accomodans, ait: *Ecce quomodo Dei amor eſt ignis, qui ſemper mouetur, & inſatiabiliter ardet in affectione nouus, in opere recens. Hoc igne ardebat mens glorioſi Franciſci, & corpus, qui cùm iam ſtigmata Domini in corpore ſuo geſtaret, ſummumque perfectionis culmen iam aſcendiſſet, ad fratres ſuos dicere ſolebat: incipiamus aliquid boni agere: &, quando incipiemus pœnitentiam facere?* Et in eodem tom. feria 5. pòſt Dominic. paſſionis ſerm. 46. art. 2. cap. 3. Sanctā Magdalenæ inquietitudinem ſic deſcripſit: *Ibat ad Sepulchrum Sanctum, atq; redibat, & indefeſſa quærebat, quem diligebat anima eius; in his omnibus pro dilecto nihil exiſtimans ſe feciſſe: didicerat enim ſequi, quod Dominus ait. Luc. 17. cùm hæc omnia feceritis, dicite: Serui inutiles ſumus: Propter hunc igitur infatigabilem amorem Apoſtolorum Apoſtola facta eſt.* Et ſerm. 52. Dominicæ Reſurrectionis artic. 3. cap. 1. tom. 1. ipſam Domini ſepulchrum, non ſemel, ſed pluries inſpicientem conſiderans, ſic ait: *Amor feruens impatiens eſt, & quieſcere neſcit, ac ſemper denuò ſperat ſe reperire, quem cupit: Ideò dum fleret inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, ſecundùm Gregorij dictū: amanti ſemel aſpexiſſe non ſufficit, quia vis amoris multiplicat affectum inquiſitionis.* hęc ipſe. Quibus omnibus ſatis apertè demonſtrat, quòd non ob aliud, niſi ob actiuitatem igni comparari debet amor: quia ſi ille maximè actiuus eſt, hic & ſemper ad operandum impellit, & in operibus indefeſſos reddit amantes.

*Ambroſ.*
*Origen.*
*Auguſt.*
*Gregor.*
*Luc. c. 17.*
*Bernardin.*

Beatiſſimus Pater Franciſcus ſēper nouo perfectionis flagrabat ardore.

*Idem.*

Magdalena ob amoris magnitudinem Apoſtolorum Apoſtola effecta eſt.

*Idem.*

Amor ipsā inquietam reddebat.

3 Ad cuius dicti probationem non parum faciunt ſponſæ verba. *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Cant. 3. Quorum verborū quotiès reminiſcor, non poſſum non mirari, quòd delicata hæc ſponſa, quæ ne ſomnum quidèm interrumperet, à ſponſo paulò ſuperiùs ne excitaretur, fuerat iniunctum: *Adiuro uos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitis, neque euigilare faciatis dilectam, quòad uſque ipſa velit*: cap. 2. nunc cubilis relicta quiete, non in ſellis, nec in quadrigis, ſed peditando, vt ſponſum quærat, laboribus, & ſudoribus non parcit. Vbi eſt ſponſæ verecundia? Vbi puellarū timiditas, quòd noctis tēpore ſine duce, ac comite vias circumeat, & plateas? Verùm dùm illam amore æſtuantem conſidero, quòd ſurgat, quòd currat, quòd quærat, non miror; quia amor, qui quietem neſcit, fortitudinem, & alas tenellis plantis addiderat: Quod confirmauit Gilibertus Abbas ſer. 3. in Cant. dùm ait: *Amantis anxietas illam dormire non ſinit, ſomnolentiam excutit, uigilias inducit, amor de quiete ipſa inquietior redditur, quieſcit tentatio, quieſcit occupatio, quieſcit afflictio: ſed quieſcere dilectio neſcit: occaſione enim accepta: ſuum neſcit amor non exercere negotium.* hactenus ipſe.

*Cant. c. 3.*
*Cant. c. 2.*
*Gilibertus Abbas.*

Amor quietem neſcit.

4 Nos autem ſi clariorem probationem rei huius, nempè quòd ſponſa ob amoris æſtum quieſcere non poſſet, optabimus, diligenter expendamus verba illa: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Gen. cap. 1. & videbimus, quòd ſi de ſpiritu ſancto erat ſermo, cùm hic moueri nullatenus poſſit, aliud nobis per hanc agitationem & motum indicare volebat: quod, vt placuit Bernardo, aliud non erat, niſi vt quàm impiger, quamque ſedulus euaſurus eſſet operator, qui huius diuini ſpiritus amore flagrare debebat, oſtenderet: ſic ipſe lib. 1. de amore Dei cap. 7. *Spiritus Sanctus procedens à Patre, & Filio, qui ab initio creaturæ fertur ſuper aquas, ideſt, ſuper mentes filiorum hominum fluctuantes, omnibus*

*Geneſ. c. 1.*

Spiritum Domini ſuper aquas ferri intelligi quomodo debet.

*Bernard.*

Spiritus ſāctus otium arcet.

*nibus ſe offerens, omnia ad ſe trahens inſpirando, aſpirando, & noxia arcendo, prouidendo vtilia, Deum nobis, & nos vniens Deo:* ac ſi diceret; quòd ſponſa hæc quietis impatiens, vicos circumeat, & plateas, mirum non eſt; quia illo ſpiritu ducebatur, qui ad hoc ſuper aquas dicebatur ferri, vt quàm ſancta inquietitudine, multos inquietos eſſet redditurus, oſtenderet: quod rei probauit euẽtus; nàm vltrà id, quod de ſponſa iàm diximus, etiàm Virgo beatiſſima pòſt verbi conceptionem, domi non manſit; ſed indè egreſſa, cum multa feſtinatione ad montana perrexit. *Exurgens Maria, abijt in montana cum feſtinatione.* Lucæ 1. Cuius velocitatis itinera, & laborum rationem reddit Ambroſius, qui lib. 1. in Lucam ait; quòd cùm Spiritus ſanctus per nouas gratiarum immiſſiones ſuper Virginem (iuxtà Angeli dictum, *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*) veniſſet; non ſolùm ipſam in penetralibus ſiſtere non ſinebat, ſed ad itinera, & labores, & ad maiora quàm priùs humilitatis, ac pietatis opera impellebat; cuius verba ſunt, quæ ſequuntur: *Quò enim iam Deo plena, niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet? Neſcit tarda molimina Spiritus Sãcti gratia:* Et pòſt pauca: *Mariã, quæ antè ſola in intimis penetralibus verſabatur, non à publico virginitatis pudor, non à ſtudio aſperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit.* Quod etiàm in Christo Domino completum obſeruauit Chryſoſtomus, qui hom. 5. ex cap. Matthæi 4. explicans verba illa: *Tunc ductus eſt Ieſus à Spiritu; à Spiritu Sancto:* dicit ipſe: & ſubdit: *Qui enim habent ſpiritum Dei, hi non ſunt contenti ſedere otioſi, ſed ipſe ſpiritus, qui eſt in eis, vrget eos ad aliquod opus apprehendendum magnum, cui Diabolus aduerſatur, qui eſt in deſerto:* Ex quibus manifeſtè apparet omnibus, quòd ſi ſpõſa Ciuitatis vicos, & plateas frequẽtabat, hoc ex alia cauſa non procedebat, niſi quia ſpiritu illo ardebat, qui vt igniculum in anima accendit, quietis impatientem, & otij prorſùs eam reddit ignaram.

*Lucæ c. 1.*

Maria cur ad montana feſtinat.

*Ambroſ.*

*Matt. c. 4.*
*Chryſoſt.*

Spiritus ſãctus ad operandum impellit.

5 Nunc paulatim cuiuſdam magnæ difficultatis, quæ in interrogatione illa ſita eſt: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Ioan. c. 21. ſolutionem intelligo: quonàm pacto intelligere poterat Petrus, an in Chriſti amore reliquos Apoſtolos ſuperaret? Si clarum eſt, quòd ponens differentiam inter duo, debet cognoſcere vtrumque: & in caſu noſtro, licèt Petrus ſuum amorem agnoſceret, aliorum tñ amor ſibi innoteſcere certè non poterat: quomodò ergo an alios in amore excederet, intelligere poſſet, nõ intelligit Toletus, qui difficultatem mouet, dicendo: *Nec mihi videtur ſilentio prætereundum: cur Dominus Petrum interrogat, an diligat plus alijs, cùm ſit certum, non potuiſſe de aliorum amore iudicare? Qui enim non cognoſcebat quantùm cæteri diligerent, quomodo poterat reſpondere, & cõferre amorem ſuum dilectioni cæterorum?* Et licèt non modica ſit difficultas; tamen is, qui præfatæ interrogationis cõſiderat tempus, haùd difficile, vndè Petrus, diſcipulique cęteri hoc deducere poſſent, intelligit: nàm immediatè antè, vt Ioannes ait, cùm in mari, Saluatorem in littore ſtantem diſcipuli agnouiſſent, ſolus Petrus nauigii tarditatem non ferens, relicta naui, per maris fluctus, veluti per ſolidam humum, immò veluti per planam plateam, vt ad Dominum citiùs perueniret, cucurrit: *Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alij autem diſcipuli nauigio venerunt.* ibidem. Pòſt ꝙ ardentiſſimi amoris indicium, quis magis Chriſtum amaret, deduci facilè poterat; quia cùm operatorius ſit amor, iuxtà operationis menſuram, menſurari poterat: & quia Petrus alios, qui ad Dominum nauigio veniebant, preuenerat, meritò an amore præcederet, interrogatur; quod ex operis exhibitione, cognoſci facilè poterat, dicente Gregorio: *probatio dilectionis, exhibitio eſt operis.* Mea non eſt hæc ſubilitas, ſed Diui Cyrilli, qui explicans præfatam interrogationem. *Simon Ioannis diligis me plus his?* in hunc modum loquitur: *Præueniebat alios Petrus, ardore namque Chriſti, præcipuo feruens ad faciendum, & ad reſpondendum paratiſſimus erat: vndè tarditatem modò nauigij videns, tunica ſuccinctus, in mare exilijt. Meritò igitur eum Chriſtus interrogauit ſi plus cum cæteris diligeret.* Sanè ſubtilis probatio, per quam amoris oſtenditur operoſitas: dum per operis menſuram ipſi-

*Ioan. c. 21.*

*Toletus.*

*Ioan. c. 21.*

*Gregorius.*

*Cyrillus Alex.*

Quomodo cognoſcere poterat Petrus, an plus alijs Chriſtũ amaret.

Digitized by Google

ipſius magnitudo menſuretur.

6 Porrò ſi quod pòſt præfatam interrogationem: *Simon Ioannis diligis me plus his?* & Petri reſponſionem: *Domine tu ſcis quia amo te:* Chriſtus ſubdiderit, expẽdemus: *Paſce oues meas, paſce Agnos meos:* inquirendi non deerit occaſio; cur pòſt tantum amoris ſcrutinium dominicarum ouium ei commiſſa ſit cura, non ante? Et videbimus, quòd multa cum ratione à Domino hic ordo ſernatus eſt, vt amoris confeſſio præcederet, & poſteà regiminis ſequeretur poſſeſſio. Quia ſi animarum gubernatio, multarum vigiliarum, multorumque laborum opus eſt, ſcribente ad Timotheum Paulo; quod *ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* cap. 3. meritò an ſuprà cæteros amaret, qui ſuprà cæteros conſtitui debebat, inquiritur: quia regiminis labores ferre nequit, qui amore non æſtuat & ardore, vt ſuper citata Ioannis verba notanit Brugenſis: *Munus paſcendi per ſe laborioſum eſt, atque moleſtum, quandò ſcilicet nihil difficilius eſt, quàm hominem aſſiduè docere, & continere ſub iugo Dei, quorum alij infirmi ſunt, alij leues & proterui, alij tardi & ſegnes, & alij duri & parùm dociles; numquàm ergò in hoc officio conſtantèr perget, niſi in cuius corde regnabit amor Chriſti, ad exemplum Apoſtoli dicentis: amor Chriſti vrget nos:* clariùs (ni fallor) ac ſi diceret: cùm Prælatio tantarum vigilarum, tantique laboris opus ſit, nullus omninò poteſt tale onus ſubire, ac tantum iugũ portare, niſi amore qui flagrat: quia cùm amor de ſe ad opus impellat, quoſcumque regiminis labores, leues reddit & dulces.

*Ioan. c. 21.*

*Ad Timot. c. 3.*

**Prçlationis onus.**

*Brugenſis.*

**Prælatus nõ benè gubernabit, niſi Chriſtum amet.**

7 Vlteriùs: adeò operoſus eſt Diuinus amor, quòd etiàm qui in matris vtero ſitus eſt, ſi diuinum huuc patietur incendium, contineri certè non poterit; quin etiam ibi impiger fiat operarius. Quod, vt clarè innoteſcat, ad Præcurſorem mentis oculum vertere debemus: nàm videbimus, quòd ipſe in materno vtero conſtitutus, vt cæteri eiuſdem temporis infantes feriari non potuit; ſed materna quatiens viſcera, carnis parietem, vt Præcurſoris fungeretur officio, rumpere contendebat, quod cùm facere requiret, ſaltibus ſaltem, vt bonus exercebatur Athleta. Quod in ipſius Ioannis perſona, explicans verba illa: *Ex quo facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio Infans in vtero meo:* Lucæ 1. acutis verbis expreſſit Chyſoſtomus. *Non expecto tempus naſcendi: nouem menſium tempus mihi non eſt hic neceſſarium: egrediar ex hoc tenebroſo tabernaculo, rerum mirabilium compendioſam prædicabo cognitionem. Sum ſignum: ſignificabo Chriſti aduentum. Sum tuba: proferam filij Dei in carne diſpenſationem.* Verumtamen vndè ad hoc moueri potuerit, quòd nempè in matris vtero, non vt cæteri quieſcere, ſed fortiter, vt bonus Athleta, ſe exerceret, declarauit Diuus Bonauentura, qui ait: quòd ad Chriſti præſentiam, iuxtà Angeli verba: *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ:* cùm Diuino ſpiritu eſſet repletus Ioannes, & nec tunc pœnitentiæ aggredi opera, nec iniuncti officij fungi poſſet miniſterio, quin ſaltibus ſaltem ſe exercerer, contineri minimè potuit: cuius verba ſunt iſta: *Ecce apparet, quod Angelus dixerat; Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ, ex quo datur ſpiritualitèr intelligi, quòd propoſitum ſanctum non poteſt latere, quin ſe manifeſtet, & amor internus prorũpat in opus.* Vndè Gregorius hom. 30. in Euangelia: *Nuſquàm amor Dei eſt otioſus:* Quis mente captus non intelliget, quàm otio ſit contrarius amor; ſi nec in ipſo matris vtero Ioannem quieſcere ſinebat; ſed ad ſaltandum impellebat, quem tunc ad aliud vrgere non poterat?

**Amans in matris vtero conſtitutus operatur.**

*Luc. c. 1.*

*Chryſoſt.*

Amore feruens, ſaltat in vtero Ioannes.

*Luc. c. 1.*

*Bonauent.*

Amor contineri non poteſt, quin foris erumpat.

*Gregorius.*

8 Mirum nunc non eſt, quòd cæleſtis hic ſpiritus, qui Ioannem, cæteroſque ad operandum impellit, digito cõparetur, dicente Saluatore: *Si in digito Dei eijcio dæmonia* Lucæ 11. per quem digitum Spiritum ſanctum figurari, vltrà ſanctos Patres, declarauit Diuus Matthæus, qui pro digito ſpiritum poſuit, dicẽdo: *Si ego in ſpiritu Dei eijcio Dæmones:* c. 12. quia ſi abſque digitis manus operari non valet: cùm digiti ipſam operoſam reddant; ſic qui Diuino ſpiritu, & amore priuatur, ſemper otioſus & ſegnis apparet; nàm ſi de profano amore dicere licuit: *Qui vult fieri deſidioſus amet:* de cæleſti, ac ſancto veriùs dicere licebit, quod dixit Deuotiſſimus Idiota lib. 1. de cõtemplatione Diuini amoris

Spiritus Sãctus cur digitus Dei appellatus.

*Luc. c. 11.*

*Matt. c. 12*

*Adagium.*

Amor otiũ, & difficultatem ignorat.

Idiota. ris : quòd *Omnia grauia, & difficilia verus amor facilia reddit, & quaſi nulla.* Quia ſicuti, qui digitos habet, facilè cuncta operatur, ſic qui hoc diuino ſpiritu viuit, difficillima quęque facillima exiſtimat.

9 Denique de hoc amore ſic concludam, dicendo: quòd non tantùm ad opus impellit, & grauia quæque leuia reddit, & dulcia; ſed etiàm mortis labores ſic facilitat, & dolores ſic dulcorat, vt amanti quælibet mors dulcis apparere conſueſcat, non amara: Idq́ue ex Martyrum conſtantia oſtendo, qui ſi cuncta tormenta ſpreuerunt; immò ſi puellę ipſæ hæc contempſerunt, hoc ex alio capite non procedebat, niſi ex amore, qui cùm in eorum corde flammeſceret, externas nō ſentiebant flammas, nec metuebant incendia; cùm externus ignis interno ſegnior eſſet, & flamma remiſſior. Quod licèt luculēter, præcipuè de S. Laurentio, dicat Diuus Leo in natali eiuſdem, in quo Tyrannū ſic irridet, dicendo: *Flammis tuis ſuperari charitatis Chriſti flamma non potuit: & ſegnior fuit ignis, qui foris vſſit, quàm qui intùs accendit*: Tamen præcitato in loco, de omnibus Martyribus indiſcriminatim dixit Idiota: *Verus amor facit omnia facilia, & quaſi nulla: ideò Sancti Martyres, omnia tormentorum genera, tamquàm dulcia, non ſolùm patiebantur, ſed etiàm bilariter præ ardenti amore ſuſtinebant, qui tormentis ſuperari nullatenus poteſt.* Ex quibus omnibus; cur tabernacula efficere, domoſque conſtruere vellet Petrus, deduci facilè poteſt: quia ab externis laboribus contineri non poterat, qui interno æſtuabat amore.

Diuus Laurentius tormenta, & Tyrannum irridet.

Leo Papa.

Idiota.

Sancti Martyres tormenta non timēt.

✠

## Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Matt. 17. Neſciens quid diceret. Lucæ. 9.

### §. IV.

*Nō poteſt non inſanire, qui amat; cùm verus Dei Amor exſtaſim pariat, et iſaniam.*

1 QVòd amoris oculos profani operire ſtuduerint Poetæ, cùm in reliquo nudum prorſùs ante omniū oculos ſtatuere decreuerint; non ob aliud factum puto, niſi, vt amoris inſaniam oſtenderent; quia ſi dilaceratis veſtibus nudè incedere magnæ dementiæ ſolet eſſe indicium, dementiſſimum quis non vocabit amorem, qui mentis quia caret lumine, vt ſtultus, nudè videri non erubeſcit? Vndè de eo quemdam ceciniſſe reperio.

Inſanire facit amoris exceſſus.

*Luminibus caſſum, fama eſt, finxiſſe Poetas*
*Idalium puerum; nàm lumina caſſat amantum.*

& paulò infrà

*Certè, cum nullo corpus velamine monſtrat,*
*Stultitia inſani manifeſta pateſcit amantis.*

Quæ etſi Poetarum ſint fictiones, quod tamen verum exiſtimo, eſt: quòd Diuinus amor, qui omnem alium amorem longè ſuperat, tantæ uis eſt & virtutis, vt ebrios adeò homines reddere ſoleat, vt in vocibus, & geſtibus ab amentibus aliquandò parùm differre videantur: Vndè de deuota quadam muliere Deum ardenter amante refert Cancellarius Pariſienſis Gerſonius; quòd cùm Euangelizantem audiret attentè, abundantiùs ſolito diuino incenſa ardore, vt ebria ſuſpiria dabat & voces, quibus actus tales & geſtus copulabat, quòd cùm omnium opinione inſana putaretur, ab Eccleſia egredi compellebatur: ſed antequàm eijceretur, ob feruidi



Digitized by Google

uidi amoris æſtum, rupto corporis vtre, expirauit; quod his verbis refert *Ioann. Gerſo.* Cancellarius citatus. *Legiſſe me memini de quadam muliere deuota, quæ ſermonem ſuper transformatione mentis in Deum per dilectionem die Pentecoſtes audiens, cõcutiebatur primò gemitibus inenarrabilibus, ſuſpirijs, atque ſingultibus, quæ dùm culparetur, & prohiberetur à circumſtantibus, nè clamoribus ſuis turbaret audientes, dicentes: tace fatua, quieſce inſana, ipſa compreſſa ſpiritu, veluti muſtũ ſine ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit, non valens plenitudinem ampliùs feruidi ſpiritus intrà ſe capere, diſruptis neruis, & venis, expirauit:* Sic ipſe tom. 2. Sermone de Spiritu Sancto. vbi de eadem ſic immediatè concludit: *Beata, per meam fidem, ſic enim piè eredere fas mihi eſt, beata Martyr amoris effecta, quæ iàm canere poterat, nè dùm illud: Amore langueo, vulnerata charitate ſum; ſed & amore mortua: mortua mihi, ſed amato viuo.* Quæ ſi plus quàm vera ſunt, dicere meritò poterat Areopagita; quòd *Exſtaſim parit amor*, hoc eſt, extrà ſe reddit amantem. Cuius rei ſi alia non extaret probatio, Petri ſatis eſſet exemplum, qui amore feruens, à ſe egreſſus, quid diceret ignorabat: quam ignorantiam excuſat Diuus Ambroſius ſerm. de Aſſumpt. quùm dicit: *Ignorat amor iudicium, & ratione multotiès caret.* Fœlix dementia, & pluſquàm beata inſania, cui nulla comparari poteſt ſcientia, nec ſapientia aſſimilari, de qua longiùs in ſequentibus.

Amoris feruore quędã Deuota moritur.

Martyr amoris.

*Dionyſius Areopagita*

*Ambroſius*

Amor inſanus

2 Quod in Prodigo inhoneſtus effecerat amor, propter quem à ſe egreſſus inſinuatur, dùm in ſe regreſſus deſcribitur, dicente Auguſtino: *Extrà ſe erat; conſumpſerat enim ſubſtantiam ſuam viuẽdo luxurioſè cum meretricibus: meritò propter hoc extrà ſe ipſum erat; nàm qui non gubernatur ratione, ſed præter rationem viuit, extrà ſeipſum eſt.* Hoc Diuinus efficit amor, qui propterea exſtaticus à Diuo Dionyſio nuncupari ſolet; quia extrà ſe multotiès amantem reddit. Quod Sponſa illa experta eſt, quæ Sponſi deſiderio ardens, de eo his verbis percontari ſolebat. *Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Cant. 3. Quæ verba inſanientis potiùs, quàm ſapientis mihi videntur, dùm quærit, & quod quærat, non explicat. Quis intelligere poterat eius voluntatem, & quem quærebat, oſtendere, ſi quem diligeret, non declarabat? Verùm & ſi irrationabilis peritio, culpabilis tamèn nequaquàm, quià cùm Spõſi amore æſtuaret Sponſa, vt ebria, immò ſapienti (ſi fas eſt dicere) inſania inſaniens, quid diceret, ignorabat. Quæ Bernardi fuit ſubtilitas, qui ſerm. 79. in Cant. Diuini amoris, à quo hæc ſancta inſania procedebat, vim conſiderans, clamare cæpit, & dicere: *O amor præceps, vehemens, flagrans, impetuoſe, qui confundis ordines, diſſimulas vſum, modum ignoras, & omne quod rationis, quod conſilij, iudicijue videtur, redigis in captiuitatem! num quem diligit anima mea vidiſtis? quaſi hi ſciant quid cogitet ipſa. Quem diligit anima tua, fortè non habet nomen, quòd dicis: num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Ecce quomodò cęleſtis Sponſi amor, qui iàm in Sponſæ corde flammeſcebat, eà ſic extrà ſe duxerat, vt penitùs quid diceret, ignoraret.

*Auguſtinus*

*Cantic. c. 3.*

*Bernardus.*

Amoris vehementia inſania.

3 Aſt ab Sponſo quem quærebat, quid Sponſa optaret, inquiramus: & quòd oris oſculum deſideraret, reperiemus. *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino.* Cant. 1. Sed ſi alia non reperiuntur oſcula, quàm oris, cur non dicit: *oſculetur me*; quòd addere voluit: *oſculo oris ſui*? ſi manus, aut pedes oſculari poſſent, quid amplius ad diſtinctionem dicere potuiſſet, quàm *oſculetur me oſculo oris ſui*? Verùm Bernardus ſermon. 9. in Cantic. ait; quòd cùm amore nimio flagraret, ratione non ducebatur, ſed deſiderio: ex quo fiebat, vt in multas loquendi improprietates incideret. Vndè in eius perſona recenſito in loco Bernardus. *Oſculetur me oſculo oris ſui. deſiderio feror, non ratione. Ne quæſo cauſemini præſumptionem, vbi affectio vrget. Non ignoro, quòd honor Regis iudicium diligit, ſed præceps amor, nec iudicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi ſubijcitur.* Quòd in plures loquẽdi improprietates, incidat Sponſa, ne quæſo miremini; quià ſi deſiderio ferebatur, non ratione, quid diceret, ignorabat, & quid peteret, non intelligebat.

*Cantic. c. 1.*

*Bernard.*

Amor rationi non ſubijcitur.

4 Titelmanus prætereà in ſua catena pręcitata Sponſę verba conſiderans, obſtupeſcit; & quidèm non

ſine magna ratione: quia Sponſum, ad quem priùs vt abſentem ſermonem dirigebat Sponſa, dicendo: *Oſculetur me oſculo oris ſui*; vt præſentem poſtea alloquitur, quùm ſubdit; *Quià meliora ſunt vbera tua &c.* Quid dicis? quid loqueris, ò Sponſa? (ait ipſe) quis loquendi modus, & quæ verborum connexio eſt iſta: *oſculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt vbera tua?* Cur non potiùs dicis: quia meliora ſunt vbera ſua? an fortè extrà te es, & propterea quæ dicis, non intelligis? Ità ſanè: quia immodicus Sponſi amor fatuari te fecit, nec quæ loqueris, attendis, nec de quo loqueris, an præſens ſit, vel abſẽs, conſideras. Relatus Titelmanus. *Illic tãquàm de abſente ſub tertia loquitur perſona, hîc quaſi de eodem in momento temporis, ad eumdem vt præſentem, ſub ſecunda perſona dirigit ſermonem: huiuſmodi enim in ſermone abuſus, & improprietates facilè ſolet amor effutire immodicus.* hactenus ipſe: cuius vltima, *Facilè ſolet amor effutire immodicus,* optimè probant hãc amoris inſaniam, de qua noſter eſt ſermo.

*Titelmanus*

Amor inſanus, & inconſiderans

5 Nunc Feſtum errasse percipio, dùm Paulum de Chriſto prædicantem, & de mortuorum reſurrectione differẽtem, ob multas litteras inſanire putabat. *Hæc loquente eo, & rationem reddente, Feſtus magna voce dixit: Inſanis Paule, multæ te litteræ ad inſaniam conuertunt* Act. 26. quià non litteræ Paulum inſanire faciebant; ſed amor ille, qui omnes potentias animæ abſorbere ſolet, eum multotiès ſapienti inſania inſanire faciebat. Vnde Lyranus: *Homines enim tales, qualis fuit Paulus, frequentèr reputati ſunt à mũdanis hominibus amẽtes, & inſani.* Sicuti nouo Spiritus Sancti igne ardẽtes diſcipul, ſtulti exiſtimabãtur à nonnullis, qui his verbis eos irridebant: *Muſto pleni ſunt iſti*. Actorum 2. quod tametſi irriſoriè diceretur, aliqualitèr tamèn negari non poterat, quòd verum non eſſet: nam etſi Apoſtoli terreno muſto non maderent, vino tamẽ gratiæ ſpiritualis inſtar ebriorum erant repleti, vt dixit Carthuſianus. *Feruor amoris inebriauerat eos, biberantque vinum, quod Chriſtus ſapi ntia Patris miſcuit eis.* Quod agnoſcens Petrus, ſic irriſoribus declarauit, dicens: *Viri Iudæi, & qui habitatis Ieruſalem vniuerſi, hoc vobis notum ſit. Non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia: ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioel. In nouiſſimis diebus effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem &c.* ibidem: Quod idem erat, ac dicere; quòd nos ebrij ſimus, concedimus; & quòd inſaniamus, non negamus: verùm hoc nòn efficit terrenum vinum, vt putatis; ſed ille cœleſtis ſpiritus, qui ſuper nos omnes effuſus, ſic corda Viatorum rapuit, vt ſpiritu ebrij, & amore inſani nõ ſine ratione vocemur. Ex quo concludere viſum eſt Bedæ, & dicere: *Quamuis irriderent, myſticè tamèn verum dicebãt; quia nõ vino veteri, quod in nuptijs Eccleſiæ defecit, ſed muſto gratiæ ſpiritualis erant repleti: iàm enim vinum nouum in vtres nouos venerat, cùm Apoſtoli non in litteræ vetuſtate, ſed in nouitate ſpiritus Dei magnalia reſonarent*; Ex quibus ſatis verum apparet, quod Lyranus paulò ſuperiùs aiebat: quòd *Homines tales, qualis fuit Paulus, frequenter à mundanis hominibus amentes reputati ſunt, & inſani.*

*Act. c. 26.*

*Lyranus.*

Paulus amore feruens inſanus putabatur

*Actor. c. 2.*

*Carthuſian.*

Amoris ebrietas.

*Beda.*

Apoſtoli ob amoris feruorem ebrij exiſtimã tur

6 Nec mirũ, quod inſani, & ebrij vocarentur diſcipuli, ſi ob amoris magnitudinem quandoque furioſus vocabatur Magiſter; nàm vt refert Diuus Marcus cap. 3. cùm ſaluator vehementiſſimè immundis ſpiritibus comminaretur, eum in furorem verſum putantes, tenere voluerunt nonnulli. *Exierunt tenere eum: dicebant enim quoniam in furorem verſus eſt.* Quod et ſi verum non eſſet, tamèn cùm amans & amens, feruor & furor parùm differant, vt dixit quidam.

*Marc. c. 3.*

*Tenui quando*
*Limite diſtat*
*Furor amentium*
*Feruor amantium*

Amans, & Amens parũ differunt.

Zeli excæcati liuore, amantem, amentem; & feruentem, furentem putabãt. *Inſaniæ adſcribunt* (dixit Lucas Brugenſis) *quæ ab ipſo fiebant, quæ poterant æſtimare ex ardenti ſtudio pietatis: cui eum à puero cognouerant addictum, oriri.* Quòd igitur mente capti uocentur diſcipuli, mirum non eſt; ſi ob amoris vehementiam, etiam furioſus quandoque vocabatur Magiſter.

*Brugenſ.*

7 Verùm quis ebrius, & amens fuerit, pòſt mortem mundani agnoſcent; qui

Digitized by Google

qui dùm ſe gehennæ filios, iuſtos autèm regni hæredes videbunt & gloriæ, dicere cogentur, vt ait Sapientia: *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* Cap. 5. ac ſi dicerent: heù nos miſeri, & infœlices! hæccine eſt iſtorũ ebrietas, & hi sũt quos, vt inſanos, irridebamus? inſani ſumus nos, qui tàm ſobrios, ebrios putabamus; & tàm ſapientes, amentes exiſtimabamus: & tandem inter longas, amaritudines, fletus, & eiulatus concludent, dicendo: *Ergò errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis:* ibidem. Quia cùm potiùs noſtram ſtultitiam agnoſcere debuiſſemus, ſpìritu ebrios, vino madentes; & Diuino inſanientes amore, vt mente captos & ſtultos contemnebamus. Vndè Rupertus Holchot lect. 59. ſuper idem, de iuſtis ſic dicit: *Iſti apud mundo deditos fatui, fabuloſi, & inſani putantur; ſed à quibus? certè nonniſi ab inſanis mundi amatoribus, qui nunc benè incipiunt ſuum confiteor dicentes: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam.*

*Sapient. c. 5*

ibidem

*Rupertus Holchot.*

Amantes Deum, amentes reputantur,

8 Igitur vt verum concludere debemus, quòd cùm paruus ſit hominum amor, perfectus vocari nequaquã poterit, niſi hac ſapienti inſania inſanire faciat: quod forte inſinuare voluit Saluator, quandò de cœleſti primatu interrogatus. *Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: quis putas, maior eſt in regno Cælorum?* Matthæi 18. accito paruulo, & ante eorũ omniũ oculos cõſtituto, ſic ait: *Niſi efficiamini ſicut paruuli, nõ intrabitis in regnum Cælorum.* ibidem: per quam paruuli ſimilitudinem, communis eſt Sanctorum Patrum opinio, ſpoliationem mundanorum affectuum commendaſſe. Vnde Chryſoſtomus hom. 56. ſuper pſal. 18. *paruulum autèm ætate, & quidèm mea ſententia valdè paruulum, qui ab omnibus eſſet paſſionibus liber, in medio ſtatuit:* Ex qua Chryſoſtomi ſententia, nempè, quòd nedùm paruulum, ſed valdè paruulum in medio ſtatuerit Saluator, aliã ego conſequentiam deduco, & eſt; quòd ideò valdè paruulum in medio ſtatuit, vt quiſnam verus, & perfectus ſit amor, oſtenderet: quiã ſi valdè paruuli rationem habent, vſum autẽ rationis nequaquàm: ſic qui amat, ſi ob amoris exceſſum, vt paruulus, immò vt amens quandoque vſu rationis non caret, nullatenùs perfectè amare dici poterit. Vndè dicere ſolebat Seneca; quòd, *Si quis in amore modum tenere velit, idem eſt, ac ſi eum ratione inſaniat: & tamèn includis contradictionem, cum ratione inſanire; quia ratio de ſingulis rectè iudicat, & inſaniens de ratione nihil habet.* Quia igitur de cœleſti primatu à diſcipulis lis mota fuerat, & quæſtio, vt eam ſolueret Magiſter, valdè paruulum in medio ſtatuit, ac ſi diceret: ſi iuxta amoris menſuram erit cœleſtis retributio, qui cæteros in amore excedet, cæteros in Cęlis dignitate præcedet; vt autem quis veriùs, perfectiùs, atque ardẽtiùs amet, agnoſcatis, paruulum rationis vſu carentem propono, vt percipere poſſitis, quòd qui magis ad paruuli, immò ad fatui ſimilitudinem accedit, magis amat; cùm verus amor amantem inſanire, immò furere (ſi fas eſt dicere) multotiès faciat. Cui meæ cogitationi Toſtatus (ni fallor) applaudit, qui quæſt. 13. ſuper citata Matthæi verba dicit: *Pueri paruuli, vt ſeptemnes, vel minores, quos potiùs infantes, quàm pueros dicimus, à peccatis omnibus immunes ſunt, cùm vſu rationis careant, & talis erat puer, quem Chriſtus accepit, & imitandum tradidit Diſcipulis.* Quem puerum imitabatur Petrus, qui cùm amore non modico æſtuaret; vt paruulus, immò vt valdè paruulus, quid diceret, ignorabat.

*Matth. c. 18*

*Chryſoſt.*

*Seneca*

Cum ratione inſanire quid ſit

*Toſtatus.*

Iuſti paruulos imitari debent & quare,

FERIA

Digitized by Google

# FERIA SECVNDA

POST

# DOMINICAM SECVNDAM

## QVADRAGESIMAE.

Dixit ergo iterum eis Ieſus: ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Ioannis c. 8.

### §. I.

*Curſus ad mortem cùm ſit præſens vita, mors eſt potiùs dicenda, quàm vita.*

1 ILlius ſolertiſſimæ mulieris Thecuitis verba: *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* 2. Reg. 14. quotiès reminiſcor, non poſſum non mirari, quòd de ſua, aliorumq; morte ſermonem habens, in præſenti, non in futuro loqueretur, dicendo: *Omnes morimur:* quià ſi mors priuatiuè opponitur vitæ, nullus ſimul viuere, & mori poteſt: propterea cur potiùs morimur, quàm moriemur, dicere voluerit, penitùs non intelligebam: uerùm poſtquam Ariſtotelis audiui ſententiam: quòd motus non à termino à quo, ſed à termino ad quem ſpecificari debet, omnẽ dubitandi occaſionem amputatam vidi: quià ſi uita præſens motus eſt, qui à natiuitate incipit, & ad mortem deſinit: ſicuti in reproborum perſona declarat Sapientia cap. 5. *Sic & nos nati continuò deſinimus eſſe:* mors eſt potiùs dicenda, quàm vita, cùm eius terminus ad quem terminatur, mors ſit, & non vita. Vndè Rupertus Holchot ſuper citata Sapientiæ verba, ſic ait: *Homo enim natus cùm incipit viuere, incipit etiam mori, cuius viuere, eſt à vita tranſire. vndè Auguſtinus* 13. *de Ciuit. Dei. cap.* 9. *ex quo quiſq; in iſto corpore morituro eſſe cœpit, ſemper in eo agitur, ut mors ueniat: hoc enim agit eius mutabilitas toto tempore uitæ huius, ſi tamèn uita dicenda eſt, ut ueniatur ad mortem, & omninò nihil aliud eſt tempus uitæ huius, quàm curſus ad mortem.* hactenus ipſe. Ex quibus, cùm ſatis pateat vitam præſentem mortem potiùs eſſe dicendam, quàm vitam, cũ motus, immò curſus ad mortem ſit, dubitari ampliùs non poterit, cur Sapientiſſima Thecuitis de morte loquens, in præſenti, non in futuro loqui voluit: quia ſciebat ad mortem tendentes, mortuos vocari debere, non viuos: quod & Heraclitum non latuit, qui dicere conſueuerat: *Generationem eſſe mortem:* Et non ob aliud ſanè, niſi, quià ab ea qui ſumit exordium, ſtatim ad mortem dirigit greſſus: quam veritatem proprio ore roborare dignatur ille, qui per eſſentiam, præſentiam, & potentiam vbiq; eſt; cùm de ſua humanitate dicit: *Ego uado:* hoc eſt, ad paſſionem, & mortem: quæ profectio cùm ad mortem terminetur, mortalis vocari debet, non vitalis. Nil aliter citata Saluatoris verba explicat Diuus Vincẽtius Ferrerius ſerm. 2. pòſt reminiſcere: *Chriſtus loquitur hic de ſua humanitate, ſecundùm quam ibat ſequendo curſum temporis, & iſta eſt humanitas uera: quia ſemper homo uadit, ſiuè dormiat, ſiuè quieſcat; nàm ſtatim quãdò puer eſt natus, incipit ire: vita enim iſta non eſt, niſi uia: filius quidem hominis uadit, ſicut ſcriptum eſt de illo.* Quæ omnia & ſi vera ſint, validiora tamèn argumenta ipſa validiùs probabunt.

2 *Nolumus autem uos ignorare fra-*

2. Reg. 14.

Sapien. 5.

Vita præſẽs mors eſt dicẽda potius, quàm vita.

*Rupertus Holchot*

*Heraclitus.*

Generatio mors eſt.

*D. Vincent. Ferrer.*

Vita tota via ad mortem.

*tres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.*

1.Theſſalõ. cap.4.

Verba ſunt Diui Pauli ad Theſſalon. Epiſt. 1.cap.4. quibus ſaris apertè demonſtrat, Chriſtianos, qui pòſt mortem meliorem, perfectioremq; vitam expectant, præſenti occaſu minimè mœrere debere, immò cũ mors iſta mortis præſentis finis ſit, & vitæ ſequentis initiũ; lætari potiùs debent, quam triſtari: tamèn, vt Barceſæ lib.1.de Parad.part.1. cap.28. placuit, non ſolùm Paulus præfaris verbis futuram reſurrectionẽ ſuadere voluit; ſed etiam quomodò viuentes vocari debeant, declarauit: quia ſi mortuos propterea dormientes vocauit, quià certiſſimam habent reſurgendi ſpem, viuentes, defuncti vocari debent, non viui, cùm certiſſimè ſciant ſe morti addictos. Citati autèm Barceſæ verba ſunt hæc: *Si enim Diuus Paulus Apoſt. eos, qui mortui ſunt, rectè uocat dormientes propter certiſſimam reſurrectionis ſpem, cur non Adamus, poſtquam peccato mancipatus eſt, mortuus uocari debuit?* hæc ipſe: quibus licèt benè oſtẽdat præſentem vitam mortem nũcupari debere; tamen quià talis illatio non ex tendentia ad occaſum, ſed potiùs ex mortis certitudine procedit; ideò aliud de ipſomet Adam tibi in memoriam redigo, & eſt ſententia illa, quam pòſt pomi eſum, tranſgreſſionem, atq; peccatũ contra ſe prolatam, audiuit. *In ſudore uultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Geneſ. cap.3. quæ verba conſiderans Gregorius, quomodò qui in puluerem erat reuerſurus, puluis eſſe poſſet, quòd dicitur: *Puluis es, & in puluere reuerteris*, diligenter inquirit, nec ſine ratione laborat: nam in genito, & corrupto non vna & eadem forma reperitur, ſed corrupta vna, generatur alia: vndè dicere ſolebat Philoſophus, quòd corruptio vnius eſt generatio alterius, aliàs enim aperta verificaretur contradictio: quià idem eſſet, & non eſſet ſimul, quod eſt impoſſibile; eſſet quidèm, quia generaretur, & non eſſet, quia corrumperetur, quod quàm falſum ſit, rectè philoſophantibus patet: ergò ſi Adam in puluerem erat reuerſurus, puluis eſſe non poterat: quià ſi ex ligno non lignũ, ſed ignis fit; ſic ex puluere non puluis, ſed aliud fieri debet: aut igitur Adam puluis non erat, aut in puluerem reſolui non debebat: tamen acutiùs ſi conſideretur, nulla reperietur contradictio, difficultas nulla apparebit: quia vt Adam mortis accepit ſententiam, & puluis erat, & in puluerem reſolui debebat: immò quia in puluerem erat reuerſurus, puluis vocari meritò poterat; quia ſi per ſententiam pulueri adiudicabatur, puluis vocari potuit; cùm motus à termino ad quem ſpecificationẽ deſumat, vt paulò ſuperiùs dixiſſe me memini. Gregorium nunc adduco in Gloſſa citatum. *Homo ità conditus fuit, ut manente illo, decederent tempora, nec cum temporibus tranſiret; ſtatu autem immortalitatis amiſſo, curſus eum mortalitatis abſorbuit, & ad mortem tranſeundo didicit, quod fuit, cuius radicis amaritudinem, quaſi in uirgulto tenemus, quia eius curſum naſcendo ſortimur, ut ipſo momento, quo uiuimus, à uita tranſeamus, dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adoleſcentiam, adoleſcentia ad iuuentutem, iuuentus ad ſenectutem, ſenectus tranſit ad mortem.* Aurea prorſus verba, quibus nimis luculenter oſtendit Gregorius, quòd Adã antè tranſgreſſionem puluis non vocabatur, quia ad puluerem non tendebat: ut autem mortis fuit prolata ſententia, mortuus vocari poterat: & dum ad puluerem currebat, puluis meritò dici debebat: cuius cladis nos expertes non ſumus, quià in uitiata radice vitiati naſcimur, vt Greg. ait. *Eius curſũ naſcẽdo ſortimur, ut ipſo momento, quo uiuimus, à uita tranſeamus:* quam currentis vitæ infœlicitatem agnoſcens Trimegiſtus, hominem deſcribendo, dicere conſueuit: *Homo eſt corruptionis uinculum, uiua mors, ſenſitiuum cadauer, ſepulchrum circumuerſibile.*

Moyſes Barceſa.

Vita præſens mors.

Geneſ.c.3.

Philoſoph.

Gregorius

Adam cur vocetur puluis, antequã in puluerem redeat.

Homo quid apud Trimegiſtum.

3 Quis rudis, ac prorsùs ſcripturarum ignarus nunc non intelliget, qua de cauſa Saluator cæcum à natiuitate illuminare volens, verbo & imperio, vt facere poterat, & conſueuerat, hoc efficere noluit; ſed ex luto, & ſputo formato collyrio, cæci oculos liniuit? *Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius.* Ioann. 9. quia ſi per cæcum iſtum genus figurabatur humanum, quod à primo homi-

Ioan.c.9.

ne

*Auguſt.*

ne originem ducens, illius cæcitatis hæres extitit & ſucceſſor, vt ait Auguſt. tractatu 44 in Ioann. *Genus humanum eſt ille cæcus: hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus: non ſolum mortis; ſed etiam iniquitatis.*

Humanum genus, cæcus à natiuitate.

vt infœlicem agnoſceret ſtatum, in quem per culpam deuenerat, luto linitur, ac ſi cœleſtis hic medicus ſilentio loquens diceret: ideò lutum ſuper oculos impono, vt cùm tibi illos aperire contigerit, cùm optatũ receperis viſum, primũ, quod intueri debes, eſt puluis, vt ex quo te morti addictum intelligis, etiam viuendo, puluerem, & cinerem te eſſe agnoſcas.

*Vgo Cardin.*

Vgo Cardinalis ibidem. *Illuminatur per duo, per ſputum, & lutum: conſiderare enim debemus vilitatem noſtram, quod ſignificatur per ſputum, & fragilitatem, quod ſignificatur per terram; hæc duo ſunt collyrium oculorum, ut homo ſe uideat, & agnoſcat.*

Cęcus natus cur luti collyrio illuminatus.

Certè vides, quàm ſapienter à Deo dictum ſit: puluis es, & in puluerem reuerteris; quia ſi adhibito collyrio, inunctis oculis, & excuſſa cæcitate, viſum in directum leuabimus, verum eſſe agnoſcemus, quòd cùm mortalis hæc vita curſus ad mortem ſit, mors ſit potiùs dicenda, quàm vita.

4 Succedat ad probandum, proximè dictũ illud, quod in Chriſti transfiguratione accidiſſe teſtatur Matthæus, & eſt: quòd transfigurato Domino, Moyſes, & Elias apparuerunt:

*Matt. c. 17.*

*Ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias loquentes cum Ieſu.* Cap. 17. ſuper quæ verba non parum Sacræ Scripturæ Expoſitores deſudant, vt quid Moyſes, & Elias, dicerent, oſtendant: vndè inter cæteros Ioannes Ferus.

*Ioannes Ferus*

*Quid quæſo loquebantur cum Chriſto? verè magnum aliquid ſit oportet, quod tales, tantæq; perſonæ inter ſe cõferunt.*

Exceſſus in Transfiguratione, quis fuerit.

Ego autem, qui Lucam reperio dicentem, ipſos de exceſſu fuiſſe locutos. *Ecce duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moyſes, & Elias viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.* Cap. 9.

*Luc. c. 9.*

nec de quo loquerentur, nec quisnam eſſet exceſſus iſte, de quo loquebantur, vt oſtẽdam, multum laboro; quia plures noui dicentes: Saluatoris paſſionem, & mortem per hunc exceſſum debere intelligi. Vndè vbi noſtra vulgata legit: *dicebãt exceſſum eius.* vertit Euthymius.

*Euthymius.*

*Dicebant exitum, & gloriam.* qui exitus, cùm ab exceſſiuo amore oriretur, exceſſus meritò vocari poterat. Ità Lyranus.

*Lyranus.*

*Dicebant exceſſum, id eſt, paſſionem eius futuram, quam ſuſtinuit ex maxima Charitate, quæ dicitur hic exceſſiua: non quia exceſſit modum virtutis; ſed quia excellentiſſimum eius gradum attingebat.* Sed quod me multum fatigat, eſt verbum illud, *Completurus. Quem completurus erat in Ieruſalem*: quia ſi de morte hic agebatur, cùm hæc non paulatim introducatur, nec ſucceſſiuè adueniat; ſicuti formæ accidẽtales, quæ gradus admittunt; ſed cùm ſit priuatio vitę, quæ in inſtanti accidit, dicere debebat Euangeliſta: dicebant exceſſum, quem oſtenſurus, ſiuè paſſurus erat in Ieruſalem, & non, quem completurus erat in Ieruſalem: quia verbum hoc, compleo, inceptionem denotat, & principium, cũ cæpta compleantur, incepta autem nequaquã completi dicantur, igitur ſi mors inchoata non erat, vt illa quæ in inſtanti euenit, non in tempore: quomodò complenda deſcribitur, quùm dicitur: *Dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.* ſed proh vitæ præſentis infœlicitas! quæ in eodem inſtanti, in quo ortum agnoſcit occaſum, experitur: quia cùm à natiuitate ad mortem tendat, viua mors dici poteſt, quæ in morte poſteà terminum accipit, & complementum: vnde dicere ſolebat Seneca Epiſt. 59.

*Seneca*

*Quotidiè morimur, quotidiè demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoq; cùm creſcimus, vita decreſcit, & hunc, quem agimus diem, cũ morte diuidimus,*

Quotidiè morimur.

quod cũ meliùs agnoſceret Lucas, mortem non in futuro tãtùm, ſed etiam in præſenti poſuit, dicẽdo.

*D. Lucas.*

*Dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.* Dicere (ni fallor) volens, quia Saluator à natiuitatis exordio, ſecundùm humanitatem ad mortem tendere cæpit, quia viam illam currebat, de qua prædixerat Dauid Pſal. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.*

*Pſal. 18.*

quæ via pro termino occaſum habebat, & mortem, iuxtà illud pſal. 7. *Aſcendit ſuper occaſum.* Idcircò, ex quo curſus hic cœpit: mors incepit, & cùm mortali vita viueret, non tàm mortem pati, nec ſubſtinere, quam

com-

complere, & terminare debebat: ideò eius exitus exceſſus vocari debebat, qui tandem in Ieruſalem erat complēdus: *D.Bonauen.* ſallor niſi hoc confirmauit Diuus Bonauentura ſuper citata Lucæ verba, **Chriſti mors exceſſus.** quùm ait: *Mors Chriſti fuit etiam exceſſus: iſtum exceſſum compleuit in Ieruſalem, vbi Crucifixus eſt, in quo fuit conſummatio noſtræ redemptionis, iuxtà illud: decebat eum, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare: ad Hebræos 2. vndè & ipſe prædixit: aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia.* quorum ſi præcipuè perpendantur illa. *Iſtū exceſſum compleuit in Ieruſalem, vbi Crucifixus eſt.* ſatis clarè videbitur, quòd à Natiuitatis exordio (ſi fas eſt dicere) cùm vitam ducere cœpit, mors incepit: *Iſidorus.* Iuxta illud Iſidori. *Incipies ipſa die mori, cùm vita ſit prolixior mors.*

5 Altiori indagine quod modò diximus ſi veſtigare voluerimus, ipsū cōſulamus Saluatorē, & quid de morte ſua ſentiat, interrogemus, & videbimus, ꝙ vbi Ioanni, & Iacobo primatū ambientibus: vt eorum ambitionem retunderet, ſuam futuram paſſionem propoſuit, dicendo: *Matth. c. 20* *Neſcitis quid petatis, poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus sū?* Cap. 20. idipſum per Marcum explanās, non vt futuram, ſed vt præſentem obiecit, cùm ait: *Marcus ca. 10.* *Poteſtis bibere Calicem, quē ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor baptizari?* Cap. 10. Ex quo diuerſo dicendi modo parùm anceps non eſſem, quomodò calix, qui bibēdus erat, actualiter biberetur? & quomodò mortē, quæ ſuſtinenda erat, actualiter pateretur? & vt concludam, quomodò vnum & idē, ſimul & ſemel, futurum & præſens eſſe poſſet? capere nullatenùs poſſem; niſi per calicem iſtum, de quo hìc eſt ſermo, mortem ſignificari agnoſcerem: **Calix Chriſti paſſio.** vt inter cæteros dixit Euthymius. *Euthymius.* *Poculum dixit mortis, & baptiſmum, qui fit per ſanguinem. Nam & poculum, & baptiſmum vocat eedem læto animo prò hominibus ſuſceptam*: quid ſi hæc, vt paulò ſuperiùs à Diuo Luca accepimus, à natiuitate ſumpſit exordium, & in morte complementum accepit, cùm nō priùs homo viuere incipiat, quàm mori, iuxta illud Iſidori paulò ſuperiùs allatum: *Iſidorus.* *Incipies ipſa die mori, cùm vita ſit prolixior mors.* Verè Saluator, & quòd mortis calicem actualiter biberet, & quòd illū eſſet bibiturus, dicere poterat; quià & actualiter (ſi fas eſt dicere) moriebatur, cùm ad mortem curreret: qui curſus, ratione termini ad quem, mortalis, non vitalis eſt cenſendus, & mori debebat, cùm ad terminum perueniret motus, & curſus ad metam. Vnde Nazianzenus oratione 19. in funere Patris *Nazianz.* **Quid vita, niſi mors.** *Etenim cùm vita præſens ſemper ad futurum contendat, nec ad præteritū umquàm reuertatur, quid aliud eſt quàm mors?* quod ſi verum, immò veriſſimum eſt, in præſenti & in futuro, & quòd necem actualiter pateretur, & quòd eam pati deberet, abſq; contradictione, & ſcrupuln dicere poterat ille, qui nobis vitā, ſibi mortem affectabat.

6 Duobus Sacræ Scripturæ locis hucuſq; dicta cingamus: quorum prior erit ille. *Abraham genuit Iſaac: Iſaac autem genuit Iacob: Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius.* & cęt. Matth. 1. *Matt. 1.* Alter verò Lucæ 3. *Luc. 3.* vbi eandem Chriſti genealogiam ipſe deſcribēs, his verbis vſus eſt: *Putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi &c.* Rationem autem cur hic ſecundus, qui idem quod primus explanare intendebat, verbo gignendi, vt ille, vti noluerit, explicat Auguſt. lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum. cap. 2. cū ad interrogationem à ſe factam ſub his verbis. *Auguſtin.* *Cur Lucas non vſus eſt verbo gignendi, ſicut Matth. vt qualis eſſet vtraq; generatio ſignificaretur?* reſpondit. *Erat enim illa naturalis, ideò Matthæus vſus eſt verbo generandi, quam uerò Lucas deſcribit, erat adoptionis; idcircò non uſus eſt eo uerbo: ideò Euangeliſtæ diſtinctis dicendi modis uſi fuerunt.* ſic ipſe. Ex recentioribus tamen Barrada tom. 2. lib. 5. c. 31. aliam huius rei rationē adducit, & eſt: vt, quo nomine præſens vita nuncupanda ſit, oſtendatur: nam vbi primus humanæ vitæ lineam inchoat, ibi ſecūdus eam terminat, & vbi ille generationem ponit, ibi hic per, *Fuit*, mortem aſſignat: vt apertè agnoſcat viator, quòd in vno & eodem momento, & vitam haurit, & mortem ebibit. Præfatus Barrada. *Barrada* **Vita potiùs fuit, quàm eſt.** *Obſerua quoq; Matthæum uerbo, genuit, uſum, quo Patres illos in uitam immittit; interpretem uerò apud Lucā*



Digitized by Google

*uerbo, fuit, quo uidentur è uita pelli, nam verbum, fuit, è vita exitum ſignificat. Vndè illud Virgilij Eneidos 8. Fuimus Troes. Fuit Ilium. In uitam omnes ea lege ingredimur, ut protinùs exeamus.* quæ verba cum non diſcordent ab illis David pſal.

Pſal. 120.

120. *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.* vbi per introitum natiuitatem, & per exitum mortem ſignificari nulli dubium eſt: curſus iſte, in quo ortus & occaſus, introitus & exitus copulantur, mortalis dici debet nō vitalis. Vnde elegāter cecinit quidam.

*Fallimur, & cæci mortem procul eſſe putamus:*
*Illa tamen medio corpore clauſa latet:*
*Quandoquidem ex illa, qua primum naſcimur hora,*
*It uita inuicto mors comes atra pede.*

## Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Ieſus: Principium, qui & loquor vobis. Ioan. 8.

### §. II.

*Excelſi animi eſt benefacere: verùm ingratos beneficijs afficere, Dei res eſt, non hominis.*

1 Sicuti non humana, nec terrena; ſed infernalis & diabolica peruerſitas eſt, benefacienti malefacere: vndè vt Iudas Chriſto Domino tot, ac tantis beneficijs eum proſequenti infandum illud proditionis malum inferre poſſet, opus

Ioa. 13.

fuit, vt Diabolus illud in eius cor inijceret: ita inquit Ioan. cap. 13. *Cùm iam miſiſſet Diabolus in Cor, ut traderet eũ Iudas:* immò (ſi fas eſt dicere) oportuit, vt Diabolus quodammodò efficeretur homo ille, qui malum pro bono, impietatem pro pietate, & mortem pro vita reddere debebat: quapropter de eo diſcipulis ait Saluator: *Nonne ego uos duodecim elegi: & ex uobis unus diabolus eſt? dicebat autem Iudam: hic enim erat traditurus eum, cùm eſſet unus ex duodecim.*

Ingratitudo Diaboli opus.

Ioan. 6.

Ioann. 6. ſic non humana, vel terrena; ſed Cœleſtis; immò diuina cenſeri debet miſericordia illa, quæ ad malè merentes, & aduerſantes ſe oſtendit. Huc uſq; dictis ex recentioribus applaudit Sebaſtianus Gomezius, qui ſuper Pſal. 50. verſ. 1. hæc habet. *Illa miſericordia dicitur propria, & peculiaris Dei, quæ ad reddendum bonum pro malo mouet: quẽadmodum illa dicitur peculiaris, & propria dæmonis ingratitudo, quæ ad reddendum malum pro bono inducit.* Verùm ipſo multò priùs Seneca lib. de beneficijs: mortales ad pietatem hortando, dicere ſolebat: ingratos beneficijs afficere, nō humanum, nec terrenum opus eſſe, ſed prorſùs diuinum: vndè ipſe. *Officium liberalitatis eſt, omni petenti dare, Deos imitari; ſi Deos imitaris, da etiam ingratis: nam & ſceleratis Sol oritur, & pyratis maria patent: Dij enim omnium optimi auctores ignorantibus beneficia dare incipiunt, ingratis perſeuerant; non ceſſant Dij beneficia congerere unam ſortiti intẽtionem, ſcilicet, prodeſſe: imitemur illos, demus etiam ſi multa irrita data ſint.* hactenus ipſe. Quibus quã diuinum ſit ingratis benefacere, nimis luculenter oſtendit. Idipſum etiam, tacitè ſaltem confirmat Saluator in præſentiarum, dùm dicit: *Ego Principium, qui & loquor uobis*, ac ſi diceret: quis me rerum principium non agnoſcet? quis me Deum eſſe, non cõfitebitur? ſi nedum iuſtis & bonis, ſed vobis etiam immeritis & ingratis loquor, prædico, & euangelizo? Ità in Chriſti perſona loquitur Diuus Thomas in catena. *Principium me eſſe credite; quia propter uos ad hæc deſcendi, qui & loquor uobis indignis & ingratis.*

Bonum pro malo reddere, Dei eſt.

Seneca.

D. Thom.

Oſtenditur Deus ex beneficentia in ingratos

2 Quod propoſuimus, exordiamur, & primò, quòd excelſi animi ſit benefacere, notum fecit Saluator parabola illa de Rege, qui cum ſeruis rationem inire voluit. *Aſſimilatum eſt regnum Cœlorum homini Regi, qui noluit rationem ponere cum ſeruis ſuis*, Matth. cap. 18. Circà quam parabolam ſubtilem quæſtionem mouet Origenes homil. 7. in Matthæum, & eſt: cur Dominus iſte, qui cum ſeruis rationem ponere voluit, non homo ſimpliciter vocatur; ſed regio inſignitur honore, cùm dicitur: *Aſſimilatum eſt regnum Cœlorum homini regi?* & quod difficultatem non parum auget, eſt; quòd ſeruus ille qui magno

Matt. c. 18.

ære obſtrictus erat, cùm conſeruum ſuum cogeret, vt paucos denarios, quos debebat, ſolueret; rogabatur quidem, ſed rex minimè vocabatur, dicente Euangeliſta: *Egreſſus autem ſeruus ille,*
*Matt. c. 18.* *inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eũ, dicens: Redde quod debes. Et procidens conſeruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* ibidem. Si ergò primus creditor Dominus vocatur & Rex, cur hic ſecundus omni titulo iudicatur indignus? Verùm ex ipſamet parabola rationem colligit Origenes, qui dicit: quòd primus munificus, & liberalis erat; quia
*Ibidem.* videlicet magnam pecuniæ copiam floccipendens, vix rogatus dimiſit. *Cũ cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decẽ millia talẽta &c. Procidẽs ſeruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* ibidem. Iure optimo non homo ſimpliciter, nec Dominus tantùm; ſed Rex vocari debebat, qui regio animo creditum paruipendens, venuſtè debitum dimittebat: in ſecundo autem, quia nullum apparebat pietatis veſtigium, nulla in eo liberalitatis forma agnoſcebatur: ideò cùm ſeruilem animum haberet, nõ Dominus, nec Rex; ſed ſeruus vocari debebat: propter quod etiam à Rege exiſſe deſcribitur. *Egreſſus autem ſeruus ille:* quia, qui liberalitatem, atq; munificentiam exuit, ſeruilem formam,
*Origenes.* & vilem animum induit. Reſtat nunc præfatum audire Origenem. *Ideò ſuf-*
**Regium eſt. debenti condonare** *focabat eum, quoniam à Rege exierat; non enim ſuffocaret conſeruum, niſi exiſſet à Rege: adhuc conſidera ſubtilitatem Scripturæ; quoniam ſeruus quidẽm multorum talentorum debitor procidens, adorauit Regem, quaſi Regem: qui autem centum denarios debebat, procidens, nõ adorauit; ſed rogauit ſeruum, dicens: Patientiam habe in me; & Rex quidẽ miſertus, dimiſit eum cum debito vniuerſo: iſte autem nec miſereri voluit ſuo conſeruo:* Acuta verba meo iudicio, ſed ſupra modum illa: *Ideò ſuffocabat eũ, quoniam à Rege exierat; non enim ſuffocaret conſeruum, niſi exiſſet à Rege.* Nec paruipendenda exiſtimo, quæ ſubdidit. *Adorauit Regẽ, quaſi Regẽ:* quia fortè nõ natura, ſed cõditione; nõ ſobole, ſed pietate; nõ propagatione, ſed miſeratione Rex erat creditor iſte, qui ſic hilariter donat, & ſic lepidè dimittit.

3 Semota omni difficultate, colligi nunc poteſt: Cur Chriſtus Dominus in vniuerſali iudicio numquàm ſe regẽ, ſed ſemper hominem vocabit, vſquequò regnum à mundi exordio paratũ in dextera exiſtentibus non concedet? *Matt. c. 25.*
ſic proprio ore prædixit ipſe, vt teſtatur Matth. cap. 25. vbi ait. *Cùm venerit Filius hominis in maieſtate ſua &c. Tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum &c. & ſtatuet oues à dextris; hædos autem à ſiniſtris. Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt.* Quia ſi hucuſq; non de pietate & miſericordia; ſed de iudicio atq; rigore agebatur: ideò non ſe Regem, ſed hominem vocat: vbi autem liberalitatis radius erumpere incipit, ſtatim relicto priori nomine, Regem ſe vocat: *Tunc dicet Rex: uenite benedicti Patris mei, poſſidete paratum uobis Regnum.* Manifeſtiùs fortè dicere volens; quòd hactenùs me Regem non vocem, ne miremini; quia nunquàm de pietate, & liberalitate agebatur, cùm primum illã exercere contigerit, tunc relicto priori nomine, regium aſſumere debeo, cùm regij animi ſit benefacere. Do tibi Lucam Brugenſem rem confirmantem ſe- *Brugenſis.*
quentibus verbis. *A nomine Filij hominis cœperat, quo ipſe notus erat, ut ſe ipſum* **Chriſtus, homo dum punit, rex dum ſaluat.**
*magnificaret: iam uerò maieſtate deſcripta, Regem ſe uocat; & egregiè Regem ſe rebus ipſis declarabit, propenſior ad ſaluandum, quàm ad damnandum, propenſiorq; ad benefaciendum, quàm ad puniendum:* ſic ipſe: tu autem perpende quæſo verba illa. *Egregiè Regem ſe rebus ipſis declarabit, propenſior ad benefaciendum, quã ad puniendum.* Et videbis quòd ſatis apertè animi altitudinem oſtendit, qui benefacit: Vndè ſi vltrà quod modò dixi aduertes, reperies, quòd quando in iudicio cum reprobis ſermonem habebit Saluator, regium reticebit nomẽ. *Tunc dicet his, qui à ſiniſtris eius erunt: Tũc reſpondebit illis &c.* Quotiès autem cũ electis loquetur, toties ſe regẽ vocabit. *Tunc dicet Rex, qui à dextris eius erunt* & infrà. *Reſpondens Rex dicet illis: quandiù feciſtis uni ex his fratribus meis mini-*

*mis, mihi feciſtis*: vt agnoſcas quòd regali honore, & titulo nullus inſigniri debet, niſi, qui munificentia, & liberalitate claret.

4 Cæterùm ſi merenti benefacere regium eſt, de malè merentibus, quid dicemus? Cuius proprium erit indignos beneficio afficere, & ingratos gratijs augere, terreſtrium nè, an cœleſtiū, hominum, an Dei? Dicat hoc, & quæſtionem ſoluat Sanctiſſimus ille Dauid, qui inter cunctos ſuos coęuos omnium mitiſſimus extitit: dicat amabò, & quid ſentiendum ſit, ipſe aperiat: ſed certè factis non minus, quàm verbis hoc declarauit, quandò ſuſcepta iàm pacifica Regni poſſeſſione, ergà Saulis domum beneficū ſe oſtendere volens dixit: *Numquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum illo miſericordiam Dei?* 2. Reg. cap. 9. quo ſermone, ſi acutè perpendis, non vulgares gratias, nec leuia beneficia pollicetur; ſed diuinam, non humanam pietatem promittit. *Vt faciam cum illo miſericordiam Dei.* Cauſam autem ob quam hanc pietatem non humanā, ſed diuinam vocaret, eam puto fuiſſe; quia ſciebat ingratis benefacere Dei rē eſſe, non hominis; & quià nullus ergà eum crudelior extiterat; ideò pietas, quam ergà inhumaniſſimos hoſtes exercere debebat, diuina potiùs, quàm humana erat cenſenda; propterea dicere voluit: *Vt faciam cum illo miſericordiam Dei.* Aſtipulatur huic meo cogitato Diuus Bonauentura in Opuſculis quùm ait: *Benefacere benè merenti iuſtum eſt, benefacere malè merenti pium eſt, benefacere malè merenti, & aduerſanti hoc ſolius dexteræ Dei eſt.* Et ità ſi nullus Dauidi ſic inſidiabatur, vt Saul, ſi nullus ei ſic mortem moliebatur, vt iſte: quis non diuinam miſericordiam vocabit illam, quæ omnes meritorum gradus tranſcendens & fines, etiam ad ipſos inhumaniſſimos hoſtes humaniſſimè ſe extendit?

*Ingratis benefacere, diuinum.*

*2. Reg. c. 9.*

*D. Bonau.*

*Inimicos beneficijs afficere, Dei res eſt, non hominis.*

5 Et ſanè adeò diuinum eſt immeritis benefacere, quòd ipſemet Pater æternus nunquàm ſic apertè in mundo Deus vocabatur, & ſi ſemper, immò ab æterno talis eſſet, quàm cum offenſores beneficijs cumulabat & gratijs. Meū non eſt hoc, quod dico, ſed ipſiuſmet Saluatoris, qui quotiès de ſuo Genitore loquebatur, totiès, vel Patrem abſolutè, vel ad ſummum Patrem cœleſtem vocare conſueuit, vt penè ex infinitis Euangeliſtarum locis colligi facilè poteſt, quos tùm breuitatis cauſa omitto, tùm etiàm, quià percurrentem ſcripturas non latere optimè noſco, vna vice excepta, in qua apertè ipſum Deū vocauit, vt teſtatur Ioan. cap. 3. vbi Saluatorem ſic introducit dicentem: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Cur autèm eum nunc apertè Deum vocare vellet, quod aliàs non fecerat, aſſignat Toletus ſuper citatum Ioannis locum annotatione 24. cùm ait: quià nunquàm tàm beneuolum, atq; beneficum ergà peccatores, & ingratos ſe oſtenderat Pater, quàm filium ſuum pro illorum ſalute mittendo, quod per aduerbium illud, *Sic*, oſtendere voluit Saluator, quùm ait: *Sic Deus dilexit mundum.* Quod idē ſonat, ac in tantum dilexit, vel eò peruenit æterni Patris dilectio, vt filium ſuum ſibi coęternum, coęqualem, conſubſtātialem, atquè vnicè dilectum carnem ſumere fecerit, & mortem ſubire permiſerit: quia ergò in hoc caſu tantū, talemq; amorē ergà immeritos oſtēderat, qualē, nec aliàs oſtendit, nec maiorē oſtendere potuit: ideò nunc non tantū Pater, nec Pater cæleſtis ſolummodò vocatur, ſed Deus apertè appellatur: præfatus Toletus. *Illa enim particula, ſic, violentiam, & magnitudinem diuini amoris exprimit, cùm præcognouiſſet plurimos ingratos futuros, immò maiorem eorum partem ingratam, etiam cū Amoris ſui effectum experti eſſent, peccatum peccato accumulantes, adhuc dilexit mundum; & filium pro ipſiſmet futuris ingratis dedit.* Ecce quomodò ipſemet Pater æternus, qui ſemper Deus extitit, nunquàm ſic clarè, vt talis prædicabatur in mundo, quàm cum coacervatis beneficiis ipſos ditabat ingratos.

*Ioan. c. 3.*

*Toletus.*

*Diuini amoris in ingratos effect.*

6 Inſuper, vt benè notat Brugenſis, non tātùm Saluator Patrem in hoc caſu Deum vocat, quod ante non fecerat, ſed etiam ſeipſum, quem hucuſq; ſemper filium hominis appellauerat, nunc Dei filium ſatis clarè ſe prædicat, cùm dicit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* cùm fieri non poſſit, quin filius Dei ſit Deus, & non ob

*Ioan. c. 3.*

*De ſua morte differens, apertè ſe filium Dei vocat Saluator, et quare.*

aliud

aliud ſanè nunc ſe Deum dicit, quod aliàs ob humilitatẽ non facit; niſi quia nũc de morte pro peccatoribus aſſumpta agebatur, quæ cùm ex exceſſiuo amore, quo peccatores proſequebatur originem duceret, meritò conſuetos titulos excedẽdo, ſe Deum verum, à Deo vero procedentem, vocat, dùm tali beneuolentia, & pietate offenſores proſequitur. Citatus Brugenſis. *Obſeruandum autẽ quòd cũ in præcedẽtibus verſiculis vocaſſet ſe Filium Dei vnigenitum, apertiùs ſe, quã hactenus, Deũ, hominemq; eſſe declarat.*

*Brugenſ.*

7 Pluſquàm libenter nunc audirẽ, quo tempore, & in quo caſu præcipuè Saluatoris effulſit Diuinitas, & licèt multos multa de re hac dixiſſe agnoſcam, mihi tamen Victoris Antiocheni, & Auguſtini ſententia non diſplicet: quorum prior aſſerit, quòd numquàm, ſic clarè ſe Deum oſtendit Saluator, quã in horto, tunc videlicèt, quando paſſionis curſus cępit: alter verò in paſſionis termino, in Cruce ſcilicèt, Redemptorem maximum diuinitatis ſignum oſtendiſſe fatetur; quæ aſſertiones (& ſi primo intuitu admodum difficiles appareant; quia ſicuti nunquàm humanæ naturę infirmitatẽ tàm apertè monſtrauit, quam in horto, vbi tędium, męrorẽ, pauorem, agonias, & ſudores pati non eſt dedignatus, dicente Luca cap. 22. *Et factus in agonia, prolixiùs orabat. Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*: ſic nunquàm maioris imbecillitatis verba deprompſit, quàm in Cruce, quando ſe à Patre derelictum ingemuit. *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* Marci 14.) clareſcunt tamen, dùm ipſimet aſſertores rẽ declarant dicẽdo: quia pręſertim in his duobus caſibus ſe maximè ergà ingratos beneficũ oſtẽdit; ideò tàm in horto, quã in Cruce ſe maximè Deum declarauit: & ità ſanè eſt; quia in horto non ſolùm Petrum à cæpta iàm cęde coercuit, dicendo: *Conuerte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Matth. 26. Sed etiam abſciſſam Malchi auriculam priſtino reſtituit loco. *Et eum tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum.* Lucę 22. Et in Cruce, vt alter Noe amoris vino (ſi fas eſt dicere) inebriatus, dolores non ſentiens, & mortẽ non timens, pro crucifixoribus ad Patrem clamare cępit, & dicere. *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.* Lucæ 23. quæ duo cùm non vulgaris pietatis exempla, ſed exceſſiui amoris fuerint effectus, ipſum ſupra modum Deum eſſe prædicabant, quem ſic beneuolum ergà ingratos oſtendebãt. Nunc pręfati Victoris verba adduco: *Illi porrò, qui plagam acceperat, auriculam integram ſtatim reſtituit: illis, qui ad comprehendendum eum venerant, hoc quoq; ſigno ſe Deum eſſe palàm oſtendens.* Nec Auguſtini obliuiſcor, qui ſuam præcitatam ſententiam confirmat, dicendo: *In hoc maximè innotuit Iudæorum cæcitas, dùm ipſum pro inimicis orantem non agnouerunt:* verè cęci, qui tàm micantia diuinitatis ſigna non agnoſcentes, nec verbis cicurabantur, nec beneficijs flectebantur.

Christus D[illegible] appa[illegible] [illegible] paſ- [illegible]

*Luc. c. 22.*

*Marc. c. 14.*

*Matt. c. 26.*

*Luc. c. 23.*

*Victor Antiochenus.*

Et in horto præſertim.

*Auguſtin.*

8 Non graueris, ſi adhuc nouum aliud molior, antequam deſinam, & eſt: quòd nõ ſolùm ingratos beneficijs proſequi Dei res eſt, non hominis: verùm etiã ipſemet Deus nunquàm ſe ſic magnificè oſtẽdit, nec facilè oſtendere poteſt, quàm cùm ſuper indignos & immeritos gratiarum imbres deſcendere facit: ad cuius probationem Sanctiſſimi Danielis orationem adduco, in cuius exordio ſic ipſum ad Deum dixiſſe reperio: *Obſecro Domine Deus magne, & mirabilis, cuſtodiens pactum, & miſericordiã.* cap. 9. Quæ verba Vgo Cardinalis conſiderãs, quærit, & nõ immeritò: quodnã ſit hoc pactũ, & quæ hæc miſericordia, ob quam Propheta non Deum ſimpliciter, ſed Deum magnum, Dominum vocat? & pòſt aliqualem inquiſitionem concludit de illo eodem pacto hìc Danielem loqui, de quo Deus ipſe ad Noe dixit. *Statuam pactum meum vobiſcum, vt numquam vltra interficiatur omnis caro aquis diluuij.* Geneſ. 9. vlteriùs tamen ſi quęratur: qua de cauſa, cùm de hoc pacto mentio ſit, non Dominus ſimpliciter, nec Deus tãtùm vocatur: ſed Deus, & Deus Magnus, & mirabilis nuncupatur; *Domine Deus magne, & mirabilis, cuſtodiens pactum?* Reſpondeo; quòd non ob aliud ſanè Dei magnitudinem pietati copulauit; niſi quia nunquàm ſe tàm magnum, ac mirabilem oſtendit. quàm cùm pactum hoc fecit, atq; fœdus hoc inijt: quia tunc, quamuis multos peccatores ſceleſtos, & ingratos

*Daniel. c. 9.*

*Geneſ. c. 9.*

Deus quando à creaturis magnus, atq; mirabilis appellatur.

præ-

præuideret, pietatem tamen pollicebatur & gratiam; quod ipſum non ſimpliciter Deum, ſed Deum magnum atque mirabilem oſtendit, & prædicat. Meum nõ eſt hoc, quod dico, ſed Chryſoſt. qui hom. 28. ſuper citatum locum Geneſ. in Dei perſona ſic loquitur. *Quamuis peccata hominum creſcant, ego tamèn, quæ promiſi adimplebo, & nunquã talem indignationem in omnes faciam. Vidiſtis, quàm excellens Domini bonitas? vidiſtis, quanta promittentis liberalitas? igitur nè ſimus ingrati. Nos enim antequam vllum bonitatis ſpecimen exhibuerimus: immò etiam cum pœnis digna ſecerimus, tanta dignatus eſt beneficentia. Si grati fuerimus, & de prioribus gratitudinem indicauerimus: quanta tunc deniq; nos dignabitur liberalitate, & gratia, qui indignis ità benèfacit?* Sic Chryſoſt. Nos autèm & ipſius ſequamur monita, ingratitudinem in gratitudinem commutãdo, vt vberioribus gratijs reddamur digni, & Saluatoris applaudamus dicto; quòd nũquam ſe tàm clarè rerum omnium principium, & Deum verum declaret, quàm cùm ingratis prædicat, euangelizat, & conſulit.

*Chryſoſt.*

In benefaciendo ingratis, magis elucescit.

## Multa habeo de vobis loqui, & iudicare. Ioannis 8.

### §. III.

*Laneis pedibus, ac lentis paſſibus Diuina Iuſtitia ad vindictam graditur.*

1 THebarum ſculptores, inter cæteros ſui muneris ſapientes, Iudicum ſuorum ſimulachra ſemper ſine manibus efformaſſe teſtatur Plutarchus. *Iudicum, ac Principum ſtatuæ abſq; manibus efformabantur.* Quia ſi per manus, vt Pierius lib. 35. ait, rapacitas figurabatur, vt Iudicum, ac Principum ſuorum auiditatem, rapacitatemq; retunderent, ipſorum effigies ſine manibus efformabant: verum (meo iudicio) ſi regentium imagines non tantùm ſine manibus, ſed etiàm ſine pedibus ſculpſiſſent, ſapientiores ſe oſtendiſſent; quia ſi per manus rapacitas, per pedes velocitas figuratur, iuxtà illud. Dauidis pſal. 13. *Veloces pedes eorum ad effundẽdum ſanguinem*: & Iudices quàm ab illa abſtinere, tàm ab iſta cohibere ſe debent: quod fortè declarauit lapis ille, qui de monte ſine manibus abſciſſus ſublimẽ ſtatuã Nabuchodonoſor figurantem, in pedibus percuſſit, ipſoſque comminuit. *Videbas ità, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos.* Danielis 2. ac ſi Regi per ſtatuam figurato diceretur: lapis abſcinditur de monte ſine manibus, & ſimulachri deſtruit pedes, vt intelligant Reges, Iudices, & Rectores manibus & pedibus carere debere, illis, vt rapacitatis oſtendantur immunes, & iſtis, vt ad punitionem, & iram lento gradu procedant. Vndè Lyranus ſuper cap. 9. Lucæ. *In hoc datur exemplum Prælatis, vt non ſtatim cum impetu peccata puniant, ſed magis tempus, & locum expectent.* Quòd ſi alio argumento roborare non poſſem, ſat eſſent Saluatoris verba in præſentiarum dicentis. *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare.* quæ iuxtà ſententiam Incerti, hunc ſonum edunt: & ſi vos iudicio, atq; ſententia digni ſitis; ego tamen qui laneis pedibus ad vindictam procedo, modò non iudico, nec, vt fas eſſet, punio; ſed opportuno tempore, quod modò eſſet efficiendum, efficiam: Ità pręfatus Incertus. *Non enim, inquit, modò vos iudico & ſi iudicio digni ſitis. Iudicabit tamen quandoque vero iudicio iudicabit, quia veracis Patris verax Filius eſt.* Ecce quomodò ſine pedibus (ſi dicere licet) ſe oſtendit cęleſtis hic Iudex: dùm tardus ad iram, non in pręſenti, ſed in futuro ſe iudicaturum promittit, quam Dei patientiam non obſcurè agnouit Valerius Maximus, qui lib. 1. dicere conſueuerat. *Lento gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira.* Cæterũ probationibus operam demus.

*Plutarch.*

Iudicum ſtatuę ſine manibus.

*Pierius.*

*Pſalm. 13.*

*Daniel. c. 2.*

Et pedibus.

*Lyranus*

*Ioan. c. 8.*

Lenè ad ſententiam procedendum

*Incertus*

*Valerius Maximus*

Non ſtatim iraſcitur Deus.

2 Quàm veloces ad effundendum ſanguinem iniquorum ſunt pedes, tàm illi Saluatoris noſtri, veluti miſericordia obſtricti, remiſſi apparent, & tardi.

Quod

Google

Quod videre ſi cupis, & primò, quòd nedùm veloces, ſed præcipites ad iudicãdum ſiut peccatores, Chriſti paſſionem lege: & videbis, quòd cùm ad interrogationem à Pontifice ſactam: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es*

Matt. c. 26.

*Chriſtus Filius Dei*. Matth. 26. reſpondiſſet Saluator. *Tu dixiſti: veruntamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cœli*. Statim vna uoce clamauerunt omnes. *Reus eſt mortis*. Qua ſententia quid iniquiùs, immò quid dementiùs reperiri poterat, quã eoſdem, & actorum, & teſtium, & Iudicum officio fungi? & quòd peius eſt, nec defenſionibus locum dant, nec accuſatum uerbum quidem proſerre ſinunt; ſed nulla prorsùs interpoſita mora accuſant, iudicant, teſtantur, & damnant; quod quàm legibus contrarium ſit, vix ratione carentes non agnoſcunt: tameu mirum nou eſt, ait Chryſoſt. hom. 85. ex cap. Matth. 26.

Præcipites Iudæi ad necem Chriſti

quòd iuris ordines non ſeruentur, quòd ijdem & accuſent ſimul, & damnent: quia tàm veloces, immò præcipites ad iudicandum, & puniendum ſunt iniqui, vt nec iuris ordinem ſeruare, nec iudicis ſeutentiam expectare poſſint; ſed ſtatim ad ſententiam currere, & ſanguinem effundere cupiant: quod in citata homilia confirmauit Chryſoſtomus.

Chryſoſt.

*Sic ipſi accuſabant, ipſi diſceptabant, ipſi ſeutentiam ſerebant, omnium officia tunc ipſi occuparunt*. Sanè quàm iniqui ad iudicandum propenſi, & ad puniendum veloces ſint, agnoſcis; qui vt unius innocentis ſanguinem funderent, nec legem ſeruant, nec ordinem.

3 Secùs poſteà, quàm ad iram tardus ſit noſter pijſſimus Dominus, ſupra modum declarat parabola illa de zizanijs, in qua, ut Matth. cap. 13. ſcribit,

Matt. c. 13.

habetur, quòd uix exortis zizaniis, ad Dominum cucurrerunt ſatores. *Cùm autèm creuiſſet herba, & fructum feciſſet: tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem ſerui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vude ergo habet zizania?* Ibidem. & reſpondete Domino. *Inimicus homo hoc fecit*. Nec conſilium expectantes, nec tempus, ſtatim ſe ad euellendum paratos oſtendunt. *Viſ, imus, & colligimus ea?* Ecce ſeruorum ſedulitas, ecce ſolertia: verùm quid ad hoc Dominus reſpondeat, audiamus. *Et ait: Non: ſinite vtraq; creſcere uſque ad meſſem, & in tẽpore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum*.

Circa zizania, hominum, & Dei ſenſus.

Quæ Domini opinio, ſi benè aduertis, nou parum diſcordat ab illa ſeruorum; nàm quàm iſti veloces, tàm ille tardum ſe oſtendit, ac lentum: illi zizanias vix oriri videntes, euellere ſatagunt, iſte & ſeruorum ſedulitatem cohibet, & vſque ad meſſem expectandum iniungit. Sed vndè, bone Deus, inter ſeruos & Dominum tanta ſenteutiarum diuerſitas? vndè tanta morum contrarietas? certè intelligere nullatenùs poſſem, niſi Auguſtinum legiſſem, qui ſerm. 46. de diuerſis, ad myſticum ſenſum recurrẽdo, dicit: quòd ſicuti per zizanias mali, & per triticum boni, ſic per ſeruos Prælati, & pet Dominum Saluator intelligi debet: ex quo difficultatis intelligentiam carpo; cur à ſeruis Dominus diſſentiat? cur in verbis, & in moribus diſſideant? quià quàm terreni Iudices ad iudicandum, & puniendum veloces ſunt, tàm cœleſtis hic Pater ad miſericordiam ſemper propenſus, ad iram ſe tardum oſtendit: præſatum Auguſtinũ do tibi, in Dei perſona dicentem:

Auguſtin.

*Quid feſtinatis ſerui zelo pleni? uidetis zizania inter frumentum, uidetis malos Chriſtianos intèr bonos: eradicare uultis malos: quieſcite, non eſt tempus meſſis. Veniet, & frumentum vos inueniet: quid ſtomachamini? quid ægrè toleratis malos permixtos bonis? In agro vobiſcum eſſe poſſunt, in horreo non erunt*.

Homines ad puniendum veloces Deus autem tardiſſimus.

4 Beda prætereà vltrà quod modò diximus, aliud obſeruat, & eſt: quid

Matt. c. 13.

per meſſem, de qua dicitur. *Sinite vtraque creſcere uſque ad meſſem*: ſignificare uoluerit Saluator? & facilè ſe expedit dicendo: per meſſem, vniuerſale iudicium demonſtrari: & ſubdit, quòd propterea vſq; ad meſſem, hoc eſt, ad vniuerſale iudicium expectandum dixit, vt pijſſimus hic Dominus ſuam patientiam, & lònganimitatem oſtenderet, qua peccatores expectat, & peccata quò tardiùs poteſt, caſtigat: vndè pòſt multa ſic concludit. *Hic habere do-*

*cemur*

Google

*Beda.* *cemur longanimitatem patientiæ, ut longanimiter iuſtitiam meditemur, & in iudicio patientiam non negligamus*. Cœleſtis doctrina, admodùm vtile documentum, quo nos, & inordinatam iuſtitiam temperare, & rigorem, effrænem pietate compeſcere docemur.

5 Nec parabolis tantùm, nec verbis ſolummodò ſe tardũ ad iram oſtendit Saluator; ſed factis etiam idipſum probauit multotiès: & præcipuè cum *Ioan. c.8.* adulteram à Phariſęis accuſatam: *Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* Ioan. 8. non ſtatim, vt forſan accuſatores quærebãt, damnauit; ſed nihil prorſùs reſpondendo, quam ergà adulteram ſententiam proferre debebat, terræ potiùs, quàm paginæ mandauit. *Ieſus autẽ inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra*. Et tandem inſtantibus accuſatoribus, vt ſuam aperiret ſententiam, vt quid de muliere eſſet agendum decerneret, non punitionis decretum, nec mortis ſententiam protulit; ſed accuſãtium petulantiam retundens, ſic ait: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*. Imò egreſſis omnibus, & non ſine rubore, mulierem ſic alloqui cœpit: *Mulier, vbi ſunt, qui te accuſabant? nemo te condemnauit?* & reſpondente illa: *Nemo, Domine*. Statim pro concluſione addit ipſe. *Nec ego te condemnabo*. At cur non cõdemnas, Domine? ſi accuſatores adſunt, ſi teſtes non deſunt, ſi vera ſunt, quæ de muliere dicuntur, ſi extat lex, cur ſententiam nõ profers? cur nõ damnas? morti cur non eam addicis, quòd concludis, *Nec ego te condemnabo?* Verùm quonàm modo ad iuſtitiã properare poterat ille, qui ſeruorum ſedulitatem zizanias eradicare cupientium coercuerat? quomodò condemnare nunc poterat ille, qui vſq; ad meſſem expectandum iniunxit? & deniq; vt cõcludam, quomodò ad punitionem currere poterat ille, qui miſericordia (ſi fas eſt dicere) compeditus, non niſi ſerò, & inuitè ad vindictam procedit? Propterea in hoc caſu ſilet, diſſimulat, ſe inclinat, ſcribit, ac tandem non mortis ſententiam profert, ſed culpæ veniam cõcedit, dicendo: *Nec ego te condemnabo*. *Ericius.* Audiendus nunc eſt Ericius. *Expectatus ergò Dominus, vt de adultera ſententiam proferret, non ſtatim iudicat: ſed potiùs inclinans ſe, digito in terram ſcribit: nec demũ illis obnixè inſiſtentibus iudicat, vt nos hoc exemplo moneat, non ſtatim temerè reprehendendo, damnemus.* *Tardi ſint Iudices ad damnãdum exemplo Chriſti.* Clariùs tamen Rupertus Holchot hanc Domini patientiam, & longanimitatem commendat. *Quàm diligenter Chriſtus diſcuſſit cauſam mulieris, quam Scribæ, & Phariſæi de adulterio accuſabant: primò enim inclinans ſe, digito ſcribebat in terra: et rurſũ erigens ſe, dixit eis: ſi quis veſtrum ſine peccato eſt: & iterum ſcribebat in terra. Ecce quàm moroſus fuit, antequàm voluit ſententiare, & quã diligenter cauſam mulieris diſcuſſit.* *Rupertus Holchot.* hactenus ipſe lect. 76. ſuper cap. 6. Sapientiæ. Ecce quomodò piiſſimus Dominus nõ verbis tantùm, ſed operibus etiam, quã lento gradu ad vindictam procedat, oſtẽdit; dùm quod dixerat facit, & quod parabolis docuerat, factis exequitur.

6 Modò facilè percipio: cur Saluator, non ad Crucem funibus ligari, ſed clauis cõfigi voluit? in eius perſona prædicente Dauide pſal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea*. *Pſal. 21. Chriſtus cur clauis confixus, Bernard.* Quia & ſi Bernardus ad amorem inuentæ ouis factum reducat, dicendo. *Configitur duris clauis, ut humeri eius eſſent inſeparabiles ab inuentione*. Ego nihilominùs, qui Bernardinum Senenſem percurri, non tàm humeris, quàm pedibus rem eſſe tribuẽdam exiſtimo, vt videlicèt oſtẽderet, quàm lentè ad vindictam procedat, ſanctiſſimos pedes clauis configi permiſit; ac ſi diceret: quid diuinum rigorem conſiderãtes timetis, formidatis, trepidatis? pedes videte, clauos perpendite: ſi ipſos Cruci affixos perſpicitis, ſcitote quia non ob aliud libenter hoc patior, niſi vt mundus agnoſcat, quàm tardè ad ſententiam procedant hi pedes]. Citatus Bernardinus tom. 1. Dominica 2. ſer. 19. artic. 1. cap. 1. *Pedes enim affixos tenet: nõ enim ad executionem ſententiæ currit, non feſtinat, iraſci ſuſtinet, diſſimulat, expectat: non enim iraſcitur per ſingulos dies*. *Bernard. Senenſis.*

7 Nec tãtùm noſtris hiſce temporibus; quando ab infantia in eo creuit miſeratio, & ex vtero matris ſuæ egreſſa eſt ſecum, quando miſericordia Domini plena eſt terra, & non eſt, qui ſe abſcondat à calore eius, pedetentim ad iudi-

Google

iuditium procedit: ſed in ipſo mundi exordio, & in ipſis primis diebus, cum noſtro primo parente hanc pietatem ſatis apertè declarauit, quādo pòſt pręcepti tranſgreſſionem, non ſtatim ad decreti executionem cucurrit, nec ad iudicandum feſtinauit; ſed apparuit, diſtulit, diſſimulauit, interrogauit; nec his contentus, iterum atq; iterum eum blandè alloqui voluit, vt ipſum beneuolentia illectum ad confeſſionē, & pęnitentiam prouocaret: nec tandem, quia reus Adam his omnibus abutebatur, ipſi primos iuſtæ indignationis ictus infligere voluit: ſed à ſerpente incipiēdo, ad ipſum deniq; quò tardiùs potuit, peruenit, dicendo: *Quia audiſti vocem vxoris tuæ, &c. & In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Gen. 3. quam longam Dei patientiam cōſiderans Chryſoſt. hom. 17. *Vide excellentem miſericordiam* (proclamat) *& patientiam Domini: nam cùm poſſet, ne reſponſo quidèm eum dignari, qui peccauerat; ſed ſtatim pœnam infligere, quam priùs ſtatuerat præuaricaturo: longanimis tamen eſt, & ſuffert, & interrogat, & reſpōſum accipit; & iterum interrogat, quaſi ad defenſionem eum prouocans: quo etiam nos docet, vt & quando nos reos condemnamus longanimiter, & miſericorditer, agamus.* Quis cęcus hanc Dei patientiam non videbit? quis ſtultus hanc Diuinam pietatem non intelliget? Meritò confirmare poſſum, quod dixi: quòd nedùm pietatis tempore, ſed ab ipſo mundi exordio pedetentim, vt claudus (ſi dicere liceat) ad iudicium, atq; vindictam cœleſtis Iudex procedit.

*Gen. c. 3.*
Longa Dei patientia in punitionib.

*Chryſoſt.*

8 Cuius veritatis ignarus minimè erat Sanctiſſimus ille Daniel, qui de iuſtiſſima ira, quam ſuper nimis elatum Nabuchodonoſor effundere debebat Altiſſimus, ſermonem habēs: pòſt ſomni interpretationem, ſic ait: *Deus Magnus oſtendit Regi, quæ ventura ſunt poſteà.* c. 2. quibus verbis, vt puto, longam Dei patientiam oſtendere voluit, nedùm in futuro loquens, dicendo: *Quæ ventura ſunt*: ſed ad futurum addens, *Poſteà*, *Quæ ventura ſunt poſteà*: Patentiùs, ac ſi diceret: & ſi tua elatio, ò Rex, præſentem non futuram depreſſionem requireret; quamuis nunc pœnas luere deberes, tamen quia adeò tardus ad vindictam eſt Deus, vt nō currendo, ſed claudicādo (ſi fas eſt dicere) ad vindicandū procedat: ideò non præſentem, nec futuram tantùm prædico ſententiam; ſed futuro aliquid aliud addo, dum dico: *Quæ ventura ſunt poſteà.* Theodoretus ibidem orat. 2. *Operæpretium eſt admirari auctoris omnium Dei ergà nos homines curam, neq. enim impiè viuentes propria deſtituit prouidentia; ſed ipſos etiam omni diligentia dignatur: ſicut deniq. barbarum iſtum agreſtem, ac impium haud reliquit, neq. neglexit, ſed primùm per ea, quæ ipſi diuinam ſuam virtutem declarant, ad ſe adorandum attrahit.*

*Daniel. c. 2.*

*Theodoret.*
Dei iuſtitia futura non præſens deſcribitur, & quare.

9 Longè aliter à Daniele quia loquebantur Iacobus & Ioannes, quando ſuperuacaneo zelo feruentes ſuper Samaritanos, magiſtrum hoſpitio recipere nolentes, cœleſtem ignem aduocare cupiebāt. *Domine, vis dicimus, vt ignis deſcendat de cœlo, & cōſumat illos?* Lucæ 9. à magiſtro, qui ad iram ſerus nō præceps eſt, acriter corripiuntur, dicente Euangeliſta: *Conuerſus increpauit illos, dicens: neſcitis, cuius ſpiritus eſtis*: ibidem. quod idem erat, ac dicere: Si Dei ſpiritu, qui pietatis, miſericordiæ, & lenitatis cùm ſit ſpiritus, non impetuosè, ſed ſerò ad iuſtitiam procedit, ducimini; quomodò vos tali ſpiritu præditi ad vindictam properatis, feſtinatis, & curritis? Si ergo Dei Spiritu ducimini, quod ipſe docet, facite, quod n. facit, nō ſectari, nec pium eſt, nec iuſtum. Vndè Lyranus ibidem. *Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis, ſtatim inferendo pœnam mortis, ſicut vos vultis.* & addidit: *In hoc datur exemplum Prælatis, vt non ſtatim cum impetu peccata puniant*; quod qui facit, hic planè Dei ſpiritu gubernari, ipſumq; pro modulo ſuo imitari dicetur, qui cum dānatis ipſis, quoad fieri poterit lētè pcedet: Vndè Theophylactus conſiderans verba illa. *Tunc dicet Rex his, qui à ſiniſtris eius erunt.* Matth. 25. dicit; quòd nō inaniter Euāgeliſta vti voluerit illo aduerbio, *Tunc*, non ſimpliciter ſcribendo: dicet Rex his, &c. ſed *Tūc, dicet* Rex, videlicèt pòſt prolixam diſcuſſionem, pòſt longam moram, pòſt multam patientiam; tandèm ad punitionem deueniet: verba autem præſati Theophylacti, ſunt hæc. *Non priùs punit, quàm diiudicet: myſterium*

*Luc. c. 9.*

*Lyranus.*
Prælati Dei patientiam erga reos imitentur.

*Theophyl.*

*Matt. c. 25.*

*Theophyl.*

Iudicia anteq́uã puniat, mature conſideret.

*enim eſt, & nos docet idipſum, quod non ante debemus punire, quàm rem diſcuſſerimus: ſic enim excuſatione magis carebunt, qui præcedente iudicio puniuntur*: hæc ipſe. Quibus pro hac materia aliud addere ſuperuacaneum eſſet, cùm videamus erga damnatos ipſos, quàm Diuina iuſtitia lentè procedat.

10 Sed heù quot video diuitias bonitatis illius, & patientiæ, & longanimitatis contemnere! heù quot perſpicio ſecundùm duritiam ſuam, & impœnitens cor theſaurizare ſibi iram in die iræ! quia vt Hieronymus in Epiſt. ad Romanos cap. 2. ait. *Tantò fortiùs ſagitta emiſſa configitur, quantò maiori tempore arcus intentio fuerit facta: ſit Deus, qui laneos habet pedes, & ferreas manus tarditatem ſupplicij, grauitate compenſat*. Vtinàm, vtinam dies ſuos non dimidiarent, quia tempore dempto, peccãdi etiam demeretur occaſio!

*Hieronym.*

Tarditas ſupplicij grauitate cõpenſatur.

## Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum. Io. 8:

### §. IV.

*Afflictio iuſtorum coticula, quo virtutis gradu præditus ſit virtuoſus, oſtendit.*

1 TActu probatur aurum, tactu tentantur & iuſti, indice aurum perfricando quantæ perfectionis ſit, haud facilè agnoſcunt aurifices, lapidem lydium ærumnarum ſuper iuſtos immittendo, quantæ virtutis ſint, Cęlum intelligit, & mundus: cuius veritatis non ignarus Iſaac, filium quem caligantibus oculis videre minimè poterat, ex tactu eum noſcere ſtuduit, cùm ait: *Accede, vt tangam te fili mi, & probem vtrùm tu ſis filius meus Eſaù, an non*. Gen. 26. At quid per Iſaac, niſi Deus: quid per Iacob, niſi iuſtus: quid per tactum, niſi preſſuræ: & quid per probationem, niſi experiẽtia figuratur: vt ſit ſenſus, Deus verus Iſaac, per preſſuras, & tribulationes, veluti per electiſſimos indices, & filios regni, & quãtę virtutis ſint, probat, & experitur. Meum non eſt hoc, quod dico; ſed Ruperti Holchot, à quo hanc exponendi ſeriem deſumpſi. *Deus iuſtos probat per tactum, in cuius figura dicitur. Gen. 27. quod Iſaac, qui figuratiuè dixit: accede hùc, ut tangam te fili mi, & probem vtrùm tu ſis filius meus: hæc autem probatio per tactum eſt, qua Deus per aduerſitates patientiam experitur*. Sic ipſe lect. 13. ſuper caput primũ Eccleſiaſtici. Quam allegoriam proſecutus eſt Vgo Cardin. qui ait: quòd tunc Pater Æternus, vt culmẽ ſummæ filij ſui virtutis agnoſceret mũdus, quod tantùm diuino intellectui notum erat, ipſum filium non in ordine ad ſe, ſed ad mundum tetigit, atque probauit, cùm illum paſſionem ſubire, & mortem pati præcepit; quia tunc culmẽ filij virtutis mundo etiam innoteſcere cępit: cuius verba ſunt, quæ ſequuntur. *Pater filium tetigit in paſſione, & probauit, ut habetur Sapientiæ 2. Contumelia, & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius*. Quod proprio ore confirmat ipſe Saluator, dum ait: *Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum*: hoc eſt: & ſi nunc vt cęci, virtutem meam vndique fulgentem non agnoſcatis, cũ tamen me in Cruce exaltaueritis, tunc preſſuris, atq; flagellis attritus, veluti coticula ꝓbatus ero, & velit, nolit veſtra cęcitas, auri fulgorẽ videbitis, & perfectionis agnoſcetis præſtantiam: ſic prę citatus Vgo. *Cùm exaltaueritis filium hominis, ideſt in Cruce, tunc, inquam, virtute ſignorum, quæ apparebunt, cognoſcetis, quia ego ſum, ſupple filius Dei*. Ecce quomodo iuſti lapis lydius afflictio eſt; dum ipſa examinatus quantę virtutis ſit, haud difficilè oſtendit.

*Gen. c. 26.*

*Rupertus Holchot.*

Deus aduerſitatũ tactu iuſtos probat.

*Vgo Cardinalis.*

Vt Chriſtũ in paſsione probauit.

*Ioan. c. 8.*

*Vgo Card.*

2 Porrò, vt aſſumptum argumentum, videlicèt, quòd ex tactu, veluti quodam electiſſimo indice, iuſti virtus probetur: Iobi hiſtoria vtor, in qua reperio, quòd cùm diabolus terram totam, vniuerſumque orbem ſe circuiſſe iactaret. *Circuiui terram, & perambulaui eam*. cap. 1. interrogatus, an ſanctiſſimum hunc virum vidiſſet, & quid de eo ſentiret, ſi viderat: *Namquid cõſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei*

*Iob c. 1.*

*ſimilis*

*ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timẽs Deum, & recedens à malo?* Reſpondit ſceleſtus, atq; maledicus: *Numquid Iob fruſtrà timet Deum? nonne tu vallaſti eum, ac domum eius &c. ſed extende paululum manum tuã, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi:* Atqui accepta feriendi licentia, cæſis ouibus, interfectis ſeruis, inter domus ruinas non priùs necatis, quàm tumulatis filijs, & vnico vt cõcludam verbo, Cęleſti igne combuſtis omnibus, ſolus Iob inter cædes incolumis, & intèr ærumnarum ventos immobilis manés, Deo grates prò rerum, filiorumq; amiſſione, non minùs, quàm pro acquiſitione reddebat. *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum.* Ibidem. De cuius patientia, fortitudine, atq; conſtantia denuò interrogatus diabolus.

*Iob.c.2.*

*Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra?* Cap. 2. Impudentiſſimum os cõtrà Sanctiſſimum virum, iterum laxare non dubitauit, dicendo: *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua: alioquin mitte manum tuã, & tange os eius & carnem, & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi:* Ibidem. In quo agone, quod ſe mihi conſiderãdum offert, eſt; quòd Satan Iobi tentationes ſemper per tactum expreſſit, ſẽper per tactum iuſtum eſſe probandum aſſeruit.

**Iuſtus vtrũ integer ſit in patientia percuſſione probatur.**

*Tange cuncta, quæ habet, tange os eius & carnem.* Et non ob aliud tamẽ diabolum ſic dixiſſe exiſtimo; niſi quia benè noſcebat ſceleſtus iuſtũ, veluti fictile uas à Cœleſti figulo ad honorem efformatum, ærumnarum percuſſionibus ſonum edere, quo an integer in patientia, an per impatientiam ſit fractus, oſtenditur: ſciebat equidem maledicus, Iuſtum, veluti aurum, preſſurarum indice quantæ virtutis ſit, tangendo probari: ideò nequiſſimus dicere non verecundabatur. *Tange os eius & carnem, & videbis, quòd in faciem benedicat tibi:* Quia putabat, Iobum preſſuris frangi, & ærumnis ad impatientiam prouocari: verùmtamen quem aurichalcum inuenire putabat, aurum obrizum inuenit: Do tibi ſupra allatum

**Rupertus Holchot.**

Rupertum Holchot. loco citato. *Hæc autem probatio per tactum eſt, qua Deus per aduerſitates patientiam experitur; & hoc planè patet in Iob, vbi Satan expetiuit eum, & dixit: mitte manum tuam, & tange os eius & carnem: & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi: iſto modo in præſenti probat Deus virtuoſos, ſi in tribulatione murmurant; ſicut percuſſione probatur integritas ollæ terreſtris; quia clarè ſonant, vt olla, ſi fracti non fuerint, per gratiarum actionem, ſicut in Iob patuit.*

**Dei tactus, quàm exquiſitus in probationibus.**

Ecce quomodò clarere iàm incipit, quod ad probandum aſſumpſi; videlicet, afflictionẽ iuſti coticulam eſſe, qua & probatur, & probatus, quantæ virtutis ſit, dignoſcitur.

3 Præ oculis tamèn cùm Iobi habeamus hiſtoriam, inquirere non diſpliceat: cur Iob vlcera, quibus à planta pedis vſq; ad verticẽ capitis cooperiebatur, teſta radebat, dicente Scriptura:

*Iob.c.2.*

*Teſta ſaniem radebat*; Cap. 2. Cur non lauabat? nõ fouebat? Nec dicere oportet, quòd ſic eum expoliauerat Satan, quòd omni prorſùs leuamine priuabatur: quia dolorem, quem medicinis, atq; remedijs minuere non poterat, ſaltèm augere non debebat, plagas teſta renouando & vulnera. Ita prorsùs Origenes homil. 2. in Iob. vbi ſic proclamat.

*Origenes*

*Ob quam rem hæc facis, ò Iob? cur hunc dolorem exaſperas? cur augmentas? cur exaggeras, teſta renouãdo hoc lamentabile vulnus, atq; ſæuiſſimam hanc plagam? potiùs debueras lauare, fouere, & vngere.* Sic ipſe. Ego tamen ex prædictis myſterium facilè colligo, & eſt: vt ſuam patientiam, virtutem, atq; perfectionem oſtenderet Iob, teſta ſaniem radebat: quia ſi aurum lapide lydio perfricatur, vt quanti ponderis ſit, agnoſcatur: ſic ipſe teſta, veluti lapide lydio plagas renouando, vlcera exaſperando, & dolorem augendo, patientiæ magnitudinem, ſufferentiæ excellentiã, & perfectionis eminentiam oſtẽdebat. Nil aliter ad difficultatem à ſe motam;

*Idem*

*Ob quam rem hæc facis, ò Iob? cur hunc dolorem exaſperas? cur augmentas? cur exaggeras teſta radendo hoc lamentabile vulnus?*

**Cur Iob vlcera teſta radebat.**

Reſpondet idem Origenes, quùm dicit: *Aduertite, ò viri, ob hoc raſit Iob vulnera ſua teſta, non quòd non ei valdè doluiſſent, ſed ob hoc raſit teſta, vt nobis patientiæ, & tolerantiæ normam daret.* Itàq; non vt dolorem extenuaret, nec vt plagas ſanaret; ſed vt

patientiam, atq; virtutem demonſtraret, teſta ſaniem radere voluit Iob: nam ipſe veluti aurum indice perfricatum, patientiæ fulgorem, & tolerantiæ ſplẽdorem emittebat, quod aureo ore dixit Chryſoſtomus hom. 5. ad populum Antiochenum. *Deſignate igitur & nos Athletam illum, & exiſtimate vos cernere ſimum illum, & ipſum in medio ſtercoris ſedentem: ſtatuam auream gemmatam, qualem dicere non noui: neq; enim tam pretioſam valeo materiam inuenire, vt illi cruentato corpori comparari poſſit. Sic omni materia pretioſiſſima carnis illius natura erat multò venerabilior, & vlcera Solaribus radijs ſplendidiora: hi enim corporis oculos illuminant: illa verò mentis noſtræ lumina illuſtrant: illa diabolum penitùs excæcauerunt* & infrà. *Niſi verò ipſum expoliaſſet, bonam victoris habitudinem non cognouiſſemus; niſi ipſius corpus plagis perforaſſet, radij intrinſecùs non renituiſſent.* Sanè vides: cur teſta ſaniem raderet; quia veluti aurum, quò doloribus, velut lapide lydio perfricabatur, eò ſplendidiores virtutum radios emittebat.

*Chryſoſt.*

Iob patientia quantũ in preſſuris eluxit.

4 Nunc paulatim intelligo: cur diabolus, qui totiès contra Iob ori habenas laxauerat, qui ipſum non vt Dei cultorem laudauerat: ſed vt ſui amatorem accuſauerat, dicendo: *Numquid Iob fruſtrà timet Deum? nonne tu uallaſti eum, ac domum eius &c.* cap. 1. qui non vt veteranum, ac fortem bellatorem prædicauerat; ſed vt tyronem in virtute, & vt imbecillem in aduerſis ſpreuerat, quùm ait: *Pellem prò pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua: uerumtamen extende manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc uidebis, quòd in faciem benedicat tibi.* Cap. 2. Poſteà verò conſummato ſecundo certamine, ut ipſum doloribus repletum, plagis affectum, & lepra coopertum, teſta ſaniem radentem vidit; contrà eum amplius loqui non eſt auſus, immò, nè verbum quidem de ipſo proferre cogeretur, antè Dominum, vt priùs, nec apparere uoluit, nec uideri: ſed cur, ò ſceleſte, linguæ habenas ulterius non laxat? cur contrà Sanctum uirum, ut conſueueras, non loqueris? priores accuſationes ubi ſunt? cur ſiles? immò, cur fugis inique? Sed proh magna

*Iob. c. 1.*

*Iob c. 2.*

Iobi probatio, magna laus! quòd cõtra eum dæmoniaca impudentia, odiũ, atq; liuor, quid ultrà diceret, ignoraret. Verùm nil mirum, quòd poſtquã teſta ſaniem raſit, impudentiſſimum dæmonis os obſtructum ſit, & accuſationibus locus deſit: quia de auro dubitari ſemper poteſt, uſq; dùm per indicem ſit probatum: poſtquam uerò indice perfricatum, debitum fulgorem emittit, omnis dubitationis abſciſſa occaſione, ſi quid de auro dicendum reſtat, in ipſius laudem, ac perfectionẽ dici debet: ità de Iob philoſophatur Chryſoſtomus homil. 5. ad populum Antiochenum, dicendo; quòd antequàm probaretur, dubitare poterat Satan: eum accuſare, atq; culpare nõ uerecundebatur: ut autem Sanctiſſimũ uirum afflictionibus probatum uidit; immò ut ipſum nedùm patienter ferẽtem, ſed lepram teſta, ueluti lapide lydio radentem perſpexit, tunc auri micante fulgore, quid ampliùs contrà eum diceret, ignorabat. Præfatus Chryſoſtomus in citata homil. *Tu verò dilecte; & hinc diſce tribulationis lucrum quãtum eſt: etenim quandò diues erat, & otio fruebatur iuſtus, undè accuſaret ipſum habuit, mendaciter quidem: ucrumenimuerò habuit undè diceret: num te gratis colit Iob? poſtquam uerò ipſum ſpoliauit, & fecit pauperem, nec hiſcere quidem auſus eſt: quãdo ſanum quidèm ipſius erat corpus, manus apponebat: vt verò ipſius carnem vulneribus impleuit, tunc aufugit victus.* Itaque nec ſine cauſa ſilet diabolus, quia iàm auri ponderoſitatem probatam videbat, de qua dubitabat: nec ſine induſtria ſaniem radebat Iob; quia hoſti tacitè (ni fallor) dicebat: attende, ò Satan, & vide: nam ideò teſta plagas decorticando, vulnera renouare ſtudeo; vt quod aurichalcum exiſtimas, aurum obrizum agnoſcens, taceas, & obmuteſcas.

*Chryſoſt.*

Probata Iob virtus, diabolum obtumeſcere fecit.

5 Et hæc forſitan eſt ratio, cur omiſſis cæteris virtutibus, tantùm de patiẽtia laudetur Iob: *Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* Iacobi. 5. Quia reliquas virtutes mendaci ore inficere poterat Satan, antequam probaretur: de auro, & ſi inaniter, dubitare tamen poterat inimicus, priuſquàm examinaretur: at ærumnis probata

*Epiſt. Iacobi Apoſt. c. 5.*

bata patientia infici nullatenùs poteſt: ideò, omiſſis reliquis iuſti virtutibus, hæc vna in ipſo laudatur, extollitur, & prædicatur. Chryſoſtomus homil. 4. de patientia Iob. *Niſi enim paſſus fuiſſet, fortè nec veluti virtutis amator laudaretur, ſed uelut inſenſibilis damnaretur.* Et clariùs Diuus Cyprianus de bono patientiæ. *Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini uidiſtis. Eſt enim nobis cum Deo uirtus iſta communis: indè patientia incipit, indè claritas eius, & dignitas caput ſumit.* Vndè etiam Seneca lib. de patientia cap. 4. ſuis coæuis dicere ſolebat; quòd nec laudari, nec agnoſci poteſt virtus, quæ tribulationibus non probatur. *Miſerum te iudico, quòd non fuiſti miſer, tranſiſti ſine aduerſario viam; nemo ſcit quid poteris, nec tu quidem ipſe. Calamitas virtutis occaſio,*

*Chryſoſt.*

Iob magis patientia claruit, quã alijs virtutibus.

*Seneca.*

6 Hinc facilè percipio: cur nonnulli Patres tribulationem, *Inuentarium* nuncupare voluerint: quia ſi per inuentarium poſſeſſa, vel cuſtodita inueniuntur, atq; clareſcunt; ſic per tribulationem clareſcit patientia, & innoteſcit virtus: & ſicuti per inuentarium multotiès aliqua reperire ſolemus, quæ nos poſſidere, vel cuſtodire nullatenùs ſperabamus; ſic per afflictiones, atq; ærumnas virtutes quędam in aliquibus præter opinionem reperiri ſolent, quæ nullo modo ab ipſis poſſideri exiſtimabantur. Pro cuius veritatis probatione deſeruiat locus ille Danielis 5. *Eſt vir in Regno tuo, qui ſpiritum Deorũm Sãctorum habet in ſe &c. quia ſpiritus amplior, & prudentia, & intelligentia, & interpretatio ſomniorum, & oſtenſio ſecretorum, ac ſolutio ligatorum, inuenta ſunt in eo, hoc eſt in Daniele.* Sic ad Regem Baltaſſar Regina vxor: ſed ſi noſcere cupis, vndè Spiritus amplior inuentus ſit in Daniele, quonam modo virtutes, quę in eo minimè videbantur apparere cæperint, & quo pacto perfectio aliqua, quæ in eo nullatenùs eſſe exiſtimabatur, reperta ſit; reuertere ad cap. 3. eiuſdem, & videbis Danielem, velut aurum in fornace probatũ, & velut argentum igne examinatum: non impatientiæ, atq; blaſphemiarum verba prompſiſſe: ſed inter preſſuras, tribulationes, atq; ærumnas Deo ſemper gratias reddidiſſe: quid mirum, ſi amplior ſpiritus vocetur ille, qui antequàm probaretur, non agnoſcebatur, & priuſquam examinaretur, excogitari vix poterat, quòd in puro homine requieſceret? Vndè ſi benè aduertis, in Iobo etiam aliquid pòſt hoc innentarium repertum fuit, quod in eo anteà non reperiebatur, vel ſaltem non laudabatur: quid autem hoc ſit, lege ſecundum colloquium, quod cum Satana habuit Altiſſimus, & reperies, quòd in hoc ſecundo aliquid addidit, quod in primo ſermone minimè appoſuerat. *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiã?* cap. 2. Quod iuſti præconium, vt optimè annotauit Chryſoſtomus. homil. 4. de patientia Iob, à primo penitùs non diſcrepat, cum eędem omninò virtutes hic, & ibi laudentur; niſi in vno quod nunc addidit: *Adhuc retinens innocentiam*: quod in primo non appoſuerat. Rationem autem ob quam in ſecũdo ſerm. nõ in primo ſuperaddatur hęc laus, aſſignat præfatus Chryſoſtomus ſequentibus verbis. *In primo dixit Deus: Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quoniam non eſt ei ſimilis in terra, irreprehenſibilis, timens Deum, iuſtus, & verax, & recedens ab omni opere malo; & adhuc retinens innocentiam non appoſuit: pòſt certamen uerò, pòſt uictoriam, quaſi coronam adducit famæ celebritatem, retinẽs innocentiam.* Ecce quomodò per tribulationis inuentarium, & amplior Spiritus reperitur in Daniele, & plures virtutes nunc, quàm anteà, inueniuntur in Iob; dùm cõſummato agone, in ſecũda iuſtitię deſcriptione aliqua laus ponatur, quæ in prima nullatenus ponebatur.

Tribulatio Inuentariũ

*Daniel. c. 5.*

*Iob. c. 2.*

Chryſoſt.

7 Poſtremò pro hac materia, videlicet, quòd lapis lydius iuſtorum tribulatio ſit & afflictio, deſeruiat locus ille Canticorum 5. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt* Ciuitatem: *percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Vbi ſi per ſponſam, iuſti anima Deo per fidem deſponſata, iuxtà illud Oſeæ cap. 2. *Deſponſabo te mihi cum fide*, intelligi debet; ſic per Ciuitatis Cuſtodes, Sancti Angeli ad noſtram cuſtodiam delegati indi-

*Cantic. c. 5.*

Angeli Cuſtodes quoniam pacto percutere, & vulnerare dicantur;

*Oſeæ c. 2.*

Digitized by Google

indicantur. Sed magna poſſet oriri diſficultas: quomodò Angeli Cuſtodes, qui tueri nos debent, cuſtodire, atque protegere, percutiant, vulnerent, & ſpolient, niſi ſciremus, iuſtos (vt paulò ſuperiùs dictum eſt) vaſa eſſe à Cœleſti figulo ad honorem efformata: & vaſa fictilia, vt in initio dixiſſe me memini, percuſſione probantur, integranè ſint, an fractæ? quod agnoſcentes illius cœleſtis patriæ Ciues, tribulationum, atq; ærumnarum percuſſionibus iuſti animā probāt, an integra ſit in patiētia, an fracta per impatientiā: nec vacat myſterio, quòd vltrà percuſſionem, vulnerent etiam, & plagis afficiant; quia ſi iuſtus aurum eſt, iuxtà illud Sapientię. 3: *Tāquam aurum in fornace probauit illos.* Sapien. c. 3. Aurum percuſſione lapidis heraclij vulneratur quodammodò, vt, fulgorem emittendo, dignoſcatur: & iuſtus preſſus, & vulneratus patientiæ, atq; perfectionis præſtantiam oſtendit. Quòd confirmare (niſi me fallit opinio) voluit Ambroſius lib. de Iſaac, & anima cap. 6. quùm ait: *Illi percuſſerunt eam, ut ampliùs probaretur: exercentur enim anima tentationibus: tulerunt ei pallium, quærentes ſi uerum decorem nitidę uirtutis afferret.* Ambroſ. Amplectamur igitur, fratres, amplectamur tribulationes, læto animo ſuſcipiamus ærumnas, quia per ipſas integer à fracto diſtinguitur, aurum obrizum ab orichalco diſcernitur, & filij Regni à filijs gehennæ dignoſcuntur, dicente Eccleſ. cap. 5. *In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habę: quoniam igne probatur aurum, & argentum; homines uerò receptibiles in camino humiliationis.* Eccleſ. c. 5. Vndè cum Hieronymo epiſt. 31. concludendum exiſtimo, Hieronym. atq; dicendum: *Ipſi ergò gratias agite, fratres, & patientèr, quæ illata ſunt ſuſtinete: nam recta mentis eſt, Deum non ſolùm in proſperis benedicere; ſed etiam in aduerſitatibus collaudare.*

Tribulationibus animas probant.



Digitized by Google

# FERIA TERTIA POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMAE.

**Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quęcunq; dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: omnia enim opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. Matth. 23.**

## §. I.

*Inexplebilis fera hypocritarum ambitio, quæ inani gloria nunquam ſaturata, in quouis opere popularem plauſum ingurgitare conatur.*

1 RApaci lupo quòd comparetur hypocrita, dicente Saluatore: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniũt ad uos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* Matth. 7. & ſubſequente Paulo. *Scio quòd pòſt diſceſſum meum intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Act. cap. 20. non miror, quia ſi lupus, & ſi multum comedat, ſemper tamèn eſurire videtur; ſic hypocrita, quamuis honoribus multis afficiatur, ſemper tamèn nouos appetere, immò nouos inhiare non erubeſcit. Quod expreſſit Greg. lib. 8. moral. cap. 30. *Gaudent hypocritæ ſe præcipuos in humana æſtimatione claruiſſe, cumque inflati fauoribus apud ſemetipſos intumeſcũt, ſæpè videri quotidiè ſemetipſis altiores cupiunt; ac miris inuentionibus in opere excreſcunt.* Ex quo fit, quòd non in magnis, nec in paruis operibus ſolummodò, ſed in omnibus indiſcriminatim inanem gloriam, popularéq; plauſum venari conãtur. Quod docuit Saluator, quùm ait: *Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Matth. cap. 23. & apertiùs declarauit Chryſoſt. homil. 73. ex c. 13. Matt. cùm ait: *Percipe in hoc loco, quomodo crimen amplificet. Non enim alia ſic, & alia non faciunt, ſed vniuerſa ſimpliciter ſic. Cum igitur inanẽ gloriam eis obiecisſet, non magnarum, neq; præclararũ rerũ fama eos laborare demõſtrat; nihil enim huiuſmodi habebant: ſed è paruis, & vilibus gloriam venabantur, quibus ingens eorum nequitia ſignificabatur:* Quàm hypocritarum impudentiã cũ tetundere vellẽt, illa ſancta quatuor animalia (vt Greg. vtar verbis) quæ prophetiæ ſpiritu futura pręuidebantur, manus pennis velabant. *Et manus hominis ſub pennis eorum.* Ezech. 1. tacitè ac ſi dicerẽt: ſi per manus actiones figurantur & opera, manus nos à nobis ipſis abſcondere ſtudemus, vt intelligãt hypocritæ, ſe nõ in paruis gloriam venari; ſed in magnis ſeipſos etiã (fieri ſi poterit) ignorare debere. Quod nimis clarè confirmauit Saluator verbis illis. *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Matth. 6. vbi præfatus Chryſoſt. in Caten. citatus. *Hoc autem per ſuperabundantiam dicitur, ac ſi dicat: ſi poſſibile eſt te ipſum ignorare, & ipſas manus latere* poſſi-

*[Margin notes: Matt. c. 7. — Hypocritæ lupi — Act. c. 20. — Gregorius. — Inſatiabiles — Matt. c. 23. — Chryſoſt. — In omnibus — Gregor. — Ezech. c. 1. — Manus actiones ſignificant. — Matth. c. 6. — Chryſoſt. in caten. — Siniſtram dexteræ opera ſcire quomodo intelligendum.]*

*poſſibile eſſet, ſtudioſiſſimum eſt tibi.* hactenus ipſe. Nos autem ad Hypocritarum inexplebilitatem dirigamus ſermonem.

2 Adſit in primis locus ille Apocalypſis 4. *Poſthac uidi: & ecce oſtium apertum in Cælo: & vox prima, quam audiui, tāquā tubæ loquentis mecum, dicēs: aſcende huc, & oſtendam tibi.* Vbi quòd in Cœlo oſtium reperiatur, non miror; quià ſi terreſtris Paradiſus nè inimicorum pateretur incurſus, & eū oſtium, & oſtiariū habere oportuit, qui clauis loco igneū gladium vibrando, Paradiſi prohiberet acceſſum. *Collocauit antè Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atq; uerſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Geneſ. 3. multò magis cœleſtē Paradiſum, & ianuas, & Ianitores habere decebat, qui non omnibus; ſed mundis tantùm præberent ingreſſum, dicente Ioanne. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aùt abominationem faciens & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro uitæ Agni.* Apocalyp. cap. 21. ſed quòd tuba non ſonare, nec perſonare, ſed loqui diceretur, penitùs non intelligo: & licèt Ambroſ. per iſtam primam vocem, quæ veluti tuba perſonabat, magnum Ioannem Baptiſtam, qui Verbum in mundo præceſſit intelligat; cuius verba ſunt hæc. *Per vocem primam Ioannem Baptiſtam intelligimus, de quo ſcriptum eſt: Tu puer Propheta Altiſſimi uocaberis, præibis &c. & ipſe Ioannes ſe uocem uocat, dicens; ego uox clamantis in deſerto, &c. & quia prædicatio eius circumquaq; percrebuit, uox prædicationis eius tubæ ſimilis dicitur.* Adhuc tamen dubitandi reſtat occaſio: cur oſtium aperiri neceſſe fuit, vt vox audiretur? *Ecce oſtium apertum in Cælo: & uox prima, quam audiui.* Si Ioannis prędicatio ſic altè inſonuit, vt ne dùm ad propinquos; verùm etiam ad longè diſtantes perueniret; dicente Matth. c. 3. *Exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circà Iordanem.* At poſtquàm contrà hypocritas cœleſtem Magiſtrum audiui dicentem. *Cùm facis eleemoſynam, noli tuba canere antè te, ſicut hypocritæ faciunt.* Matth. 6. per tubam non ſonantem, ſed loquentem hypocritam ſignificari accepi, qui ſic impudenter ſuas fictas virtutes prædicat, vt tuba clariùs perſonare videatur: ad quem ſenſum reducendo præfata Ioannis verba, ſi fas eſſet, exponi ſic poſſent: apertum eſt oſtium oris in Cœlo, hoc eſt, hypocritæ, qui cùm immunda cloaca ſit, Cœlum ſe ſimulat: & vox prima, quam audiui fuit impudentiſſimæ iactantiæ; dum ſine rubore aliquo, veluti tuba, ſuas prædicabat virtutes. Vndè Cromatius. *Nunc quoque iubemur, tuba canere non debere, id eſt, promulgare quod facimus: pleriq; enim, ideò aliquid faciunt, ut inanem laudem hominum, & fauorem ſeculi mercentur.* Quod facere ſolent hypocritæ, qui vt ſuas ſimulatas virtutes canant, in longum ſermonem non protrahunt; ſed vox prima, quam emittunt exaltationis eſt, honoris, & gloriæ.

3 In terminis viſa res eſt in Phariſæo illo, qui ad orandum quidèm in Templum aſcēderat. *Duo homines aſcēderunt in templum, ut orarēt: unus Phariſæus, & alter Publicanus.* Lucæ cap. 18. Sed poſteà orationis loco ſe laudare incepit. *Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri. Ieiuno bis in Sabbato: decimas do omnium, quæ poſſideo.* Ibidem. Qui nouus orandi modus Auguſtinum in ſtuporem adduxit, qui ait; quòd Phariſæus his verbis, non Deum rogare, ſed ſe laudare ſtudebat. *Quære autem in uerbis eius, & nihil inuenies, quod Deum rogauerit: aſcendit quidèm orare, noluit Deum rogare, ſed ſe laudare, & roganti inſultare.* Sic ipſe in ſerm. quodam de verbis Domini. Ego autem quod maximè perpēdendum exiſtimo, eſt: quænam fuerit prima vox iſtius inuerecūdi, & facilè hanc fuiſſe reperio. *Gratias tibi ago Domine, quia non ſum ſicut cæteri.* Sed proh ſceleſte! cur in orationis exordio non te accuſas, vt fieri ſolet, & decet? cur tua peccata non confiteris? cur te omnibus nequiorem non vocas? quòd ſuprà cæteros erigeris? *Nō ſum ſicut cæteri.* Sed certè nil mirū, quòd aperto oſtio, vox prima, quæ auditur, quaſi tuba ſit, quæ ſuas loquitur laudes, & fictas canit virtutes; quia ità inanem gloriam inhiare cupit hypocrita; quòd moræ impatiens, primum verbū, quod eructat, laudis eſt, honoris, & gloriæ.

Con-

*Apoc. c. 4.*

*Geneſ. c. 3.*

*Apoc. c. 21*

*Ambroſ.*

Ioannes Baptiſta vox tubę

*Apocal. c.*

*Matth. c. 3.*

*Matth. c. 6.*

Hypocrita tuba loquēs.

*Cromatius.*

*Luc. c. 18.*

*Ibidem*

*Auguſt.*

*Luc. c. 18.*

*Ibidem.*

*Carthuſian.*

Confirmet hoc Carthuſianus, qui art. 41. citatam Phariſæi orationem expẽdens, hunc ait in modum. *Propterea, cum in prouerbijs Salomon dicat. Iuſtus in principio accuſator eſt ſui; Phariſæus iſte inordinatè exorſus eſt à propria laude. Rectus ergò orandi modus eſt: primò ſe ipſum humilitèr accuſare, deindè Deum ſupplicitèr exorare, atq; in fine gratias agere, ſicut Sacerdos in Miſſa præmittit confiteor, poſteà orat, & poſtremò in gratiarum actione conſummat officium.* Quem ordinem ſeruare non poterat ille, qui inanis gloriæ cupidus, non vt Deum rogaret; ſed vt ſe laudaret, aſcenderat.

Hypocritæ orationem peruertunt.

4 Sed quod magis ad rem noſtram facit., eſt; Phariſæum non tantùm dicere voluiſſe: *Non ſum ſicut cæteri:* quibus ſatis ſupra cunctos ſe extuliſſet, atque laudaſſet; ſed longa ſerie, ac prolixo ſermone omnes ſuas apparentes virtutes diſtinctè numerare, & prædicare voluit, dicendo: *Non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, inuſti, adulteri: ieiuno bis in Sabato: decimas do omnium, quæ poſſideo:* quia non in vno, nec in duobus hypocritarum ſiſtit ambitio; ſed in omnibus, ſiuè magnis, ſiuè paruis, humanam gloriam captare conantur. Vndè Chryſoſtomus hom. 5. in cap. Geneſeos primum. *Phariſæus ille, qui linguæ ſuæ imperare non potuit, per illam, ſicuti per feneſtram aliquam, omnes diuitias ſuas effudit.* Et vt video mercatorum pauperum adamuſſim ſequebatur veſtigia Phariſæus iſte: quia ſi illi paucas merces, quas habent humeris baiulãdo, & per vicos, & plateas incedendo clamãt, & clamãdo totũ, quod poſſidẽt patefaciũt, vt vẽdãt, atq; lucrẽtur: ſic mercator iſte pauperrimus, qui ſe diuitem exiſtimabat, & egeſtatẽ, qua laborabat, nõ agnoſcebat: de quo dici poterat illud Apoc. c. 3. *Dicis: quòd diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Paucas merces, quas habebat pleno ore ſigillatim, atq; diſtinctè prædicabat, vt pro qualibet apparẽti virtute humanã laudẽ mercaretur & gloriã. Cuius mercatoris parabolam ſi percurriſſet Seneca, illam aptiùs confirmare non potuiſſet, quàm cùm de talibus in genere ait: *Mercatores pauperes habentes migmata, & acus fortiter clamant per omnes uicos, ſed diues mercator in ſilentio retinet merces ſuas, & ſinè clamore emere uolentibus, exponit res pretioſas, & magni ualoris.* lib. de beneficijs.

*Luc. ibidem*

*Ibidem.*

*Chryſoſt.*

Hypocrita omnia habere ſe iactat, cum nihil habeat.

*Apoc. c. 3.*

*Seneca.*

Hypocrita pauperrimus mercator.

5 In cuius figura, de Ezechia legiſſe me memini; quòd cùm de periculoſa illa ægritudine, qua laborans, vſq; ad mortis ianuas deuenerat, conualuiſſet, nuncios, quos Babyloniorum Rex gratulationis cauſa ad eum deſtinauerat, non ſolùm læto animo ſuſcepit; ſed etiam quidquid habebat, ſiuè magnum, ſiuè paruum eis pluſquàm libenter oſtendit. *Lætatus eſt autem in aduentu eorum Ezechias, & oſtendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, Et pigmenta uaria, unguenta quoque, & domum uaſorum ſuorum, et omnia, quæ habere poterat in theſauris ſuis. Non fuit, quod non monſtraret eis Ezechias in domo ſua, et in omni poteſtate ſua.* 4. Reg. cap. 20. Cuius rei conſcius factus Iſaias, Dei zelo ductus cõtra eum prophetare cæpit, & dicere. *Ecce dies uenient, et auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, et quæ condiderunt Patres tui, uſq; in diem hanc.* At quid per Ezechiã in hoc caſu, niſi hypocrita? & quid per diuitias, niſi virtutes ſignificantur? quia ſi Ezechias quidquid prorſùs habebat, oſtendit; hypocrita virtutes omnes, quas habere ſe ſimulat, in propatulo ponit, vt per omnes ipſas honorẽ acquirat & famam: ſed ſi ille theſauros oſtendendo deperdidit, hic virtutes propalando, & virtutes amittit, & laudem. Angelomus Monachus ſuper citatam Ezechiæ hiſtoriam. *Hæc itaq; ſententia contra hypocritas prolata, accipi poteſt, qui pòſt magnas uirtutes; quià cauere malignorum ſpirituum inſidias nolunt, & celari in iiſdem uirtutibus negligunt, bona ſua oſtendendo hoſtium faciunt: & impudentes ſubitò amittunt, quidquid diutiùs ſtudendo operãtur. Hinc per Pſalmiſtã dicitur: tradidit in captiuitatem uirtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Virtus quippè, & pulchritudo in manibus inimici traditur; quia omne bonum, quod per concupiſcentiam laudis oſtẽditur, occulti aduerſarij iuri mancipatur: hinc eſt, quod de electorum Eccleſia per Pſalmiſtam dicitur: omnis gloria eius filiæ regis ab intus, gloriã intus habet; quia hoc, quod agit, in oſtentatione iactantiam non*

*4. Reg. 4. 20*

*Ibidem.*

*Angelom. Monachus.*

Hypocrita oſtium apertum tenet, vnde rapiatur.

habet. Quam Ezechiæ iactantiā imitatus Phariſæus, quidquid repoſitum habebat, oſtēdit; cùm nō ad Deū rogādū, ſed ad ſe laudandū aſcendit: cuius oppoſitū Ageſilaum feciſſe ſcribit Plutarchus in libello, quùm ait: *Ità planè Ageſilaus uitam inſtituit, dum tacitus bona ſua ſecum circumferret, abundè magnus buccinator ſibimet.* Quod ſi agnouiſſet Phariſæus iſte, nō virtutes diſcooperire, ſed operire, nec perfectiōnē oſtendere, ſed omni ſedulitate celare ſtuduiſſet.

*Plutarch.*

6 His non contenta hypocritarum ambitio, non tantùm de virtute apparentèr acquiſita, ſed de cogitata ſolùmmodò laudari cupit, & ſtudet. Quod fortè ſic expreſſit Dauid, quùm ait: *Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Pſal. 9. Quod idem erat, ac diceret: talis, ac tanta hypocritarum ambitio eſt, quòd non de omnibus operibus ſolùmmodò; ſed de ipſis etiam cogitationibus, ac deſiderijs, ſi fieri poſſet, laudari vellet & prædicari. Quod meum cogitatum, quis ſcit, an præ oculis haberet Gregorius, quando lib. 8. moralium cap. 30. ait: *Hypocritæ operaturi quippè laudes ſuas cogitant, laudati autem has ſecum taciti in cogitationibus uerſant.* Quorum ſi præcipuè notabis illa: *Operaturi laudes ſuas cogitant.* Quàm inexplebilis ſit hæc fera percipies, dum non in operibus ſingulis, ſed in cogitationibus etiā laude ingurgitare conatur.

*Pſal. 9.*

*Gregorius*

Hypocrita etiam cogitationes publicare vellet.

7 Vlteriùs ſi de hac inexplebili fera mihi dicere liceret, dicerem vtiquè: quòd non tantùm in omnibus operibus, & in ſingulis cogitationibus faſtū affectare vellent hypocritæ; ſed ſi fieri poſſet, pòſt mortem etiam, quando ſepulchra eorum, domus eorum fient in æternum, quando in puluere iàm dormientes, putredinem matrem, & vermes ſorores uocare poterunt: tunc etiam (vt ità dicam) in congerie mortuorum uigilātes, ad popularem plauſum, & ad humanam gloriam animū intenderent. Quod ſatis acutè obſeruauit Chryſoſtomus homil. 29. in 2. Corinth. in morali. uerba perpendens illa. *Deus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.* pſal. 52. vbi diligenter inquirit: quinam ſint iſti, qui hominibus placent, & cur oſſa iſtorum pluſquam aliorum peccatorum, Deo diſpliceant? & tandèm concludit, quòd per hos qui hominibus placere ſtudent, hypocritæ intelliguntur, iuxtà illud Pauli. *Si adhuc hominibus placerem, ſeruus Dei non eſſem.* Ad Galat. 1. Quorum oſſa ideò Deo tàm diſplicent, vt ea frangi, comminui, & diſſipari præcipiat; quia appetitus placendi hominibus altè inſider, & exæſtuat in medullis: *Quemadmodum* (ait præfatus Chryſoſtomus) *Inter febres illæ potiſſimùm acerbæ, atq; incurabiles ſunt, quæ ſolidas corporis partes attingunt, atq; in oſſibus, in neruis ipſis ebulliunt, & in venis ipſis deliteſcunt; ad eundem modum hæc quoq; inſania.* Scilicèt inanis gloriæ appetitio, & ſtudiū hominibus placendi, *intùs in ipſo animo flagrat, eumq; peruertit, ac labefactat.* Quod ſatis clariùs confirmauit homil. 17. ſuper epiſtolam ad Rom. vbi ex ſuperbis mundanorum ſepulchris ſumpta dicendi occaſione, de inani gloria in genere ſic dixit: *Aliæ ſiquidèm paſſiones, morte finiuntur: inanis verò gloria, & pòſt mortē violentèr inſtat, naturāq; ſuā, etiā in emortuo iàm corpore oſtendere contendit. Quùm enim ſplendida ſepulchra morientes ſibi erigi curent, atq; vt in ſepultura multus anteà luxus adhibeatur, affectent.*

*Pſal. 52.*

*Ad Gal. c. 1*

Inanis gloria in medullis inſidet

*Chryſoſt.*

Oſſa depaſcitur.

*Idem*

Et poſt mortem debacchatur.

8 Secùs iuſti ſemper iactantiæ acerrimi hoſtes, & in vita, & in morte; immò pòſt mortem etiam propriarum laudum iuſta præconia audire nullatenus cupiunt, & quòd in vita humilitatem ſectando, terrenos oculos fugiāt, & honorem non affectent, obſeruauit (vt cætera omittam, quę de hac re dicere poſſem) Theophylactus, ſuper verba illa. Lucæ cap. 1. *Fuit in diebus Herodis, Regis Iudææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias de uice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Eliſabet: erant autem iuſti ambo antè Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini, ſine querela.* Vbi ait: non ſine cauſa Euangeliſtam Zachariæ, & Eliſabet virtutes ſcribendo concludere voluiſſe. *Incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus ſine querela:* Quia multi ambulant in vijs Domini, ſed nō ſine querela; cùm non tàm Dei gloriā, quàm propriam laudem in rectè factis ex-

*Luc. 1.*

Zachariæ & Eliſabeth Sanctitas.

*Theophyl.*

Hypocrita ſine querela nō ambulat, quia hominibus placere affectat.

Digitized by Google

exquirant; cuius verba ſunt hæc: *Quare autem cùm dixit ambulantes in omnibus mandatis eius, adiunxit, irreprehenſibiles? quia multi ambulant in lege Dei; ſed omnia faciunt, vt videantur ab hominibus, tales igitur non ſunt irreprehenſibiles: ſed Zacharias, & fecit mandata, & citrà reprehenſionem fecit, non ut hominibus placeret, talia faciens.* Quòd autem pòſt mortẽ etiam, quod notatu magis dignum exiſtimo, debitas laudes repellendo, humilitatem ſectentur; futurum iudicium in mentem reuoca; & videbis, quòd quàm Iudex electorum facta prędicare ſtudebit, tàm ipſi ea abſcondere ſatagent, atq; nitentur: nam ſtatim, ac munificũ remuneratorẽ audiẽt dicẽtẽ:

Matt. c. 25.

*Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnũ: eſuriui.n. & dediſtis mihi mãducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes erã, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & veniſtis ad me.* Matthæi c. 25. Reſpondebunt ipſi, dicentes: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum? quandò autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te? &c.* ibidem. Sed bone Deus! ſi verum erit, quod dicturus eſt Iudex; ſi hæc, atq; alia iàm iuſti egerunt? ſi Martha, & Zachæus, Matthæus, & alij ipſum in domos ſuas receperũt, & ei miniſtrauerunt multoties, dicere quomodo poterunt: *Quando te vidimus eſurientem, & pauimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum: hoſpitem, & collegimus te?* & licèt glorię magnitudini hoc adſcribat Paſchaſius, dicendo: tãtam futuram eſſe Saluatoris gloriã, atq; maieſtatẽ, quòd ſtupentes Iuſti, an ille idem eſſe poſſit, quem vt egenum & pauperem receperant, non intelligent:

Paſchaſius

Citatus Paſchaſius: *Magnæ admirationis eſt ſtupor, quem in maieſtatis gloria cõſpiciunt, ſi eum quandoq; eſurientem, aut ſitientem uidere potuiſſent!* Chryſoſtomus nihilominùs homil. 54. in cap. Matthęi 25. ab humilitate hæc verba procedere aſſerit, quùm ait; quòd Iuſti nedùm in vita, & in morte; verùm pòſt mortem etiam, immò in ipſo vniuerſali Iudicio, cùm proprias laudes prædicari audiẽt, ob humilitatis magnitudinem ſancto quodam rubore perfuſi, quæ iuſtè coràm tota Mundi multitudine prædicabuntur, humilitèr, ſi poſſent, aſcondere vellent, dicentes: *Domine, quandò te uidimus eſurientem, & pauimus te?* Vndè: *O humilitas Sãctorũ* (, exclamat præfatus Chryſoſt.)

Chryſoſt.

*quorum nec pòſt mortem deficiet! debitam enim ſibi laudem tunc repellentes, dicent: quandò te uidimus eſurientem?* Ecce quomodò hypocritarum ambitionem Iuſti tacitè reprehendũt:

Iuſti bona ſua occultãt etiam pòſt mortem.

quia ſi illi omnia opera ſua faciunt, vt videantur, iſti omnia opera ſua faciũt, vt facta abſcondant; illi & in vita, & in morte honorem affectant, iſti in Iudicio etiã debitã virtutũ laudẽ, ſi repellere poſſent, à ſe longè abdicarent.

## Amant enim primos accubitus in cænis, & primas Cathedras in Synagogis. Matt. 23.

### §. II.

### *Solitaria res eſt Ambitio, quæ in omnibus primatum affectans, æquales admittere ſemper eſt dedignata.*

Chryſologus

1 CHryſologus ille, qui quo ingenij acumine eſſet præditus, eius ſcripta teſtantur; in ſerm. 60. Deum ſolum vocat, ſolitarium nequaquam, quùm dicit: *Deus ſolus eſt, non ſolitarius:*

Deus ſolus, ſed non ſolitarius.

Quia cum vnitate Eſſentiæ, Perſonarum Trinitatem admittit: ex cuius dicto, veluti ex veris, neceſſarijſque præmiſſis, conſequentiam deduco; quòd ſi ſolus Ambitioſus collegas non patitur, nec admittit æquales; ſolus ipſe ſolitarius vocari debet, non alius: Quam veritatem obſeruauit Bernardus verba conſiderans illa.

Pſalm. 106.

*Errauerunt in ſolitudine.* Pſal. 106. quæ, etſi ad litteram de Hebræis per deſertum errantibus intelligi debeant; tamen in ſenſu myſtico, ſuperbum in ſolitudine errare, ait ipſe: quia cùm ſuperbus primatum exoptet, æquales non patitur, ex quo ſolitarius eſſe vellet & ſolus.

Bernardus

Præfatus Bernardus. *Hęc ſolitudo ſuperborum eſt, quia ſolos ſeſe reputant, ſolos appetũt reputari.*

Superbus ſingularis, & ſolitarius.

Vndè Craſſum me legiſſe memini, qui cùm cæteros dignitate ſuperaret & gloria, vt Cæſarẽ



Digitized by Google

etiam, atque Pompeium antecelleret, bellum Parthic. aggredi non dubitauit; *Plutarch.* in quo tandèm victus, occiſuſq; remanſit. *Non ſatis eſſe putabat, ſi inter tot hominum millia, præ cæteris excellentiſſimus haberetur: ſed quia duobus tantùm, videlicèt, Pompeio, & Cæſare aliquantulũ videbatur inferior, omnia ſibi deeſſe arbitratus, tantas res aggredi non dubitauit:* ità Plutarchus in eius vita. Et in vita Cæſaris ſatis clariùs hanc ambitionem declarauit, quùm ait: *Idem* *In tranſitu Alpiũ eùm per quoddã Barbarorũ Oppidulũ paucis admodùm, ac mæſtis habitatum incolis perueheretur, Comites ioco, ac riſu, ità eum percontati traduntur. Num hic aliquas eſſe putas Principatus ambitiones, dignitatumq; certamina, & mutuò inter ſe Potentium inuidiam? Quibus Cæſar feriò* Cæſaris dictum ſingulare. *mallem equidèm inter ipſos primus, quàm inter Romanos eſſe ſecundus.* Quibus verbis, quàm ſolitaria cupiat eſſe ambitio, ſatis patet. Clariùs tamen, qui *Matt. c.23.* id videre deſiderat, Saluatorem audiat in præſentiarum, dicentem: *Amant n. primos accubitus in mẽſa, & primas Ca-* *Aymo* *thedras in Synagogis:* Vbi Aymo. *Amant primas Cathedras, hoc eſt, locum honoratiorem in capite, primas Cathedras, primos cõſeſſus, primarũ ſedium honores, eò quòd glorioſum ſit primas vbiq; obtinere.* Sanè vides, quàm verũ ſit, quòd ſolitaria Ambitio primatũ ambiendo, nõ admittat equales: de qua re audi ſi libet.

2 Multa pro Pharaone fecerat Ioſeph: Somnia interpretatus fuerat, viſiones declarauerat, futura prædixerat, inopiæ conſuluerat, & mundum penè totum Pharaonis ſubiungauerat imperio: Verùm Pharao Ioſepho minimè ingratus, ipſum quantùm potuit, di- *Geneſ. c.41* tauit, & extulit. *Dixitq; Pharao ad Ioſeph: Ecce, conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti. Tulitq; annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius: veſtiuitq; eum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit. Fecitq; eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante Pracone, vt omnes coràm eo genuflecterent, & Præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ Terræ Ægypti.* Geneſ. cap. 41. Hæc pro Ioſeph effecit Pharao, quibus, quã ſe beneficijs gratum oſtendiſſet, haud difficilè colligi poteſt: ſed ſi quæ antè Ioſephi exaltationem dixerit, leges; quàm æquales dedignetur Ambitio, facilè reperies: nàm antequàm beneficijs manum imponeret, & Ioſephum eleuare inciperet; ſic ad eum fuiſſe locutum ſacra narrat hiſtoria: *Tu eris ſu-* *Ibidem.* *per domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm Regni ſolio te præcedam.* Ibidem. Sed quid eſt hoc, quod dicis ò Pharao? Quis te præcedere ſtudet, quòd dicis: *Vno tãtùm Regni ſolio te præcedam?* Quomodò ſeruus Dominum, & vulgaris homo præpotentem Regem præcedere poteſt, quòd præcedi times? *Vno tantùm* Ambitio impoſſibilia metuit *Regni ſolio te præcedam.* An fortè Ambitio, quæ æquales non patitur, antequàm Ioſephum eleuare incipiat, collegas proteſtatur ſe nolle? Ità sanè, in Pharaonis perſona loquitur Carthuſianus: *Vno tantùm Regni ſolio te præcedam, ideſt, ſecundus eris in Regno meo, & primus pòſt me:* Quod idem erat, ac dicere: te exaltabo, ò Ioſeph, te vt potero eleuabo; ſed antequam aliquid efficiam aduerte: quod & ſi ſupra cunctos te erigam, ſuprà me tamen, non te erigi exiſtimes; quia ego te præcedere volo, non à te procedi: ſatis ſit tibi ſecundum locum obtinere; nàm primùm pro ſe ambitio ſeruat: vndè Ambroſius lib. 5. Hexamer. cap. 15. *Quem inuenies hominem, qui ſponte deponat imperium, & ductus ſui cedat* *Ambroſ.* *inſignia, fiatq; volens numero poſtremus ex primo? Nos autem ſæpè contendimus, & primos diſcubitus in Conuiuio vendicamus; ac ſi ſemel datum fuerit, volumus eſſe perpetuum.*

3 Sic Saul ad Regalem dignitatem euectus, quod ſemel obtinuerat, perpetuum eſſe volebat: quod oſtendit, quandò de inobedientia, atquè peccato à Samuele obiurgatus: *Quare non* *1. Reg. c.15* *audiſti vocem Domini: ſed verſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis Domini?* Primo Reg. cap. 15. Reſpondit ipſe: *Peccaui; ſed nunc honora me coràm Senioribus populi mei, & coràm Iſrael:* Ibidẽ: quæ verba conſiderans Lyranus obſtupuit, quòd propter peccatum honore affici vellet: quia ſi honor, vt Ariſtoteles ait, virtutis eſt præmium, quæ ma- *Ariſtot.* ior dementia audiri poterat, quàm quòd propter peccatum honorari vellet peccator. *Peccaui; ſed honora me.*

At

Google

*Lyranus*

*Superbus timet eſſe ſecundus.*

At ſuperbiæ proprietatem conſiderãs mirari deſtiti: Lyranus, & ait: hoc ideò Saul dixiſſe, quia à Samuele antecelli timebat; audierat enim ab ipſo: *Quia proieciſti ſermonem Domini, proiecit te Dominus ne ſis Rex ſuper Iſraël.* Quod vt audiuit ſuperbus, nulla interpoſita mora, priſtini honoris iacturam timens, ad honorem confugit, dicens: *Peccaui; ſed honora me. Honora me* (ait Lyranus) *ſicut Regem: vt ego præcedam ſicut Rex, & tu me ſequaris coràm illis, nempè coràm Senioribus, & nobilibus.* Quia Regni amiſſionem audierat, quia de Regali ſolio ſe deiectum intelligebat, ne à Samuele præcederetur, formidabat; ideò coram populo ab ipſo honorari cupiebat, vt adhuc ſe primatum tenere oſtẽderet, & quod ſemel acquiſierat adhuc in ſe retinere demonſtraret.

4 Perlibenter nunc audirem, cur mulier illa, quæ pro filijs pluſquàm neceſſe erat ſollicita, primarum ſedium petendo conſeſſum, dicere voluit: *Dic, ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in Regno tuo.* Matth. 20. Si dicere poterat: dic, vt ſedeant, vnus ad dexteram, & alter, vel alius ad ſiniſtram; quo loquendi modo, & germaniùs loquuta fuiſſet, & quod petebat efficaciùs expreſſiſſet: Attamen, eam ſic impropriè loqui non miror; quia ſolitaria Ambitio, quæ nec collegas admittit, nec æquales permittit, prorsùs ab vnitate exire ignorat; cùm ſemper vnus, & ſolus eſſe velit, qui præeſt. Vndè Brugenſis. *Non dubitabant, quin ipſi Regni ſocij futuri eſſent, poſtquàm Ieſus ipſe illud promiſerat; ſed primam eius dignitatem ambiunt.* Audiſti, cur Vnus & Vnus, & non Vnus & alter dictum ſit? quia Ambitioſus ſemper Vnus eſſe vellet, & ſolus. Vndè autèm ad talem petitionem faciendam moueri potuiſſent: audi Chryſoſtomum hom. 66. in Matth. *Præponi quidem ſe cæteris ſciebant; Petrum verò ſibi præferri formidantes, dicere auſi ſunt: dic, ut ſedeant hi duo filij mei, Vnus ad dexteram tuam, & Vnus ad ſiniſtram.* Itaq; ne Petrum tantùm Prælatum haberent, dexteram ambiunt, atque ſiniſtram? Ità ſanè quia Ambitio, quæ æquales nõ patitur, ſuperiorem admittere penitùs dedignatur.

*Matt. c. 20.*

*Superbus æquales odit.*

*Brugenſis.*

*Chryſoſt.*

5 Nec ſilentio prætereundum puto, quod ſtatim Euangeliſta ſubdidit. *Et audientes, indignati ſunt decem de duobus fratribus:* ibidem. Cur autem hæc audientes, indignarentur diſcipuli: communis eſt Sanctorum Patrum opinio, ambitionem illius indignationis originẽ fuiſſe, & cauſſã. Vndè Ioannes Ferus. *Habes autem hic, ex quo fonte bella, & diſſidia oriantur: nempè ex ambitione: inter ſuperbos enim ſemper ſunt iurgia.* Et Ambroſius dicere ſolebat, quòd quàm amabilis eſt humilitas, tàm odibilis eſt ſuperbia. *Prælatio armauit fratres, Humilitas conciliauit extraneos.* ſic ipſe de Ioſepho loquens. Ego autem vlteriùs inquiro: Vnde ſit tàm inuiſa ſuperbia, vndè tàm omnium oculis infenſa appareat? Et cauſſam facilè reperio: quia quilibet alios antecellere vellet, antecelli verò nequaquã; cùm pauci ſint, qui ſibi ipſis blandiendo, aliorum meritò ſe inferiores agnoſcant. Ex quo fit, vt cùm alios ambientes videmus: quod nobis potiùs deberetur, ab alijs affectari exiſtimantes, excandeſcamus: Ità penitùs dixit Brugenſis, rationem aſſignans; cur decem de duobus indignarentur. *Videbantur ſibi ſinguli non minori ratione hoc idem poſtulare poſſe: immò potiùs locum illum ſibi deberi credebant, ſuis quiſq; dotibus, & meritis blandiebatur: ità nullus non ſibi ſperabat primatum, quiſq; occultè apud ſe ſpem primatus fouebat; itaq; inuidentes indignãtur, quòd duo iſti fratres ignorantes menſuram ſuam, parum agnoſcentes mediocritatem ſuam, primas auſi fuiſſent poſtulare.* Ecce quomodò haud facilè eſt aliquem inuenire, qui ſe agnoſcens, primatũ obtinere non ambiat, ſi ipſimet Chriſti Diſcipuli ambitione concuſſi, contra ambientes indignantur.

*Matt. c. 20*

*Ioan. Ferus*

Ambitio belli rum origo

*Ambroſius.*

*Brugenſis.*

6 Verùm his non contentus Brugenſis, vlteriùs inquirit: cur duobus tãtùm primatum petentibus, omnes ad ſe vocauit Saluator, omneſq. reprehendit, dicente Euangeliſta: *Ieſus autem vocauit eos ad ſe, & ait: ſcitis, quia Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores ſunt: poteſtatem exercent in eos. Non ità erit inter vos. ſed quicunq; voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter.* ibidem. Cur Iacobum tantùm & Ioannem non vocauit? cur tantùm ambien-

*Matt. c. 20.*

Digitized by Google

ambientes non reprchendit', quòd accitos omnes ſimul corrigere voluit? An fortè, quia vno morbo laborabant omnes, vno pharmaco curare voluit cunctos? Ità præſatus Brugenſis. *Cùm ex eodem ambitionis morbo in cordibus latente, oriretur horum æmulatio, ex quo fratrum poſtulatio (fratres enim præponi volebant cæteris: iſti poſtponi nolebant ſocijs) connocauit omnes in vnum, vt propiùs, familiariùs, ac benigniùs vno doctrinæ pharmaco omnibus afferret remedium, quo & errorem, & affectum ambitionis ipſis eximeret*. Igitur non Ioannes tantùm, nec Iacobus ſolummodò, ſocios non admittendo, in dignitate ſoli eſſe volebant, & in regimine primi: ſed reliqui etiam non minùs, quàm ipſi ambitione æſtuantes, primarum ſedium ambiebant conſeſſum.

*Brugenſ.*

Apoſtoli omnes Ambitionis æſtu perciti.

7 Semper igitur Superbia volat, & altè ſic volat, vt ſupra cęteros ſe erigendo, vix à Deo præcedi vellet, & regi: Quod quàm verum ſit, declarauit populus ille hebraicus, qui cùm Moyſi in montis cacumine, quid accidiſſet, ignoraret, ad Aaron dicere cæpit: *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant*. Exod. 32. Quàm petitionem conſiderans Toſtatus quæſt. 8. ſuper idem. Miratur non parum, & quidem cum magna ratione: cur populus iſte alium virum, Moyſi ſimilem nō petat, quòd Deos directores exoptat? Si à Moyſe & benignè gubernabatur, & fideliter regebatur, dicere non debebat. *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant*: Sed potiùs; ſurge da nobis vnum Moyſi ſpiritu, lenitate, ac virtutibus præditum, qui nos pręcedat, regat, & iudicet? *Sed quæret aliquis* (ait præſatus Toſtatus) *quare petierūt Iſraelitæ Deos, ſiuè Deum, tanquàm directorem, & quia non veniebat, moti ſunt ad petendū Deos? videtur ergo, quòd magis petere deberent aliquem alterum virum directorem, ſicut direxerat Moyſes*. Et licèt huius difficultatis duas rationes ipſemet afferat, dicendo; quòd ideò fortaſse Deū non hominem directorem quęrebant: tùm quia Moyſi alterū ſimilē inueniri poſſe deſperabant, tùm etiam, nè hoc alio morte præuento, vt Moyſen exiſtimabant, antequàm ad promiſſionis terram peruenirent, alium petere cogerētur; idcircò Deos mortis expertes petebant. Verùm aliam ob cauſſam (niſi à vero aberrare videor) hoc factū exiſtimo, quia de præcedentia erat ſermo. *Fac nobis Deos, qui præcedant nos*: & terrena ambitio ſupra cæteros uolando ſe erigens, vix à Deo pręcedi vellet: ab hominibus autem nequaquam: ideò non hominem, ſed Deum directorem petebant: Aſtipulatur præfatus Toſtatus quæſt. 9. *Petebant ſibi fieri Deos, fac nobis Deos, qui nos præcedant, ideſt, quòd iſte Deus, quem feceris, ſit talis, quòd poſſit nos præcedere, & ſic volebant, quòd eſſet virtus diuina latēs in aliquo corpore, quæ eos præcederet.*

*Exod. c. 32.*

*Toſtat.*

*Toſtatus*

Ambitioſus vix Deū ſupra ſe patitur.

5 At quid dico vix Deum ſuperiorem admittere humanam ambitionē? rem omni ſtupore dignam dicere non timeo: quòd nec Deum ipſum ſuperiorem admittere voluiſſet quandoq; humana ſuperbia; ſed ſupra Deū, quò humanæ alæ ſe ferre non poſſunt, volare optaſſet, ſi poſſibilitas non defuiſſet. Relinquo, quod facturus eſt Anti Chriſtus, de quo Paulus 2. Teſſalon. c. 2. *Ne quis vos ſeducat ullo modo: quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita vt in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquàm ſit Deus*: Vbi Chryſoſtomus homli. 3. *Eſt enim homo, qui extolletur ſuper omne, quod dicitur Deus: aut numen: iubebitque ſeipſum pro Deo coli, & venerari, & in Templum Dei collocari, non Ieroſolymitanū ſolùm, ſed & in Eccleſias. Oſtentans ſe ipſum Deum: non dixit, dicens ſeipſum Deum, ſed oſtentans, hoc eſt, oſtentare tentans*: quid ſuperbus Nabuchodonoſor fecit adduco, qui vt in lib. Iudith habetur, vltrà bellum, quod mouit, hoſtes, quos vicit: exercitus, quos diſſipauit: Regna, quæ ſubiugauit, omnes Deos terræ exterminari præcepit: *Præceperat enim illi Nabuchodonoſor Rex, vt omnes Deos terrę exterminaret*. cap. 3. Rationem autem, cur non contra homines tantùm, ſed contrà Deos etiam bellum inire voluerit, & Deos exterminari præceperit, aſſignat eadem ſcriptura immediatè quùm ſubdit. *Videlicèt, ut ipſe ſolus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuiſſent Holofernis po-*

*2. Teſſalon. c. 2.*

*Chryſoſt.*

Imò nec Deum quidem:

*Iudith c. 3.*

*Ibidem.*

ten-

Digitized by Google

*tentia ſubiugari*. Audis, cur contra Deos bellum aſſumat? cur lucos excidi, atq; ſuccendi, ſimulachra cõminui, & Deos deſtrui pręcepit; quia ipſos etiã, quos Deos putabat, præcedere cupiens, ſolus Deus videri, & vt talis adorari optabat. *Principes, & Tyranni* (ait Rupertus Holchot) *volentes honorari, non ſolũ à præſentibus, ſed etiam ab abſentibus, dedicauerunt, & ordinauerunt ſibi ipſis imagines, quas multiplicari fecerunt, & apud remotas nationes ſtatuerunt venerationem ſeruari: vndè ſibi ipſis honores diuinos facerent attribui: infirmitatis humanæ obliti. Sic Nabuchodonoſor præcepit Holoferni omnes Deos terræ exterminare, vt ipſe ſolus Deus videretur*: hactenus ipſe ſuper cap. 14. Sap. lect. 164. Ex quibus, qualis, ac quanta hominum ſit ambitio, dùm nõ hominibus tantùm, ſed Deo etiam (ſi fieri poſſet) præcedere vellet, oſtenditur.

*Rupertus Holchot.*

*Diabolus non deitatẽ, ſed quaſi deitatẽ promiſit.*

*Geneſ. c. 3.*

9 Sed à quo Magiſtro talem ſuperbiam accipere potuerint mortales, penitùs non intelligerem, niſi Diabolum Adæ dicentem legiſſem. *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Geneſ. cap. 3. per quæ ſi benè aduertis, Deitatem abſolutè non promittebat; ſed quaſi Deos eos futuros aſſerebat, cũ nõ Deos ſimpliciter; ſed ſicut Deos euaſuros promitteret: cur autem ſic loqui voluerit callidus ſerpens, & verſipellis inimicus, aſſignat Procopius, qui ait; quòd cùm ſolitaria ſit ambitio, & æquales minimè patiatur: quia Diabolus Dei ſimilitudinem appetierat, in eius perſona dicente Iſaia: *In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſoliũ meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* cap. 14. non Deitatem, ſed quaſi Deitatem promittebat, ne collegas, nec æquales haberet, quos ſuperbire docebat; præfatus Procopius. *Sicut Dij, inquit, nimirũ ſeipſum Deum faciens.* A quo Magiſtro, & qua lectione fortè edocti Adæ poſteri, ſocios, & collegas, atq; ęquales ſemper renuentes primatum obtinere conantur, vt ſoli ſupra cæteros erigantur.

*Iſai. c. 14.* Aequales non patitur.

*Procopius.*

# Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter. Matt. 28:

## §. III.

*Cùm ſeruitus in dominatione, & dominatio in ſeruitute ſit, ſeruus potiùs, quàm Dominus vocari debet Prælatus.*

1 HVmilis ſerui nomine ſuperiorem vocare, eius exiſtimationem me violare minimè puto, cũ vile mancipiũ in ſcriptura appellatum agnoſcam: de Ioſepho dicente Dauide Pſal. 104. *In ſeruum venundatus eſt Ioſeph.* Quę verba, quamuis ad literam de venditione intelligi debeant, de qua dicitur Gen. 37. *Prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt eum Iſmaelitis viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum.* Ambroſius tamen, tunc ipſum in ſeruum venundatũ aſſerit, cùm ſuſcepta à Pharaone poteſtate Ægyptum regere cępit, & gubernare: quod his verbis declarauit præfatus Ambroſius. *Ioſeph venditus in ſeruitutem eſt, & electus eſt ad poteſtatem, vt ſuis emptoribus imperaret; non dedignabatur tamen obſequium ſedulitatis, ſed timebat virtutis faſtigium: vndè pulchrè Pſalmiſta ait: in ſeruum venundatus eſt Ioſeph.* Et clariùs Philo de Ioſeph. *Rectè dicitur vendi hunc hominem. Nàm qui locum ſuperiorem aſcendit, ſicut venalitij, ſeruus ſit ex ingenuo, propter honores, quos videtur accipere, addicens ſe innumeris Dominis.* Rationem autem cur Prælatus mancipiũ vocari potiùs debeat, quàm Dominus, eam puto eſſe; quia aliorum potiùs, quàm ſuo mancipatur obſequio. Quod luculentiſſimè explicauit Bernardus lib. 1. de conſideratione ad Eugenium cap. 3. cùm ait: *Dic quæſo, quale eſt illud de mane vſque ad veſperam litigare, aut litigantes audire? vtinàm ſufficeret diei malitia ſua! non ſunt liberæ noctes: vix derelinquitur neceſſitati naturæ, quod corpuſculi pauſationi ſufficiat; & rurſum ad iurgia ſurgitur: dies diei eructat lites, & nox nocti indicat malitiam: vſquè adeò non eſt reſpirare in bonis: quæ eſt enim fortitudo mea,*

*Pſal. 104.*

*Gen. c. 37.*

Ioſeph in ſeruum venditur, cùm in prælatum erigitur.

*Ambroſ.*

*Philo.*

*Bernard.*

Splendidę ſeruitutis onera.

*vt*

*vt ſuſtineam? ait Iob, aut quis finis meus, vt patientèr agam?* & concludit: *Tu quoq; dic quaſo, vbi vnquàm ſis liber, an non ideò ſeruus, quia non vni ſeruis, ſed omnibus? vbiq; ſtrepitus, vbiq; tumultus, ubiq; iugum tua ſeruitutis te premit.* hactenus ipſe. Ego autem inferre poſſe mihi ſuadeo, quòd ſi Superior emptitium mancipium eſt, ipſum humilem ſeruum appellare nõ erit ignominia afficere, ſed regiminis explicare proprietatem, quę regentẽ ſeruũ potiùs, quã Dñm efficit: Quod agnoſcens Tiberius Imperator, vt in eius vita refert Suetonius, vix ad dignitatẽ euectus, hæc ad Senatũ dicere cępit: *Dixi, & nũc ſæpè aliàs, Patres cõ-*

Suetonius. *ſcripti, bonũ, & ſalutarẽ Principẽ, quẽ vos tanta, & tàm libera poteſtate induxiſtis, Senatui ſeruire debere: & uniuerſis ciuibus ſæpè & plerumq; etiam ſingulis, neq; id dixiſſe me pœnitet: & bonos, & æquos, & fauentes vos habui Dominos, & adhuc habeo.* Ex quibus verbis mirari iàm deſino, quòd primatum petentibus ſeruitutem proponat Saluator, dicendo:

Matt. c. 23. *Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter:* Quia benè ſciebat cœleſtis iſte Magiſter, quòd cùm ſeruitus in dominatione, & dominatio in ſeruitute ſit, ſeruus potiùs, quàm Dominus vocari debet

Vgo Card. Prælatus. Vndè Cardinalis Vgo, ſuper proximè citata Saluatoris verba, dicere non dubitauit: *Honores videntur eſſe bonores, ſed re vera non ſunt; imò miniſteria: ſicut oculus, quòd illuminet corpus, non eſt bonor, ſed miniſterium, & actus eius.*

Eccleſiæ Prælati ſubditorũ ſerui.

S. Thom. in Catena. Matt. c. 20.

Et S. Thomas, in Catena, verba explicans illa: *Qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Matth. cap. 20. ait: *Principes autem Eccleſiæ fiunt: vt ſeruiant minoribus ſuis, & miniſtrent eis quæcunq; acceperunt à Chriſto: primatum ergò Eccleſiæ concupiſcere, neq; iuſtũ eſt, neq; vtile: nullus enim ſapiens vult vltrò ſe ſubijcere ſeruituti.* De qua re alia moliti non deſiſto.

2 Et quod primò ſe mihi offert, eſt parabola illa de ſeruo ſuper familiam

Matt. c. 24. conſtituto: *Quis, putas, eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore?* Matth. 24. Qui in aduentu Domini ſedulus inuentus, & vigilans, diuitijs locupletabitur multis: *Beatus ille ſeruus, quem cùm venerit Dominus eius, inuenerit ſic facientem: amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum:* ibidẽ. Quam parabolam alteri de Dño proficiſcente, qui ſeruis talẽta commiſerat:

*Sicut enim homo peregrè proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua, Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò unum:* Matth. 25. Matt. c. 25.

Et in reditu ſeruum induſtrium, qui accepta talenta auxerat, laudando remunerabit: *Euge ſerue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuprà multa te conſtituam:* ibidem: reſpondere non dubito: quia ſi in iſta per ſeruum induſtrium, atq; fidelem Eccleſiarum Prælati deſcribebantur, qui tunc, accepta regendi poteſtate, ſi quę acceperunt fideliter miniſtrabunt; in aduentu Domini, in iudicio videlicèt, pro impenſo labore remunerationem non paruam recipient: vt benè declarauit Gregorius hom. 7. in Euangelia. *Ibi omnes Dominici gregis Arietes, cum animarum lucris apparebunt, qui Sanctis ſuis prædicationibus Deo pòſt ſe ſubditorum gregem trahũt.* Gregorius.

Sic in illa per ſeruũ fidelem, atq; prudentem familiæ præpoſitum Prælatos, atq; Epiſcopos ſignificari aſſerit D. Hilarius comment. in Matth. cap. 26. *Quiſnam eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? Quamquàm in commune nos ad indefeſſam vigilantiæ curam adhortetur: ſpecialem tamen populi Principibus, ideſt, Epiſcopis in expectatione, aduentuq; ſuo ſolicitudinem mandat. Hunc enim ſeruum fidelem, atq; prudentem præpoſitum familiæ ſignificat.* Hilarius.

Itaq; in vtraq; parabola per ſeruos bonos, fideles, induſtrios, atq; prudentes Epiſcopi, & Prælati intelliguntur? Ità ſane. Cęterũ nõ modica oriri poſſet difficultas: quo pacto, & qua ratione Eccleſiam, Rempublicamq; gubernantes ſerui vocari poſſint, & debeant? Si auctoritate eminent, poteſtate fulgent, & dominio sũt præditi, cur non domini, ſed ſerui vocãtur? At nõ miror; quia ſi Prælatio ſeruitus eſt, qua Prælatus magis alieno, quàm proprio mancipatur obſequio, Prælatus iure ſeruus dici debet, non Dominus: *Seruorũ igitur,* (ait D. Fulgẽtius) *quos populo ſuo præpoſuit Dominus, ſpecialiter volens officium demonſtrare, ait: (quod ex Euangelio modò audiuimus) quis, putas, eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam*

D. Fulgent. Prælatus ſeruus eſt, non Dominus.

*ſuam*

Digitized by Google

*ſuam? beatus ille ſeruus, quem cùm uenerit Dominus eius, & inueuerit ſic facientem: filius quidem hominis (ut ipſe de ſe ait) non uenit miniſtrari, ſed miniſtrare:* Aurea ſanè verba, & præcipuè illa; *Seruorum igitur, quos populo ſuo præpoſuit, ſpecialiter uolens officium demonſtrare, ait: quis, putas, eſt fidelis ſeruus, & prudens*, mirificè noſtrum probant inſtitutum: quòd dignitas ſeruitutis potiùs, quàm dominij ſit titulus: vndè magis ſeruus, quàm Dominus vocari debet, qui præeſt. Quod agnoſcens Antigonus, vt refert Manutius in Apophthegmatibus, c. 8. num. 38. dicere ſolebat: *Regis munus ſplendidam dico ſeruitutem, quod profectò ſi Reges atteuderent, neq; eos, quibus ſeruiunt, contemnerent, neq; propriæ utilitati, ſed communi commodo ſemper cōſulerent, & prouiderent.*

*Manutius.*

3 Cœleſtem hanc doctrinam, quã præfatis parabolis docuerat Saluator, factis etiam eam confirmare non deſtitit: tunc præcipuè, cùm peracta iàm cœna, Diſcipulorum pedes lauit, & dixit: *Vos uocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis: ſum etenim. Si ergo ego laui pedes ueſtros, Dominus, & Magiſter, & uos debetis alter alterius lauare pedes.* Io. 13. Ex quo Saluatoris dicto motus Rupertus Abbas lib. 5. de diuinis officijs, cap. 21. quæſtionem propoſuit, videlicèt: cur à Superioribus inferiorum pedes lauari debeant: nonne aptiùs ſubditis hoc charitatis, atq; humilitatis officium iniungi potuiſſet, quàm ſuperioribus, in quibus officij Maieſtas, & decor conſeruari debet, ne paruipendantur? cur igitur iſtis, non illis hoc humilitatis opus iniungere voluit? *Cur à Prælatis* (ait citatus Rupertus) *lauari debent pedes ſubditorum?* Et tandèm concludit: quòd, vt Prælationis naturã oſtenderet, hoc Prælatis mandare voluit, non ſubditis: quia ſi pedes lauare non dominorũ, ſed ſeruorũ munus eſt; ideò hoc ſuperiorib. iniũxit, vt nõ ſubditorũ dominos, ſed ſeruos ſe effectos intelligãt: ſic ad q̃ſtionẽ à ſe motã reſpondendo, docuit Rupertus. *Apoſtolos ſuos, omneſq; Prælatos Eccleſiæ talis ſeruitij, quodammodò uectigales eſſe uoluit, ut ſolemni more ſubditorum ſuorum pedes exemplo ſuo lauare debeant.* Et propterè (niſi opinione decipior.) ſimul & ſemel Saluator, & ſe Dominum, & Magiſtrum vocauit, ac Diſcipulorum pedes ipſe lauare non eſt dedignatus, vt parabolis, & exemplis; verbis, & factis ſeruilem dignitatis naturam oſtenderet.

*Ioan. c. 13.*

*Rupertus Abbas.*

In ſeruitutis ſignum ſubditorum pedes lauare iubetur.

4 Huic reſponſum illud adduco, quod hic cęleſtis Magiſter Phariſęorum diſcipulis dedit, cùm an cenſus Cæſari dandus eſſet, eum interrogabant. *Reddite ergò, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Matth. cap. 22. Sed quæ, ò Domine, Cæſaris ſunt, ſi tua ſunt omnia? ſi tuæ ſunt omnes feræ ſiluarum, Iumenta montium, & Boues? ſi tuæ ſũt diuitiæ, & glorię, opes ſuperbę, & iuſtitia, & (vnico vt dicam verbo) ſi tuus eſt Orbis terrę, & plenitudo eius, Cęſaris quę ſunt, quod dicis: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari?* Verùm huic difficultati Chryſoſtomum occurriſſe, reperio, qui ait; quòd cenſus, de quibus hic pręcisè eſt ſermo, Cęſaris erant: & propterea ex iuſtitia ei reddi debebant: & rationem cur Cęſaris eſſent, & ex iuſtitia ei deberentur, aſſignat, cùm dicit: ſi ſeruorum mercedem reddere, actus iuſtitię eſt, ſuperioribus tributa pręſtare, actus iuſtitię etiã: quia ipſi noſtris mãcipati obſequijs, ſua negligunt, vt iugi labore ſubditis ſeruiant, atq; miniſtrẽt. Sic citatus Chryſoſtomus hom. 23. ſup. cap. 13. ad Romanos, vbi quęſtionem mouet his verbis. *Cur enim vectigalia Regi damus? Nunquid tanquam proſpicienti? Nunquid tanquam Præſidenti?* ſtatimq; eam ſoluit. *Verùm propterea ab antiquis temporibus communi omnium ſententia Principes à nobis ſuſtentari debere uiſum eſt, quia ſua ipſorum negligentes, communes res curant, uniuerſumq; ſuum otium ad ea impendunt, quibus non ſolùm id, ſed quæ noſtra ſunt ſaluantur.* Audiſti, quare cenſus, atq; tributa Cæſari reddi deberẽt? Quia ſi Princeps communis eſt ſeruus, communi ęre ſuſtentari debet: quod ſatis clariùs Chryſoſtomo dixit Diuus Paulus ad Rom. ſcribens, eoſq; ad tributa ſoluenda ſuadens, cùm ait: *Ideò n. & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum.* cap. 13. Quę Pauli verba, ſi bęnè aduertis, ad probandum noſtrum inſtitutum magnam

*Matt. c. 22.*

*Chryſoſt.*

Cæſari ſua redduntur, quia omnibus ſeruit.

*Ad Rom. c. 13.*

gnam vim habent: quia Principem miniſtrum vocat, ad ſeruiendum electum; ex quo ei tributum ex debito ſeruitutis nos reddere præcipit. Vndè ſuprà citatus Chryſoſt. in allata hom. *Propter hoc enim vectigalia ſolutis, ſiquidèm miniſtri Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruiētes; quaſi dicat: quid boni tibi magiſtratus faciat, tu ipſe teſtaris, mercedem illi perſoluens.* Ecce qualis ſeruitus ſit Prælatio, intelligis; & quàm parùm regnare, & ſeruire diſtēt, iàm percipis: nàm non vt Domini, ſed vt ſerui communi ſalario ſuſtentari debent.

*Chryſoſt.*

Vt omnium ſeruus communi ære ſuſtentari debet, qui præeſt.

5 Plantauerat cœleſtis Agricola voluptatis Paradiſum, arboribus ditauerat, pomis repleuerat, floribus decorauerat; & deniq; terram ipſam irriguis aquis madefaciendo, abſque alio opere, atq; labore fructibus redundare faciebat, nec circa huius Pomarij culturam hic ſiſtere voluit cœleſtis Agricolæ ſedulitas; ſed efformato homine, ipſum quaſi coadiutorem in huius Paradiſi agricultura adhibere voluit, dicente ſcriptura: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum:* Geneſ. cap. 2. Sed quid operari debet Adam, ò Domine, ſi iàm conſitum eſt Pomarium, arbores ex ſe fructus producunt, & Tellus abſq; alio ſudore & labore, non ſpinas gignit & tribulos, ſed feraciſſimam ſe oſtendit? quid igitur, efficere, aut operari iniungis? an fortè per Adam Prælatum, & per Paradiſum Eccleſiam ſignificare contendis: vt Eccleſiarum Rectores percipiant, ſe non ad quietē, nec ad delicias, ſed ad labores, ac ſudores vocari, cùm ad officia, & dignitates aſſumuntur? Itá ſanè ad myſticum ſenſum rem reducendo præfatum locū explicat Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 4. Opinionem Philonis recitans, quùm hunc ait in modum: *Quamuis Paradiſus operibus ruralibus non egeret; tamen, quia primus homo lex poſteris futurus erat: ideò legitimi etiam in Paradiſo ſpeciem ſuſcepit laboris, vt nos ad operationem, & cuſtodiam debiti officij, & hæreditariæ ſucceſſionis munus aſtringeret. Hæc duo ergo à te exiguntur, ſiuè moraliter, ſiuè ſpiritualiter.* Audis, quare ſimul & ſemel Paradiſo præficitur Adam, & laboribus addicitur? Quia, vt quis ad dignitatē euehitur, laboribus obnoxius redditur. Quòd non obſcurè dixit Paulus ad Timotheum ſcribens. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* c. 3. In quibus verbis, ſi benè animaduertis: Epiſcopatum cum opere coniungit; quia Epiſcopatus, vt quælibet alia Prælatio, aliud non eſt, niſi opus & labor. Hieronymus ad Oceanum. *Opus, non dignitatem, laborem, non delicias, vt fiat ſeruus, & miniſter hominum propter Chriſtum.*

*Geneſ. c. 2.*

*Ambr.*

Prælatus ad cuſtodiam, & laborem adſciſcitur.

*Ad Timoth. c. 3.*

*Hieron.*

6 Vtinàm, vtinàm, hoc intelligerent Adæ filij! qui hac noſtra tempeſtate, non vt laborent, & ſudent; ſed vt quieſcant, & ferientur, honores, dignitateſq; affectant. De quibus Cardinalis Vgo ſuper locum Pauli proximè citatum: *Noſtri autem Theologi, quandò habent Epiſcopatum, dicunt. Amodò debeo quieſcere, quia diù laboraui in ſtudio; Vndè non propter laborem operis deſiderant Epiſcopatum, ſed propter quietem, dicentes eum Diabolo. Iſaiæ 14. Aſcēdā in Cœlū, ſuper aſtra Cœli exaltabo ſoliū meū. Et ſubditur propter quod. Sedebo in monte teſtamenti, in quo notatur appetitus quietis, & dignitatis.* Vtinàm ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima præuiderent, quę talibus dicturus eſt Dominus! vt teſtatur Ezechiel. cap. 34. *Ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, vt vltrà non paſcant gregem, nec paſcant ampliùs paſtores ſemetipſos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra eis in eſcam. Quia ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas. Sicut viſitat paſtor gregem ſuum, in die, quādo fuerit in medio Ouium ſuarum diſſipatarum.* Quia forſitàn vanitatem vltrà nō diligentes, nec quærentes mendacium, dignitates non ſolùm non quærerent, ſed ſponte oblatas viriliter recuſarēt: & ſi inuitè ad honores quandoq; vt contingere ſolebat antiquitùs, eleuarentur cum anima illa iuſta ad vineæ cuſtodiā violentèr deſtinata clamarēt. *Filij Matris meæ pugnauerunt contrà me: poſuerunt me Cuſtodem in Vineis.* Cant. 1.

*Vgo Card.*

Diaboli eſt, Prælatur á appetere ad quietem.

*Ezec. c. 34.*

*Cant. c. 1.*

Qui

## Qui ſe humiliat, exaltabitur. Matth. c. 23.

### §. IV.

*Rectum ad aſcenſum iter, deſcenſus; & mirabilis ad exaltationem gradus humilitas eſt.*

1 DEſcẽdere, & aſcẽdere, ſi vnũ motũ appellẽ, à vero me nõ deuiare exiſtimo: quia ſi gloria humilitatis ſoror eſt, & exaltatio depreſſionis germana. Vndè, vt benè obſeruauit Cãcellarius Pariſienſis Philippus de Greue: Beniamin, q inter frattes minimus erat, Ioſephi, q augmẽtum interpretatur vterinus fuit; qa humilitas, & augmẽtũ germanæ ſorores ſunt: *Beniamin* (ait citatus Philippus) *frater erat Ioſeph vltimus, qui interpretatur augmentum; quia humilitas, & augmentum germanæ ſunt: quia, qui ſe humiliat, exaltabitur.* Serm. 48. ſuper Pſalm. 22. de menſa vitæ æternæ. Imò, vt meliùs dicam, ſi exaltatio, & humiliatio, vna res eſt (vt ait Bernard. de duodecim gradibus humilitatis: *Glorioſa res eſt humilitas, qua ipſa quoq; ſuperbia palliare ſe appetit, ne vileſcat*) deſcendete, & aſcendere vnus motus eſt: quia dùm quis è dignitatum faſtigio per cordis deiectionem ſe demittit, non locum, nec auctoritatem amittit; ſed aſſurgit, & gradum facit ad aliam. Meum non eſt hoc, quod dico; ſed Sponſi illius, qui inter cæteras Sponſæ pulchritudines capillorum formoſitatem ſtupens, dicere ſolebat: *Capilli tui ſicut greges Caprarum, quę aſcendunt de monte Galaad.* Cant. 4. Quo ſermone, ſi benè aduertis, duos motus, vnum ad locum, & alterum de loco ſic inter ſe copulat, vt ex ipſis duobus vnus effici videatur; cũ non dicat: capilli tui, ſicut greges Caprarũ, quæ aſcẽdunt ad montem Galaad, vt iuxtà grãmaticæ inſtructiones dicere debebat: ſed Priſciani regulis non alligatus, dicere voluit: *Quæ aſcendunt de monte Galaad*, vt ſic motum de loco cum illo ad locum connecteret, ac ſi ex ipſis duobus vnus tãtùm reſultaret: vt ſit ſẽſus: Quũ anima iuſti per humilitatem deſcendit,

*Philippus de Greue*

Humilitas, & exaltatio, germanæ

*Bernard.*

*Cant. c. 4.*

tunc ſimul & ſemel ad honores aſcendit & glorias, cùm vtriuſq; vnus ſit motus, non duo. Quod confirmare videtur Bernardus, ſerm. 2. de Aſcenſione, quùm dicit: *Propterea dilectiſſimi, perſeuerate in diſciplina, quam ſuſcepiſtis, vt per humilitatem ad ſublimitatem aſcendatis, quia hac eſt via, & non alia præter ipſam. Qui alitèr vadit, cadit potiùs, quàm aſcendit, quia ſola eſt humilitas, quæ exaltat, ſola, quæ ducit ad vitam.* Vndè ſatis diſerte Traiano Imperatori ſcripſit Plinius iunior his verbis: *Cui nihil ad erigendum faſtigiũ supereſt, hic vno modo creſcere poteſt, ſi ſe ſubmittat, ſecurus magnitudinis ſuæ.* Quod etiàm apertiſſimè docet Saluator, dùm humilitatẽ cum exaltatione coniungit. *Qui ſe humiliat, exaltabitur*, Matth. 23. Quod idem erat ac dicere: ſic abiectioni eſt coniuncta gloria, & ſic humilitati eſt coagmentata exaltatio, vt impoſſibile ſit, quòd quis ſe deijcere poſſit, quin ſimul aſſurgat, cùm deiectionis, & eleuationis non duo motus ſint, ſed tantùm vnus. Cui expoſitioni aſtipulatur Paſchaſius. *Qui ſeipſum ſua ſpontè humiliauerit, exaltabitur uerſa uice à Domino: quæ nimirùm doctrina omnibus bonis congruit Chriſtianis.*

*Bernardus.*

Ad ſummũ per humilitatem aſcenditur.

*Plinius iunior.*

*Matth. 23.*

*Paſchaſius.*

2 Verùm, vt tactam doctrinam, quam tradere cępimus, quòd per humilitatem deſcendere, & per exaltationem aſcendere vnus ſit motus, proſequamur: Scalam illam terræ hærentem, & Cœlum pertingentem, quàm in ſomni quiete vidit Iacob, tibi in mentem reuoco; nàm per hanc (vt narrat ſacra pagina) Angeli aſcendebant, & deſcendebant: *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam.* Geneſ. 28. Per quam ſcalam, quid figuraretur, varias ſcio fuiſſe Sanctorum Patrum, Sacrorumq; Scriptorum opiniones: inter tot tamen, Bernardi opinio mihi non parum arridet; dùm dicit: quòd ſicuti per ſcalam humana vita deſignatur, ſic per Angelorum aſcenſum exaltatio, & per deſcenſum humiliatio intelligi debet; quę duo non ſine myſterio copulantur, *Angelos quoq; aſcendentes, & deſcendentes*: quia, vt quis è faſtigio aliquantulum deſcendere ſtudet, tunc miro mo-

*Geneſ. 28.*



Digitized by Google

do ſe eleuari perſpicit: cùm depreſſio, & eleuatio, non duo motus ſint, ſed vnus ſolummodò: verba autem ipſius ſunt, quæ ſequuntur. *Non aliud ſine dubio deſcenſus ille, & aſcenſus à nobis intelligitur, niſi exaltatione deſcendere, & humilitate aſcendere. Scala verò ipſa erecta, noſtra eſt vita in ſæculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad Cęlū.* de duodecim gradibus humilitatis ex Regula D. Benedicti. Ecce tibi verificata ſponſi locutio, q̃ motus de loco, & ad locū ſic quādoq; inter ſe copulātur, vt ex vtroq; vnus reſultet & fiat; nàm quod ipſe de Spōſæ capillis dicebat: *Aſcendunt de Monte*: hoc de humana vita Sāctiſſimus Iacob cōfirmat; dū Angelos nō aſcēdere ſolū, ſed & deſcendere ſe vidiſſe teſtatur.

Bernard.

Scala Iacob aſcenſionis. & deſcēſionis, exemplū

3 In terminis viſa res eſt in muliere illa, quæ longa filiæ ægritudine vexata, Cœleſtem Medicum adijt, pignoris infirmitatem deſcripſit, morbi diuturnitatem narrauit, miſericordiam, pietatem, atq; remedium implorauit, dicēdo: *Miſerere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à Dæmonio uexatur*. Matth. 15. & tacente Verbo, magis loquebatur egena. *Non reſpondit ei uerbum. Et accedentes Diſcipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam: quia clamat pòſt nos.* Tādèm diſſimulante miſericordia, miſera petitioni validiùs inſiſtebat. *At illa uenit, & adorauit eum, dicens*: Domine *adiuua me*. Demùm nedùm miſericordiam inuenit, & filiæ ſanitatem impetrauit; ſed à Deo ipſo laudata, exaltata, & prædicata deſcribitur. *O Mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut uis.* Sed cur, ò Domine, illam, quam reſponſo indignam exiſtimabas, nunc ſic apertè laudas, atq; extollis, & quam paulò ante nō Mulierem, ſed canem vocabas, nunc & mulierem, & virtutibus præditam, & non vulgari, ſed eximia fide fulgentem, clamas, & prædicas: Verumtamen ſi quod mulier duris verbis laceſſita reſpondit, conſidero, non miror: nàm Canis vocata, non iram, nec indignationem oſtendit; ſed patienter ferens; non tantùm Canem, ſed & Catellam ſe vocauit, dicens: *Etiam Domine: nam & Catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum*: ac ſi diceret: verbis me tu deijcis, ò Domine, & ego factis me ampliùs ſubmittam: tu me Canem vocas, ego vt etiam hoc nomine indignam, Cane minorem me exiſtimans, Catellam voco, non Canem. Magna ſanè mulieris humilitas, magna deiectio: ſed quid indè? & mulier vocatur, & de patientia, & fide laudatur. Vndè Auguſtinus. ſerm. 74. de tempore: *Canem illam Dominus dixerat: non dixit, non ſum; ſed ſum: & Dominus continuò, quia ſe agnouit Canem. O mulier &c. Tu te agnouiſti Canem, & ego te iàm agnoſco hominem.* Sanè vides, quàm verùm ſit, quòd humilitati ſit coniuncta exaltatio; & quòd deſcendere, & aſcendere, vnus motus ſit: dùm mulier iſta ſe deijciendo, erigitur, & ſe paruipendendo, commendatur. Vndè Auguſtinus (ſi benè aduertis) non tantùm à Domino laudari, ſed continuò pòſt humiliationem, laudibus affici, aſſerit. *Canem illam Dominus dixerat: non dixit, non ſum; ſed ſum: et Dominus continuò. O Mulier etc.* Quia ſi continuitas motui conuenit, vt vnus dicatur, meritò pòſt mulieris humilitatem, continuò exaltatio ſequi debebat; vt deiectio, & erectio vnus motus agnoſceretur.

Matt. c. 15.

Deſcenſus gradus ad exaltationē

Auguſt.

Qui ſe Canē confitetur, humanitate inſignitur.

4 Abraham nunc in medium adduco, qui quàm Deo gratus extiterit, quamq; ab eo exaltatus fuerit, percurrentem ſcripturam latere minimè poteſt; ſemel tamen ſic à Deo exaltatum reperio, vt vltrà omnem humanæ naturæ dignitatem ipſum euehendo, ad diuinam familiam (ſi ſas eſt dicere) cum quodammodò aſſumpſiſſe videretur: tunc videlicet, quandò ex Abram Abraham vocauit; quia tunc Patriarchæ nomini litteram nempè, ה He, ex proprio nomine deſumptam, addere voluit. Quod obſeruauit Hieronymus in traductionibus Hebraicis, iuxtà Hebræorum mentem, ſic dicens. *Dicunt Hebræi, quòd ex nomine ſuo Deus, quod apud illos Tetragrammaton eſt, ה, He, litteram Abrahæ addiderit: dicebatur enim primò Abram; poſtea vocatus eſt Abraham.* Magna prorſùs exaltatio, magna euectio. Sed ſi vndè tāta culmina procederent, noſcere cupis, factū lege: & videbis, quòd cū Deus benignè cū Patriarcha loqueretur, & diceret: *Ponā fœdus meum inter me, & te, & multiplicabo te vehementer nimis.* Geneſ.

Hieronym.

Geneſ. c. 17

neſ. 17. proſtrauit ſe Abraham: *Cecidit Abram pronus in faciem*. Quod cũ vidiſſet Deus, illicò addidit: *Ego ſum, & pactum meum tecum, eriſque Pater multarum gentium. Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham*. Iàm te myſterium intelligere exiſtimo: quare Abraham, quare Pater multarum gentiũ, & quare ad Dei familiam (ſi dicere licet) aſſumptus ſit Patriarcha? quia ſe deiecerat, atque in terram proſtrauerat, quod vt vidit ille, qui potentes deponit de ſede, & exaltat humiles, ſuprà omnem humanam intelligentiam ipſum euexit. Adſit Chryſoſtomus. *Quia pòſt tantam fiduciam iuſtus ſeipſum, & naturæ ſuæ imbecillitatem videns, deorſum cadens, ſuam declarauit reuerentiam. Vide iterùm Boni Dei ineffabilem liberalitatem, locutus eſt Deus, dicens: Ecce ego &c. conſidera dilecte quomodò prædicit: & nunc manifeſtè omnia, & ut maioribus eum argumentis certum reddat, litteram addidit nomini eius: non vocaberis Abram, ſed Abraham erit nomen tuum*: hactenus ipſe hom. 39. in cap. Geneſeos 17. Tu autem quàm verum ſit, quòd deiectionis, & erectionis vnus ſit motus, conſidera.

*Chryſoſt.*

Abraham ad Dei familiam ob humilitatem aſſumitur.

5 Quis poſtea Virginei honoris faſtigium dignè poterit explicare; nàm ipſa humanam, Angelicamq; naturam tranſgrediens, tantũ ſe ad Cœli faſtigiũ ſubleuauit (vt D. Hildephonſi vtar verbis) quòd verbum in principio apud Deum, ideſt, Dei filium de ſumma Arce ſuſcepit; hæc adeò ſublimata deſcribitur, vt dicere non timeret D. Bernardinus Senenſis, pari paſſu quodãmodò has duas propoſitiones ambulare. *Deo ſubiecta eſt omnis Creatura, & Maria. Mariæ ſubiecta eſt omnis Creatura, & Deus.* Immò D. Thomas eam vltimum poſſe Dei aſſerit, quùm ait: *Maius Cœlũ, maiorẽ Terrã facere poterat, maiorẽ Matrẽ, quã Matrem Domini facere non potuit.* Quod proprio ore ipſam declaraſſe exiſtimo verbis illis. *Fecit potentiã in brachio ſuo.* Luc. 1. Sed vndè tanta oriretur ſublimitas? ſtupet Auguſtinus, qui ſerm. 2. de B. Maria: *Dic mihi quæſo*: (ad eam clamat) *vnica Mater, quid obtuliſti, per quod aſcendere meruiſti?* Statimq; in Virginis perſona reſpondet ipſe: *Quæris à me quid obtulerim? oblatio mea fuit humilitas mea: & ideò Magnificat Anima mea Dominum; quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* Sanè quo itinere ad tantam dignitatem pergeret, & per quam viam ad tale faſtigium perueniret Virgo Beata, iàm intelligis.

*Hildephon.*

*Bernardin. Senenſis.*

Mariæ Deus ob humilitatem ſubijcitur.

*Luc. c. 1.*

*Auguſt.*

6 Addo (dùm de Sanctiſſima Virgine loquor) locum illum Apocalyp. 21. *Vidi Ciuitatem Sanctam Ieruſalem nouam, deſcendentem de Cœlo à Deo, paratam, ſicut Sponſam ornatam viro ſuo, & audiui vocem magnam de Cœlo dicentem: ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Vbi etſi nonnullos per Ciuitatem iſtã de Cœlo deſcendentem, Eccleſiam: & alios Animam iuſti intelligere, agnoſcam: Multos tamen Virginem Benedictam in hoc figuratam fuiſſe, aſſerere, non ignoro. Quod ſi verum eſt, vt veriſſimum puto: vlteriùs inquirendi reſtat occaſio: quomodò à Deo deſcendere dicatur Virgo Beata, ſi ipſa per gratiam, & Maternitatem, non deſcendere, ſed aſcendere dicebatur: Vndè in Angelorum perſona Salomon. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto?* Cant. 8. At Mariã tunc à Deo deſcendiſſe reperio, quùm ab Angelo Dei Mater appellata, ſe humilẽ vocauit Ancillã, & tũc ſimul aſcẽdiſſe nõ dubito; qa p Verbi incarnationẽ Dei tabernaculũ effecta fuit, ex quo vna voce clamauerunt Angeli: *Ecce tabernaculum* Dei *cum hominibus.* Pulchrè rem confirmauit Ioach. Abbas, par. 6. ſuper idem, dicens. *Benè Ciuitas Ieruſalem à* Deo *de Cœlo deſcendere dicta eſt: quia eo ipſo intelligitur nata eſſe ex* Deo, *quo per affectum humilitatis deſcendit à gloria vocationis ſuæ, quandoquidèm & per gratiam filiam ſe eſſe intelligit Summi* Dei; *& tamen non ſe filiam cognominat, ſed Ancillam.*

*Apoc. c. 21*

Mariam figurabat ciuitas de Cœlo deſcendens.

*Cant. c. 8.*

*Ioach. Ab.*

B. Virgo propter humilitatem à Deo deſcendit, & ad Deum aſcendit.

7 Nec vacat myſterio, quòd Ciuitas iſta, quæ è ſummo Cœli faſtigio ad ima deſcendebat, vt idem ſubdidit Ioannes, Dei claritate fulgeret: *Oſtendit mihi Ciuitatem Sanctam Ieruſalem, deſcendentem de Cœlo à* Deo, *habentem claritatem* Dei: Quia vt è ſummo virtutũ, ac meritorum vertice per humilitatis exceſſum ſe deiecit Virgo Beata, æterni Verbi Mater effecta, Dei Maternitate reſplenduit, Quod (præter quã

*Apoc. c. 21*

iuxtà

*Cantacuz.* iuxtà Cantacuz. lectionem optimè in Canticis figuratum reperio; quia vbi noſtra Vulgata habet: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens?* *Cant.c.6.* Cant.6. legit ipſe. *Quæ eſt iſta inclinãs ſe, ſicut Aurora:* Nàm ſi pro actu conſurgendi: *Quaſi Aurora conſurgens:* inclinatio ponitur: *Quæ eſt iſta inclinans ſe,* clarè oſtenditur, quòd ſe inclinare, & ſurgere, idem ſit: vndè per humilitatem inclinata, per Dei gratiam Verbi efficiebatur Mater.) *Rupertus Abbas.* Dixit etiàm Rupertus Abbas lib.12.in Apocalyp. *Planè nimirùm deſcendit, quæ in ipſo deſcenſu, in ipſa humilitate deſcenſus ſui claritatem habet Dei, ideſt, ſimilis eſt claritati Dei.* Et quidèm ſic decebat; nàm ſi aſcendendo deſcendunt ſuperbi, per humilitatẽ ſe inclinãdo, & deſcendendo Virgo Beata, cõſurgere & eleuari debebat.

Deſcenſus apud Deum aſcenſus eſt.

8 Sed quid creaturis ampliùs immoror, ſi Chriſtus ipſe, qui quò aſcẽderet non habebat, deſcendendo (ſi dicere licet) aliqualiter aſcendere nouit. Quòd fortè ſignificare voluit Paulus verbis illis. *Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes Cælos.* *Ad Epheſ. c.4.* Ad Epheſ.4. Quod idem eſt, ac dicere: miramini ò viri, quòd Chriſtus aſcendat, quòd eius doctrina prædicetur, & quòd eius nomen exaltetur; miremini potiùs quòd deſcendit, quòd Deus cùm eſſet, homo fieri, iniurijs affici, & mortem pati voluerit: quæ ſi perpeti non eſt dedignatus; quid miramini, quòd aſcendat, & quòd eleuetur ſi ſe deiecit? *Sola humilitas* (exclamat Bernardus, ſerm.2. de Aſcenſione Domini) *eſt, quæ Chriſtum exaltat, qui cùm per naturam Diuinitatis non haberet quò creſceret, vel aſcenderet; quia vltrà Deũ nihil eſt; per deſcenſum quomodo creſceret, inuenit.* *Bernard.* Quod etiã obſeruauit Aug.ſer.104. verba explicans illa; *Clarifica me Pater.* Ioan.12. vbi ſic habet. *Hæc eſt glorificatio Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quæ ab eius reſurrectione ſumpſit exordium; humilitas enim eius incipit in ſermone Apoſtoli ab eo loco, vbi ait: Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & peruenit vſq; ad mortem Crucis: claritas verò eius incipit ab eo loco, vbi ait: Propter quod & Deus exaltauit illum:* & poſtremò concludit: *Humilitas claritatis eſt meritum, claritas humilitatis eſt præmium, ſed hoc factum eſt in forma ſerui.* Et deniq́ue (nè in longum de re hac ſermonem protraham) idem notauit Bernardinus Senenſis tom.1. feria 3. pòſt Reſurrect. ſerm.56. art.2. cap.3. Verba explanans illa: *Et ſcient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum ſublime, & exaltaui lignum humile.* Ezec.17: Vbi ſicut per lignum ſublime Angelos rebelles, apoſtatas, atq; ſuperbos intelligit: ſic per lignum humile Saluatorem figuratum fuiſſe aſſerit, qui per Crucis lignum ſe humiliauit, vſq; ad mortem, per quàm humilitatẽ exaltatus deſcribitur, iuxtà illud: *Propter quod & Deus exaltauit illum.* Ad Philipp.2. Præfati autem Bernardini verba ſunt hæc: *Lignum quidèm ſublime humiliatum: primus iſte Angelus eſt, qui de ſublimitate ſua ſpiritualiter ſuperbiuit, & ob hoc eum Dominus ab ea proiecit. Ideò Ioannes ait: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum. Lignum humile Chriſtus eſt, qui humiliter inter homines conuerſatus, in fine factus eſt obediens vſque ad mortem Crucis; & ob hoc Deus exaltauit eum. Per hæc autem omnia ligna regionis Cæleſtis, ſcilicèt, & terreſtris, ideſt, Angeli, atquè homines, non ſolùm ſcientia, ſed etiam experimento ſcient, quòd non ſuperbia, ſed humilitate ad diuinam celſitudinem peruenitur.* Et ità verum eſt, quod paulò ſuperiùs dicebam: quòd Chriſtus ipſe, qui ſecundùm Diuinitatem aſcendere nõ poterat, humilitatis iter terendo facilè ad nominis exaltationem peruenit.

Chriſtus per ſolã humilitatem aſcendit

*Ioann.c.12*

*Auguſt.*

*Bernardin. Senenſis.*

*Ezech.c.17.*

*Ad Philip. c.2.*

*Bernardin. Senenſis.*

Lignum ſublime deijcitur, humile ſublimatur.

9 Eià igitur gloriæ cupidi, quid expectatis? quid moramini? ſi via ad exaltationem facilis eſt, & lata, properate, feſtinate, currite, vt quod cupitis, cõprehẽdatis; vos deijcite, vt eleuemini; Vos proſternite, vt erigamini; vos humiliate, vt exaltemini: & vnico vt concludam verbo; deſcendite, vt aſcendatis. An neſcitis, quòd non humanum, ſed Angelicum ſit hoc deſcendere, & aſcendere ſimùl: vndè, vt benè obſeruauit Bernardus ſerm.5. In Dedicat. Eccleſiæ. Non homines, ſed Angeli ſuper Saluatorem aſcendere, &

de-

Digitized by Google

deſcendere videri debebant: *Videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium homi-*
*Ioan. c. 1.* *nis.* Ioannis 1. vt Angelorum hoc magis proprium videatur, quàm hominũ.
*Bernar.* Vndè citatus Bernardus. *Angelicum eſt illud deſcendere, & aſcendere ſimul. Videbitis, ait, Angelos aſcendentes, & deſcendẽtes ſuper filium hominis.* An ignoratis, deſcendendo Dauidem aſcendiſſe. Vndè cùm ſe pauperem, & mendicum putabat, tunc Dominum ſui ſol-
*Pſal. 39.* licitum experiri cœpit. *Ego autem mendicus ſum, & pauper, & Dominus ſollicitus eſt mei.* Pſal. 39. Quod Bernardus conſiderans, loco proximè citato, ait:
*Bernard.* *Planè artificioſa connexio vtriuſq; conſiderationis, qua velut in vno momento de-*
Deſcenſus ad exaltationem maximé neceſſarius. *ſcendens paritèr & aſcendens, & ſe pauperem, & mendicum, & Deum pro ſe ſollicitum vidit.* An non aduertiſtis, quòd manum illam, quàm pedibus indignam exiſtimabat Ioannes, ſuprà caput eam euexit Saluator? vt quàm deſcenderat, tàm paritèr & aſcenderet: vt ait Chryſoſtomus hom. 38. ad populum Antiochenum de humilitate, &
*Chryſoſt.* quiete: *Manum, quam eſſe calceamento dixit indignam, hanc ſuper caput ſuum Chriſtus attraxit.* An quæ Centurioni, Petro, & Paulo acciderunt, non legiſtis qui quãtũ ima petebant, tãtũ ad ſidera extollebãtur. Vnde in citata hom. *Ioan. Bapt. Cẽturio, Petrus, & Paulus deſcendendo aſcenderũt.*
Chryſoſt. *Cẽturio dicebat: nõ ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; & propterea dignus factus eſt, & admirationi ſuper omnes Iudæos habitus: ſic & Paulus dicens: nõ ſum dignus vocari Apoſtolus; & propter hoc omnium primus factus eſt: ſic & Petrus dicebat: Exi à me, quia peccator homo ſũ, Domine: & ideircò factus eſt Eccleſiæ fundamentum.* *Idem.* An denique (vt cætera omittam) non obſeruaſtis, quòd manus illa Moyſi, quæ ſigna, & miracula, portenta, & monſtra operari debebat, priùs leproſa viſa eſt, quàm prodigioſa? *Exod. c. 4.* *Mitte manum tuam in ſinum tuum, quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam, inſtar niuis.* Exod. 4. vt intelligatis, quòd priùs ſe humiliare debet, qui exaltari cupit: ſic Theodoretus quæſt. 10. in Exod. *Theodor.* *Dextera Moyſis, quæ admiranda illa perpetrarat, cùm priùs fuiſſet leproſa, ſignis diuinis inſeruiuit, & elementa mutauit:* Quod ſi intelligitis; deſcendite, vt aſcendatis.



Digitized by Google

# FERIA QVARTA
POST
# DOMINICAM SECVNDAM
## QVADRAGESIMAE.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte. Matth. 20.

### §. I.

*Adeò horrẽda eſt mortis facies, quòd, Chriſto Domino excepto, non eſt, qui eam non formidet.*

1 MIrabatur Pilatus, quòd coràm ſe accuſatus Saluator taceret, & quòd iniurijs laceſſitus, patienter ferret; ſed prorsùm obſtupuit, quòd, vt mortis reus vocatus, immò morti addictus, læto animo paſſionem ſubiret: *Ità vt* (ait Matthæus cap. 27.) Matth. c. 2. *miraretur Præſes vehementèr*. Verùm quòd Pilatus miraretur, ego non miror: nàm ſic formidabilis mors eſt, vt grande miraculum cenſeri poſſit, ſi ab aliquo non timetur: & quia Redemptor non ſolùm mortem non timebat; ſed eam libentiſſimè ſubibat: ideò mirabatur Iudex; Immò, vt nouum, atquè inauditum portentum, ipſum in ſtuporem inducebat. Origenes. *Cùm accuſaretur, mirabatur Pilatus* (ait Origenes homil. 34. in Matth. *Quòd autem* Non timere mortem, mirum. *ſcriptum eſt, non ſolùm mirari; ſed etiam valdè mirari, mouet me, vt exiſtimem, quòd dignum ei videbatur magno miraculo, vt exhibitus ad criminale iudicium Chriſtus, inturbabilis maneret, & ſtaret antè mortem, quæ apud omnes terribilis exiſtimatur.* Vides igitur, quem horrorem mortalibus occaſus incutiat, dùm non vulgare miraculum exiſtimatur, quòd Chriſtus neci propinquus non timeret. Verùm, vt oſtenderet, quàm à cæteris hominibus ipſe diſtaret, hanc fortitudinem oſtẽdere voluit, quam etiam in præſentiarum declarat; dùm non vt reliqui paſſionem fugit, ſed ipſam affectat, & ad eam pluſquam libentèr currit, quùm dicit: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur* Matt. c. 20. *Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte*. Quibus Imperfectus homil. 35. addit: *Ac ſi dicat:* Imperfect. *Videte, quia voluntariè vado ad mortem: nemo me vocat Ieroſolymam, nemo me admonet, nullius violentiæ neceſſitate compellor. Cùm ergò videritis me in Cruce pendentem, ne exiſtimetis me hominem eſſe tantùm: nàm etſi poſſe mori, hominis eſt, tamèn velle mori, hominis non eſt*. hactenùs ipſe. Tu autem illa vltima verba, *Et ſi poſſe mori, hominis eſt, tamèn velle mori, hominis non eſt*, perpende, ſi libet: & videbis, quòd extrà Chriſtum haùd facilè erit alium reperire, qui mortem non timeat: Quod clariùs, quæ ſequuntur, oſtendunt.

Extra Chriſtum nõ eſt, qui mortis faciem non formidet.

2 Scelestus ille Baltaſſar, qui cùm vino incaluiſſet, in contemptum veri Dei, in ſactis vaſis cum amicis, & cõcubinis bibens, Deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneos, & lapideos laudabat: vix digitos quoſdã in parietis ſuperficie ſcribentes vidit, quòd timore ſic concuti cæpit, vt penè ſpi-

ſpiritum retinere non valeret. *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus*

*Daniel.c.5.*

*hominis ſcribentis contrà candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ: & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur.* Danielis 5. Pròh magnus timor, magnuſq; horror! Sed vndè, Bone Deus, oriri poterat? Ex digitis forſan? Nequaquàm ſanè: quia contrà potentiſſimum Regem, quem Duces, & Tyranni cum ſuis exercitibus timebant, pauci digiti aliquid efficere minimè poterant. An potiùs ſcripturam pertimeſcebat? Nimirum ità ait Carthuſianus ibidem.

Mortis metus grauiter angit.

*Carthuſ.*

Quid autem hęc ſcriptura contineret, quòd Regem ſic terrebat, præter Danielem, rei declarauit euentus; quia *eadem nocte interfectus eſt Baltaſſar Rex Chaldæus*. ibidem. Ergo mortem prædicebat ſcriptura? Sic profectò. Quid igitur mirum, ait præfatus Carthuſianus, quòd metu perturbaretur ſuperbus, ſi necis ſcribebatur ſententia? quæ licèt ei tunc intimata non eſſet, cùm ſcripturam non intelligeret; tamen vt digitos ſcribentes vidit, ſic inſueto timore commoueri cępit, vt penè ſpiritum emittere videretur. *Facies Regis immutata eſt* (ait Carthuſianus) *ideſt, in pallorem verſa eſt præ timore, ex quo ſanguis amicus naturæ decurrebat ad cor in eius ſubſidium, & color immutatus declarabat internum animi dolorem*. Et Cardinalis Vgo. *Compages renum eius ſoluebantur nimio terrore. In magnis enim timoribus renum iunctura ſolui videntur, & toto corpore magno timore concuſſo, tàm genua, quàm dentes ad ſe inuicem colliduntur*. Magna quidèm perturbatio; ſed hic ſiſtere nequaquã potuit, nàm eum fortiter clamare fecit. *Et clamauit Rex fortiter*. Rationẽ autem cur ſic fortiter clamaret, aſſignat Theodoretus ibidem orat. 3. dum dicit: *Metus enim vocem excutiebat, & animi perturbatio ſtimulabat, vt ſententiã intelligeret.* Sic vides, quòd nõ mors, ſed mortis tantùm horribilis effigies miſeros mortales commouet, & terret.

*Idem.*

*Vgo Card.*

Mors cogitata tantùm, timorem incutit.

*Theodoret.*

3 Quis poſteà dignè explicare poterit, quàm mortis metu afficeretur Cainus, qui, vt contrà ſe Dominum ob fratris necem iratum ſenſit, & maledictionis ſententiam proferre audiuit: *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua*. Geneſ. 4. ſtatim timore concuſsus ſubiũxit: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* ibidem. Sed quis, ò ſceleſte, te occidere poteſt, ſi mortuo Abele, tantùm Adam & Eua ſuperſunt? Nunquid Genitores formidas? An parẽtes tuos, vt tu fratrẽ interfeciſti, ſic ipſos filiũ interfecturos exiſtimas? Nequaquã certè: nã ipſos ergà te non crudeles & agreſtes, ſed pios & mites ſemper inueniſti: à qua ergò manu mortem venire formidas, quòd mortem times? ſed ò magnum lethi pauorem! etſi nullus tunc eſſet, qui eum occidere poſſet, tamèn quia fraternæ necis memoriam tenebat, ſemper timore commouebatur, ac ſi ſemper mortem, non modò propinquam, ſed præſentem videret. *Sed miror* (exclamat Procopius in Gloſſa citatus) *quem timuerit Cainus, cùm nemo præter ipſum, & Parentes in Orbe eſſent, exiſtimabat enim viciſſitudinem quandam fore, quemadmodum ipſe turpitèr eadem commiſiſſet, ſic ſe à poſteris eſſe occidendum.* Et Carthuſianus: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me. quaſi dicat: quicunque primò occurrerit mihi, me trucidabit, tanquàm à te maledictum, & omnibus odioſum, hoc dixit timendo, ne ſic eueniret.* hactenùs Carthuſ. Quibus quàm mortis tantùm memoria, terreantur mortales ſatis commodè demonſtrat.

*Geneſ. c. 4.*

*Procopius.*

Cain cur mortem timuit?

*Carthuſ.*

4 Nec tantùm propinquæ mortis præſentia exterrentur mortales, & pręcipuè peccatores: ſed etiam quotiès in eius conſiderationem ſolummodò incidunt, totiès ſe morti addictos videntes dolore, & terrore afficiuntur non modico. Pro qua re legendus eſt Chryſologus, qui ſerm. 64. ſuper verba illa. *Vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes.* Ioannis 11. Non ſine cauſa inquirit: vnde ad plorandum mouerẽtur Iudæi? Quòd Martha, & Magdalena Lazari mortem plorarent, mirum non eſt; quia fratris præſentia deſtitutæ haùd facilè in mundo reperire poterãt aliud, quod eas ſolari poſ-

*Ioan. c. 11.*

ri poſſet; ſed quòd Iudæi, qui fortaſsè nec conſanguinitate, nec beneuolentia Lazaro coniuncti erant, plorent, myſterio æquidèm non vacat. Quod tandē pòſt aliqua explicat præfatus Chryſologus dicens; non pro Lazaro, ſed pro ſe plorare Iudæos: quia illum mortuum videntes, ſe morituros intelligebant, qua mortis memoria perterriti, lacrymas, & eiulatus cohibere

*Chryſolog.*

nullatenus valuerunt. *Flebant Iudæi* (ait Chryſolog.) *et conditionis ſuæ memores, & futuræ vitæ deſperatione poſſeſſi. Mors cùm ſatis Viuentibus ſit amara, ſatis turbat ipſo exitu, plus conturbat exemplo: mortuum quoties quis viderit, totiès ſe morti eiulat deſtinatum. Sic de morte non poteſt non dolere mortalis:* Sed relinquamus peccatores, quos fortè dices propter peccatum, & propter pœnam, quam expectant, mortem timere, dicente Eccleſiaſt. 41. *O Mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis.*

Mortis memoria lachrymas ciet.

*Eccleſ.c.41*

5 Nunquid Iuſtos, Deoq; charos mortis facies non terrebit? Nequaquā certè. Nàm quo timore afficerentur & ipſi declarauit magnus ille Elias, qui Cœlum clauſerat, elementa mutauerat, ignem de Cœlo aduocauerat, Regis nuntios acuto ſermonis gladio interfecerat, Regi reſtiterat, & mundū totum in ſtuporem adduxerat: poſteà, vix vt mulierculam mortem ſibi minātem, audiuit: *Miſit Iezabel nuntium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam, ſicut animam vnius ex illis.* 3. Reg. 19. ſic timere cœpit, atq; pauere, vt nec in montibus, nec in vallibus ſecurum ſe exiſtimans, ob timoris magnitudinem ferè extra ſe factus, quò fugeret, ignorabat: *Timuit ergo Elias, & ſurgens abijt quocunq; eum ferebat voluntas: venitq; in Berſabee Iuda, & dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſertum, viam vnius diei.* ibidem. Quem Eliæ timorem conſiderans Eucherius, ait: *Audito mulieris verbo Elias fugit, & fugit non vna, non duabus, non tribus diebus; ſed ingreſſus eſt in eū ſermo mulieris, & quid ageret, neſciebat.* Et immediatè ipſum in hunc modum alloqui cœpit: *Quid ergò tu Elia? tu enim es, qui verbo clauſeras Cœlum, & fraudaueras imbres, qui mandaueras aeri, & diuinos ignes eduxeras, qui falſos ſalubritèr interfici iuſſeras Sacerdotes, qui conſtanter in faciem exprobaueras Regi, qui omnibus imperaueras Elementis: ſermonem nunc audiens meretricis, expauiſti, & vna muliercula profugum fecit, timorſq; captiuum?* Ecce quid de morte ſentiant Deo chari, quātū eam pertimeſcant, iàm vides: dùm Elias, quo firmior, potentior, atque Sanctior tunc nullus reperiebatur, necem timet, & vehementer ſic timet, vt penè extrà ſe effectus, quid faceret, & quò pergeret, ignoraret.

*3.Reg.c.19*

*Eucherius*

Etiam Iuſti mortē timēt.

6 Vltrà præfatos, de Sanctiſſimo Moyſe quid dicam? Quis eo iuſtior? quis eo Sanctior? quis eo fortior, ac Deo charior ea tempeſtate reperiebatur? Proculdubio nullus. Tamen quàm & ipſe mortem timeret, obſeruauit Procopius, rationem aſſignans, cur toties iniunctam à Deo legationem recuſabat: nunc ſe rudem, nunc imperitum, nunc balbum vocando: dùm ait; quòd non tàm ob Pharaonis obſtinationem, quàm ob mortis timorem, talem prouinciam aſſumerē renuebat: quia vt legationem compleret, in AEgyptum regredi oportebat: vndè ob AEgyptij necem, mortem formidans, aufugerat: ideò nè eò, vbi mortem timebat, pergere cogeretur, Commiſſionem quantùm poterat, fugiebat. Quod ex eo ſatis patet: nam vt Deum audiuit dicentem: *Vade, & reuertere in AEgyptum: mortui ſunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.* Exod. 4. ſtatim in AEgyptum perrexit. *Tulit ergo Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum, reuerſuſq; eſt in AEgyptum, portans virgam Dei in manu ſua.* ibidem. Præfatus Procopius. *Deſtinatus Moyſes muneri Apoſtolico, non expeditè eam prouinciam ſuſcepit, nec priùs in AEgyptum proficiſcitur, quàm audiuit defunctum Regem AEgypti; mortis enim metus ipſum grauiter angebat.* Sic mortem timebat, quòd vix Dei roboratus oraculo AEgyptum petijt.

*Exod.c.4.*

Moyſes cur hebraici populi præfecturam recuſabat.

*Procopius.*

7 Quem Iuſtorum timorem in eo figuratum reperio, quod de ſe refert Ioannes cap. 20. videlicèt, quòd cùm à Magdalena Dominum de monumento ablatum intellexiſſet, vnà cum Petro currere cœpit, vt quod audierat, vide-

*Ioan. c.20.*

videret; & tandem ad monumentum perueniens, introire minimè voluit. *Ioan.c.20.* *Currebant autem duo ſimul, & ille alius Diſcipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentũ. Et cùm ſe inclinaſſet, uidit poſita linteamina, non tamen introiuit.* Vbi quid per Ioannem, niſi iuſtus? & quid per monumentum, niſi mors intelligi debet? Verùm Ioannes ad monumentum cucurrit, ſed non introiuit: quia iuſti nonnunquàm ob præſentis vitę moleſtias diſſolui cupiunt, vt cum Chriſto regnent; at quùm ad mortis ianuas perueniunt, timent, & pauent. Ad quem ſenſum rem reducendo D. Iſidorus, dixit: *Iſidorus.* *Non enim introiuit, timore detentus: multi enim uitam odio habent, & mori timent, & uiuendi habent tædium, & moriendi metum.* lib. 3. de ſummo bono. Quod viſum eſt in Petro, qui quamuis pro Chriſto dolores, paſſiones, & mortem ipſam libentèr ſe ſubiturum iactaret; tamen Ancillæ voce perterritus, & Magiſtrum negauit, & ipſum non agnouiſſe cum iuramento affirmauit. Immò, vt acutè obſeruauit Euthymius, ſic lethi timore erat correptus, vt extrà ſe quodammodò effectus, primum Galli cantum non aduerterit. Vndè D. Marcus *Marc.c.14.* cap. 14. *Et pòſt puſillum rursùs qui aſtabant, dicebant Petro: uerè ex illis es: nàm & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare, & iurare: quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis. Et ſtatim Gallus iterùm cantauit. Et recordatus eſt Petrus.* *Euthymius.* Euthymius ibidem. *Marcus autem dixit: quòd cùm Petrus ſemel negauit, tunc Gallus primò cecinit, quandò autèm tertiò negauit, tunc ſecundò cecinit: notauit autem antè hoc manifeſtans, quòd primum gallicinium non admonuit eum. Rursùs autem Lucas ſcribit, quòd poſtquàm Gallus cecinit conuerſus Dominus, reſpexit Petrum, per aſpectum eum ad memoriam reducens: adeò enim illum demeerat timor, vt paulò minus fuerit mortuus, cumque Gallus non ſemel, ſed bis cecinißet, neq; ità ad ſenſum rediuerat, ſed opus etiam fuerat, vt eum Saluator aſpiceret. Vide infirmitatem.*

Ioannes ad Chriſti ſepulchrum perueniens, non ingreditur, quia etiam iuſti mortis concutiuntur horrore.

8 Sic mortem timebant mortales, quomodò autem cum illa ſe gereret Redemptor, Ioannem audiamus, qui eius paſſionem deſcribere volens, exorſus eſt, dicendo: *Egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrẽtem Cedron, vbi erat hortus.* *Ioan.c.18.* cap. 18. Quod idem erat ac dicere: Paſſionem non timebat Saluator, Crucem non formidabat, nec mortis metu perturbabatur: ideò illam non fugiebat, vt reliqui; ſed eam pro hominum ſalute ſic affectabat, vt moræ (ſi fas eſt dicere) impatiens, feſtinaret, egrederetur, occurreret, & (vnico vt dicam verbo) proditori, miniſtriſq; ſpontè, & pluſquàm libentèr ſe obuiam daret, vt quàm à cæteris diſtaret, qui occaſũ formidabant, oſtenderet. Theophylactum adduco dicentem. *Feſtinat, vt veniat ad locum proditori notum, ſeipſum permittens homicidis: vt oſtendat, quòd ſpontè ad paſſionem veniat, & vt laborem minueret Iudæis ſequentibus: nàm ne fatigarentur hùc illucque ambulantes, quærentes eum, abijt ipſe ad eos, & ſe manibus inimicorum intulit.* *Theophyl.* Quibus tandèm cùm præter eorum opinionem occurriſſet, illos percontari cœpit, quem quærerent? & reſpondentibus illis: *Ieſum Nazarenum.* *Ioan.c.18.* ibidem ſubdidit ipſe: *Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergò me quæritis, ſinite hos abire.* Cur autem Diſcipulos ſecum teneri, atque vinciri noluerit: rationem aſſignat Carthuſianus, qui dicit; quòd ideò ipſos relinqui præcepit, quia timidos, imbecilles, & ob necis timorem prorsùs imbelles videbat. Idcircò tunc ad mortem perferendã minimè idoneos exiſtimabat. Hinc citatus Carthuſianus verbum conſiderans illud; *ſinite;* ait; quòd idem ſonat, ac tyrones, qui necis metu perterriti, non belligerare, ſed hoſtibus terga vertere cupiunt, relinquite: fugam, quam arripere volunt, vt arripiant, permittite: nam ego ſolus ſum, qui paſſionẽ, & necem non timens, vltrò mortem molientibus me expono. *Carthuſ.* Verba autem Carthuſiani ſunt hæc. *Sinite hos abire. Quia infirmi erant, & ad moriendum pro Chriſto non parati: Nam & Princeps eorum ſola interrogatione concuſſus, tèr negauit.* Sic à Diſcipulis differt Magiſter, & reliquis hominibus diſſimilis eſt Redemptor: quia vbi omnes vix obitus audito nomine, formidant, & penè exanimes redduntur, ipſe mortis non timens imperium, proditorem quærit, miniſtris occurrit, & inuidis

Chriſtus ad mortem feſtinat.

Etiam apoſtoli mortẽ formidarũt.

ei mortem molientibus obuiam procedit.

9 Ianuam nunc cuidam difficultati apetio, quæ etiam Pilatum in ſtuporem adduxit, & eſt; quòd ſic citò Cruci affixus moreretur Saluator. *Pilatus autem mirabatur ſi iàm obijſſet.* Mar.

*Marc. c. 15*

cap. 15. & licèt id aſſeuerantèr affirmaret Ioſeph ab Arimathæa nobilis decurio; nec perſonæ, nec dignitati fidem præbere voluit: Sed accerſito Centurione, an verè obijſſet, interrogauit. *Accerſito Centurione, interrogauit eum ſi iàm mortuus eſſet.* ibidem. Sed certè nil mirum, quòd diù in Cruce non viueret Redemptor: quia præter quam multa paſſus erat, quorum latrones expertes fuerunt, etiam tàm impauidè morti occurrebat, imò tàm anxiè eam affectabat, vt expectare ampliùs non valens, ſpiritum emittere voluerit.

*Brugenſis.*

Antè alios crucifixos obiit Saluator; & quare?

Lucas Brugenſis. *Miratus eſt igitur, quòd diceretur mortuus, cùm Crucifixi diù ſolerent viuere in eo ſupplicio, & præſertim florenti ætate viri: ſed ignorabat, quòd ſpontè, certoque conſilio in mortem ſe ipſe tradidiſſet, à qua ſe noluit liberare, etſi facilè poſſet: latebat enim myſterium.*

10 Verùm, quia eius Sanctiſſimũ obitum iàm tetigimus, inquirere non diſpliceat, cur morti propinquus, priùs caput inclinare voluit, quàm ſpiritum emittere? dicente Ioanne: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* cap. 19. Et licèt huius inclinationis multas in Sanctis Patribus repetiã rationes: D. Atha-

*Ioan. c. 19.*

naſij tamèn mihi non diſplicet ſententia: quòd ideò caput inclinare voluit, quia fugientem Mortem vocabat, quæ cùm vitam adoriri non auderet, fugam arripere cęperat, quod cùm vidiſſet ipſe, qui non minus mortem; quàm alij vitam, affectabat, caput inclinando, vt accederet, vocauit. *Iſtis igitur omnibus impletis* ait præfatus Athanaſius, *quæ pati debuerat, ſola Mors reſtabat, quæ quidem ſibi metuens appropinquare non audebat: ideò Chriſtus inclinato capite, vocauit ipſam: iàm antequàm caput inclinaſſet, verebatur propiùs accedere; ideò dicit Euangeliſta: inclinato capite.*

*Athanaſ.*

Chriſtus mortem fugientem accerſiuit.

quæſt. 40. in dictis, & interpretationibus parabolarum Euangelij. Nec vacat myſterio, quòd ſpiritum emiſiſſe dicatur, vt quàm contrà mortalium conſuetudinem mortem libenter ſit amplexatus, oſtenderetur.

11 Cæterùm vt concludam; non poſsũ facere quin mirer; Vndè moueri potuerit Centurio ad clamandum, atq; dicendũ: *Verè hic homo filius Dei erat.* Marc. 15. Si ipſum mori videbat, quomodò Deum appellabat?

*Marc. c. 15*

Quare Centurio in morte Chriſti admiratus ſit.

Quid enim magis Deo contrarium (cuius eſſe eſt neceſſe) quàm mors, per quam eſſe deperditur, cùm vitę priuatiuè opponatur? An quem mori videbat, & hominem, & Deum confitendo fortaſsè non ſecundùm eſſe diuinum, ſed ſecundùm humanitatem obire dicebat? Ità ſentire videtur Carthuſianus artic. 44. ſuper cap. Matth. 27.

*Carthuſia.*

*In hoc confeſſi ſunt eius diuinitatem, confeſſi ſunt etiam eius humanitatem, quia (vt Lucas refert) Centurio dixit: Verè hic homo iuſtus erat.* Vndè ad hanc confeſſionem moueri potuerit, explicat Auguſtinus de concordantia Euangeliſtarum in Catena citatus, dùm dicit; quòd cùm eius mortem maximè admiraretur Centurio; eùm non hominem tantùm, ſed filium Dei proclamare cępit: *In eo enim, quod Matthæus non ſolùm dixit: viſo terremotu, ſed etiam addidit: His, quæ fiebant, integrum locum fuiſſe demonſtrauit Lucæ, vt diceret Centurionem ipſam diuinitatem fuiſſe miratum, quia & hoc inter illa eſt, quæ tunc mirabilitèr facta fuerant.* hęc Auguſtin.

*Auguſt.*

Quibus mortem Chriſti mirabilem Centurioni apparuiſſe declarat. Et vlteriùs ſi quæris: cur mors Saluatoris potiùs quàm aliorum mirabilis videretur, explicat Marcus. cap. 15. quùm dicit: *Videns autem Centurio, qui ex aduerſo ſtabat: quia ſic clamans expiraſſet, ait: verè hic homo filius Dei erat.*

*Marc. c. 15*

Clamorem ergò admirans, ex ipſo tanquã ex veris, neceſſarijſque pręmiſſis, ſuæ confeſſionis conſequentiam deducebat? Ità ſanè: quia clamando ſpiritum emittere videbat, ſuprà hominem eum exiſtimabat: nam ex hoc, non ex defectu virtutis, nec naturæ; ſed ex voluntaris imperio eum mori videbat:

Chriſtus volũtariè mortuus eſt.

Quod inauditum cùm ſit inter homines, qui vix mortis audito nomine, expaueſcunt, eum homine maiorem, imò Deum hominem prædicare cogebatur. Ad Cuius rei confirmationem Chryſoſtomum adduco, dicentem:

*Chryſoſt.*

Idcir-

*Idcircò enim magna voce clamauit, vt oſtēdat ſua hac poteſtate fieri. Marcus autem dicit miratum fuiſſe Pilatum, ſi iàm mortuus erat. Sed Centurio quoq; ideò maximè credidit, quia ſua ipſum ſponte, & poteſtate mortuū perſpexit.* ho.89.in c.27. Matth. Igitur concludamus: non hominem eſſe, ſed ſuprà hominem, qui horribilē mortis faciem non pertimeſcit.

## Tunc acceſſit ad eum Mater filiorum Zebedęi cū filijs ſuis, &c. Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuā, & vnus ad ſiniſtram in Regno tuo. Matth. 20,

### §. II.

*Importuna ambitio, nec tempori parcens, nec loco: ſemper inter ſacratiora validiùs inſurgere cōſueuit.*

*Matt.c.20.* 1 DE laboribus loquebatur Magiſter. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam.* Matth.c.20. & quietem quærebāt Diſcipuli: *Dic, vt ſedeant hi duo filij mei.* Paſſionem, atq; humilitatem proponebat Saluator: *Et filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis: & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigēdum:* & præcellentiā pro filijs affectabat Mater: *Vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in Regno tuo:* Mortem prædicebat Redēptor: *Cōdemnabunt eum morte:* & de primatu, atq; Regno altercantes Apoſtoli ad inuicem indignantur: *Indignati ſunt decem de duobus fratribus.* Sed quid ſibi vult hoc, niſi quia importuna ambitio præter loci, & temporis rationem inuerecundè irrumpere ſolet? Nec vacat myſterio, quòd nō ſimpliciter mulierem acceſſiſſe dicat Euāgeliſta; ſed, *Tunc, Tunc acceſſit mater, &c.* Quia, vt Toſtatus quæſt.56. in Matth. ait: illud aduerbium, *tunc*, idem ſonat quòd ſtatim, vt ſit ſenſus: ſtatim ac de paſſione, & morte loqui cœpit Saluator, intempeſtiua ambitio inſurgere non erubuit. *Tunc acceſſit mater, &c. hoc eſt, ſtatim vt Chriſtus dixit de morte, & reſurrectione ſua, fuit hęc petitio: ità dicitur in littera, tunc acceſſit, id eſt, ſtatim.* *Toſtatus.* Nec mirū eſt, cū magis inter ſacra, quā inter alia oriri ſoleat, & excreſcere. Vndè ſi benè aduertis, cū infernalis hoſtis tèr Dominum aggredi decreuiſſet, non in primo, nec in tertio congreſſu eum de inani gloria, atq; ambitione tentare putauit, ſed in ſecundo; quia ambitionis naturam ſciens, quæ eſt inter ſacratiora magis vigere; vt eum in ſancta Ciuitate, & ſuprà Templi pinnaculum conſtitutum vidit: *Aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam Ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum Templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorſum.* Matth.4. *Matth. c.4.* tunc capta temporis, & loci opportunitate, ambitione eum pulſare voluit, non gula, nec auaritia. Vndè optimè dicere cōſueuerat Rupertus Holchot. *Superbia animoſum vitium, in inuadendo, non parcit loco, nec tēpori: loco, quia quantò locus ſolemnior, tantò ſuperbia promptior: in Congregationibus, in prædicationibus, in quibuſcunque negotijs publicis, ſtatim ſuperbia ſe immiſcet: quia in Eccleſia, in loco ſacro valdè lucratur: vbi contritioni, & humilitati ſe dare deberent, oſtentationi, & ſuperbiæ homines magis ſtudent, quàm deuotioni. Non parcit tempori, immò quantò dies ſacratior, ſic in die Natali, in Paſcha, & huiuſmodi, tantò magis infeſtat.* Sic ipſe lect.61. ſuper cap.5. Sapientiæ. *Rupertus Holchot.* Ambitio, nec loco, nec tempori parcit.

2 Diſcipulos ad prædicandum miſerat Saluator, atq; quomodò in via, & in prædicatione ſe gerere deberent, cœleſtibus monitis inſtruxerat. ipſi autem non multò pòſt ad Magiſtrū reuerſi, quæ in legationis functione euenerant hilarè narrauerunt, & præcipuè non parùm ob Dęmonum ſubiectionem ſe lætos oſtendebant; dicente Luca cap.10. *Reuerſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine, etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo:* *Luc.c.10.* Quo audito, aperiens os ſuum ille, qui Prophetarum ora aperire conſueuerat, Sic ait: *Videbam Satanam, ſicut* *Ibidem.*

*fulgur*

*fulgur de Cœlo cadentem*. Quæ Magiſtri verba cum illis Diſcipulorum conuenire poſſe nullatenùs reperies, niſi ꝙ obſeruauit D. Cyprianus, obſeruaueris, & eſt: ꝙ Diſcipuli, non ſe Dęmonia eijcere, vt ſanè dicere potuiſſent; ſed ſibi Dæmonia ſubijci dicẽtes: *Etiã Dæmonia ſubijciuntur nobis*, aliquantulam elationem oſtendebant, quod etiam lætitia, quam de tali ſubiectione pręferebant, *Reuerſi ſunt cum gaudio dicentes: Domine etiam Dęmonia ſubijciuntur nobis*, declarabat: quod vt vidit humilitatis Magiſter, Satanæ caſu eos cautos reddere voluit, nè inter virtutes, atq; miracula ipſa, aliqua moraretur elatio. Præfatus

*Cyprianus.* Inter virtutes elatio oriri ſolet.

Cyprianus. *Gloriabantur aliquando Diſcipuli, & complacebant ſibi in miraculis gratulabundi, quòd eis etiam Dęmonia obedirent, ſed repreſſa eſt, increpante Domino, ſimplicitatis eorum præſumptio: videbam, inquit, Satanam tanquam fulgur de Cælo cadentem.* Ecce quomodò inter virtutes oritur elatio, & inter ſanctiora ſe ingerere ſolet ambitio. Quod clariùs explicauit Vgo Cardinalis, his verbis.

*Vgo Card.*

*Benè confitebantur Diſcipuli in hoc, quod fatebantur Dæmonia ſibi ſubijci in nomine Chriſti; ſed quia vidit Dominus aliquantulam elationem ſubortam in animis eorum ex ſubiectione Dæmonum, & ex miraculis; ideò hortatur eos ad humilitatem, exemplo Luciferi, qui per ſuperbiam corruit.* Magnum igitur nè exiſtimes, ſi audiſti, ꝙ ambitio inter magis ſancta, magis validè inſurgere ſoleat: ſi in ipſis ſignis, miraculis, atq; prodigijs; imò in ipſa Dæmonum expulſione, atq; ſubiectione aliqualitèr oriri videtur.

3 At quòd ambitionis importunitas tempori minimè parcat, audi quæſo, ſi libet: nunquàm tàm clarè de ſua paſſione, proditione, & morte cum Diſcipulis locutus fuerat Saluator, quàm in vltima Cœna, in qua omnia diſtinctè prædicere voluit; tùm vt mortem ſe voluntariè ſubire oſtenderet, tùm etiam vt Diſcipuli ex malorum præuiſione leuiora, quæ euentura erant, exiſtimarent.

*Luc. c. 22.*

*Ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Et quidèm Filius hominis, ſecundùm quod definitum eſt, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur.* Luc. 22. Verùm quid inter hos luctuoſos ſermones dicerent Apoſtoli, explicat idem Euãgeliſta, dùm ſubdit: *Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior.* ibi.

*Ibidem.*

Ergo dùm paſſionem, & mortem proponebat Magiſter, de prælatione, atq; primatu altercabantur Diſcipuli? Ità ſanè. Sed quid eſt hoc, bone Deus, quòd ſuperbiam, & humilitatem, exaltationem, & abiectionem ſimul miſcent! dùm inter paſſionum exinanitiones, primatus affectionem ingerunt? Sed planè nihil mirum: nam intẽpeſtiua ambitio, quæ tempori parcere ignorat, vt de Magiſtri diſceſſu ſermonem fieri audiuit, nõ eius paſſionem, & mortem (vt fas erat) Apoſtolos cogitare, nec meditari permiſit; ſed Magiſtri locum, qui citò vacare debebat, eis proponẽs, de primatu contendere fecit, vt ex hoc quis ei ſuccedere deberet, decerneretur. Lucã Brugenſem audi.

*Brugenſ.* Ambitio nimis importuna.

*Tunc cœperunt inter ſe quærere, ſepoſita tantiſper conſideratione proditionis, mortiſq; Chriſti, altercati ſunt de obtinendo primatu in Regno Chriſti, cuius promiſſionem longè altiùs infixerant animis, quàm prædictionem mortis, nec ſpẽ abiecerãt, quidquid de morte Chriſtus prædicaret.* Sanè ambitionis importunitatem iàm vides, dùm temporis neglecta ratione, quando feruentiùs humilitati ſtudere deberent Diſcipuli, tunc maiores in eis regnandi cupiditates accendit.

4 Inſuper idipſum videre ſi cupis, memor eſto, quid Saluatori Iudæ proditionem, & Diſcipulorum ſcandalum prædicenti reſpondit Petrus. *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquã ſcandalizabor.* Matth. 26.

*Matt. c. 26.*

Quam Petri promiſſionem ex ambitione ortum habuiſſe aſſerit Chryſoſtomus ho. 83. in Matth. dùm ſe ſupra cęteros erigẽs, alijs & maiorem, & fortiorem exiſtimabat. *Puto autem* (ait præfatus Chryſoſtomus) *ambitione quoque aliqua, & iactantia in ea verba Petrum prolapſum fuiſſe. Nàm & in ipſa cœna, quiſnã inter eos maior eſſet, ambigebant; adeò inanis gloriæ paſſio adhuc animos eorum turbabat.*

*Chryſoſt.* Petrus aliquando elatione commotus.

Itaq; ambitio illa, quæ in vltima cœna omnes pulſauerat, nunc Petrum præcisè vexat, & concutit? nil certè aliter. Sed inter quos ſermones, atque tractatus hæc erumperet ambitio, explicat idem Euangeliſta, dùm dicit; quòd cùm Sal-

uator

Digitized by Google

uator proditionem, paſſionem, & mortem prædiceret, cum de Paſtoris percuſſione, & ouium diſperſione ſermonem haberet, tunc in hęc verba proru-

*Matt. c. 26.* pit Ambitio. *Et ſi omnes ſcādalizati fuerint in te, ego nunquàm ſcandalizabor.* Sed quæ conuentio paſſionis ad gloriam, & humilitatis ad iactantiam? Nulla prorſùs: tamen importuna ambitio, quę temporis occaſiones negligit, eos tunc præcipuè ſuperbire faciebat, quando ſe maximè humiliare debebant.

5 Sed nunquid ſaltem ſacras Ædes, ſacraq; loca obſeruat ambitio? Minimè certè: nàm ibi præcipuè ſuas venenoſas radices altiùs figere ſtudet. Meum non eſt hoc, quod dico, ſed D. Bernardi, qui libro 3. de conſideratione ad Eugenium dicere ſolebat. *An nō limina Apoſtolorum Petri, & Pauli, plùs ambitio, quàm deuotio terit?* Pro qua re audiendus eſt etiam cœleſtis Magiſter, qui Diſcipulos, atq; turbas humilitatē docere volens, Scribarum, & Phariſęorum ſuperbiam obiurgare cępit, dicendo. *Amant enim primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis.* Matth. 23. vbi Chryſoſtomus ſubtilitèr norat; quòd non tantùm in cœnis, in plateis, & in foro ſalutationes, & honores affectabant; ſed in Synagogis, in ſacris Ædibus, & in Templis, in quibus humilitatis magiſtros ſe oſtendere debebant, maximam animi elationem, atq; ambitionem declarabant. *Tu autē conſidera* (ait ipſe hom. 73. in Matth.) *ibi maximè illos inanis fomenta gloriæ quæſiuiſſe, ubi iubebantur humiliores eſſe, in Synagogis videlicèt, quò ad docendos alios veniebant: in Cōuiuijs enim huiuſmodi aliquid committere, non ità graue videtur; quamuis non in Eccleſia ſolùm, ſed vbiquè doctorem cæteris præſtare oportear.* Ecce tibi in quibus locis magis ſuperbit ambitio, in Templis, & in Synagogis, in quibus maximè vigere deberet humilitas.

*Bernard.* Loca ſancta plus ambitio, quā deuotio terit.

*Matt. c. 23.*

*Chryſoſt.*

6 Quod ſatis benè declarauit Saluator parabola illa de Publicano, & Phariſæo, qui in Templum ad orandum aſcenderant. *Duo homines aſcenderunt in Templum, ut orarent, unus Phariſæus, alter Publicanus.* Luc. 18. Sed Publicanum, pro nunc vt relinquam, quam orationem, & quas preces ad Deum tranſmitteret

*Luc. c. 18.*

Phariſęus, prętereundum minimè puto; nám, vt Euangeliſta ait, non Deū laudabat, ſed ſe ſupra cæteros exaltabat; *Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, uelut etiam hic Publicanus.* Hæc erat impudentiſſimi Phariſæi oratio, quam quoties conſidero, nō poſſum ad admiratione nō affici, q in Templo, vbi non humanis, ſed diuinis incūbitur laudibus, hic ſe, ſuaſq; virtutes iactaret: cur non domi, in vicis, & plateis, hoc faciebat, quòd in Templo, & quod magis refert, cur hoc orationis tempore, quādo cuncti ad Deum preces fundebant, facere maluit, quàm alio. Sed ò magnam ambitionis impudentiam, quæ nec temporis, nec loci rationem ſeruare noſcens, & in Templo, & orationis tempore Phariſęum ſic ſuperbire docebat, vt ſuprà cunctos ſe exiſtimans, cunctos, vt peccatores atquè ſcelestos, ſperneret! Sic Theodoretus in Catena citatus. *Non tàm Deum laudans, quàm ſeipſum; ſpecie gratiarum actionis ad ſe laudandum uenerat, alijs enim omnibus ſe præfert, neminem ſibi ſimilem ducit, ſe ſolùm purum & mundum, alios omnes ſceleratos, & grauioribus criminibus obnoxios temerè, atq; iniuriosè iudicant.*

Phariſæus in Templo tumeſcit.

*Theodoret.*

7 Dubitaui, & non ſemel; quænam eſſet illa abominatio deſolationis, de qua dicitur Matth. 24. *Cùm uideritis abominationem deſolationis,* & demùm ferè innumeros aſſerentes inueni, per hanc abominationem, Antichriſtum intelligi debere, qui ſic Deo exoſus erit, vt per autonomaſiam, abominationem, & abominationem deſolandam, atq; deſtruendam eū vocet ſcriptura. Irà inter cæteros Euſebius Emiſſenus. *Cū uideritis abominandum, & deſolandum Antichriſtū.* Et Ioannes Ferus. *Abominari autem, eſt execrari, faſtidire, nauſeare, abhorrere, uel cum indignatione abijcere rem aliquam: hinc res abominabilis dicitur, quæ nauſeam, horrorem, & faſtidium ingerit. Nihil igitur aliud eſt abominatio hæc, quàm Regnum, & tyrannis Antichriſti.* Sic ipſe. Quas expoſitiones, vt reperi, non potui non vlteriùs inquirere: cur, cæteris prætermiſſis peccatoribus, ſolus Antichriſtus abominatio vocetur? & pòſt aliqualem inquiſitionem, facilè rationem inueni; quia hic ſuprà cæteros elatus, in Eccleſia ſuperbire ſtudebit. Quod ex Daniele colli-

*Matt. c. 24.*

*Euſebius Emiſſenus.*

Antichriſti Regnum abominatio deſolationis.

*Daniel. c. 9.*

Digitized by Google

colligo, dicente: *Erit in Templo abominatio deſolationis*: cap. 9. Quæ verba idem videntur ſonare ac: ideò Antichriſtus abominatio per antonomaſiam appellatur, ideò ſuprà cæteros Deo odibilis apparebit, quia in Templo, in Eccleſia, in ſacris Ædibus, ſacratiſque locis ſe faſtu maximo extollet. Quod etiam declarare videtur Euangeliſta, dùm poſtquàm ipſum abominationem vocat, ſtatim ſubdit: *Stantem in loco ſancto*. ibidem. ac ſi cauſalem formaret: quia in loco ſancto ſe maximè abominabilem oſtendet, ideò deſolanda abominatio vocatur. Quod fortaſſis dicere voluit D. Hilarius hiſcè verbis: *Antichriſtus enim à Iudæis ſuſceptus, loco ſanctificationis inſiſtet, vt vbi Sanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis ſit*. Pròh magna ambitioſi impudentia, quæ ibi ſuum ſolium figere conatur, vbi Deus adoratur, & colitur! Quid ergò mirum, quòd abominatio, & deſolanda abominatio vocetur, quę ſic inuerecundè ſuperbire docebit?

Daniel. c. 9.

Ibidem.

Hilarius.

8 In cap. 16. Num. me legiſſe memini, quòd poſtquam, vt fas erat, Core eiuſque ſociòs Sacerdotium affectantes & terra abſorbuit, & ignis conſumpſit, ambitioſorum thuribula in laminas conflata Deus altari affigi iuſſit. *Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio, productaque ea in laminas, & affigat altari*. Quòd ſi non ad altaris ornatum, cùm vaſa aurea, & argentea, & ornamenta ad hoc non deeſſent, ſed ad aliorum eruditionem factum exiſtimat Lyranus, qui dicit: hanc Core, ſociorumq; ambitionē, tàm Deo fuiſſe inuiſā, vt illam (vt ità dicam) ferre nō valens, non ſolùm eos ſeuerè puniuerit, ſed etiam laminas altari affigi iuſſerit, vt horum punitio aliorum eſſet exemplum, nè in Templis, ſacriſque Ædibus ambitioni ſtuderent, quod Deo maximè diſplicet. *Thuribula* (ait præfatus Lyranus) *ambitioſorum prædictorum, qui ſibi volebant vſurpare Sacerdotium producuntur in laminas, & figuntur altari, vt ſic ſint alijs in ſignum, ne quærant indebitè honoris ſtatum in Eccleſia*: meritò Antichriſtus, qui non vt Core, eiuſque ſocij ſummum Sacerdotium, ſed ſummum honorem ſoli Deo debitum affectabit, abominatio deſolationis, hoc eſt deſolanda abominatio vocatur.

Core ambitio quomodo punita.

Num. c. 16.

Lyran.

9 Denique quis locus Paradiſo ſanctior, qui nunc Templum Sanctum, nunc Ciuitas Sancta, & nunc locus ſanctificationis vocatur, inueniri poterit vnquàm? Sanè nullus. Tamen quonam modo ibi ſe gerere optaret ambitio, declarauit ambitioſus ille, qui propriā nobilitatē faſtidiens, nec naturalia, nec gratuita, vt fas erat, magnifaciens, maiora appetere cæpit, dicendo: *In Cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſoliū meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*. Iſai. 14. Itaque nec Cęli habita ratione, ibi etiā vigere cupiebat ambitio? Ità prorſum ait Hieronymus in epiſtola: imò ibi oriri voluit, cùm antea nata non eſſet. Vndè citatus Hieronymus de ea in hunc loquitur modum: *Superbia natione Cæleſtis ſublimium appetit mentes, et quaſi ad proprios reuolans ortus appetit gloriam, & puritatem hominum irrūpere, quę de gloria, et puritate Angelorum erupit, vt quos inuenit participes naturæ, faciat conſortes ruinæ*. hęc ipſe loco citato. Tu verò, qualitèr in Cœlo ipſa ſe gerere optaret ambitio, perpende, dum ima dedignans in Paradiſo oriri voluit, nō in terra.

Iſai. c. 14.

Ambitio natione cœleſtis.

Hieronym.

In Cęlo diū manere non potuit.

10 Ex quo poſtea ſe eiectam videns, animo non concidit, ſed terreſtrem Paradiſum ingredi voluit, vt ibi ſaltem vitam duceret, ſi in loco Natiuitatis ſiſtere non potuerat, & ſic Protoplaſtum aggreſſa, ipſum, vt Angelos, Dei ſimilitudinem appetere fecit. *In quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: et eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, et malum*. Geneſ. 3. vndè D. Cyprianus de Ieiunio, & tentationibus Chriſti. *Adam in Paradiſo pulſauit ambitio, et ſtrauit; cùm ſubiectionem, quam Deo debebat faſtidiens, appetijt dominatum; et cùm eſſe vellet ſicut Deus, ſine Deo ſe vidit, et nouit*. A quo etiam terreſtri Paradiſo, ſicuti à cæleſti cum Adam expulſa, locum ſaltem, vbi reliquum vitæ exigeret, ſtuduit inuenire, et quem pro ſe magis idoneum exiſtimaret; diſertiſſimis verbis declarauit Bernardus ſer.

Geneſ. c. 3.

Cyprianus.

Adam è paradiſo exegit ambitio.

Bernard.

hom. 4. ſuper miſſus eſt, dicens: *Video pleroſque in Eccleſia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos, ſubitò intumeſcere, priſtinæ obliuiſci abiectionis, genus quoque ſuum erubeſcere, et infimos dedignari parentes. Video, quod magis doleo, poſt ſpretam ſæculi pompam, nonnullos in ſchola humilitatis ſuperbiam magis addiſcere, et ſub alis mitis, humiliſque magiſtri grauiùs inſoleſcere, et impatientes magis fieri in clauſtro, quàm fuiſſent in ſæculo. Quodque magis peruerſum eſt, plerunque in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in ſua non niſi contemptibiles eſſe potuerunt, vt quia videlicet vbi à pluribus honores appetuntur, ipſi locum habere non meruerunt, ſaltem ibi honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur*. Et ſic ambitio illa, quę nec in cælesti, nec in terreſtri Paradiſo diù perſiſtere potuit, nulla loci habita ratione, ibi ſaltem ſedem collocare cupit, ibique degere, vbi magis vigere deberet humilitas.

Monſtrum in ſchola humilitatis ambitio.

## Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Matth. cap. 20.

### §. III.

*Quia in ignominiam ruit, qui virtuti tanquàm baſi non innititur honor, virtus propterea prius eſt quærenda, quàm honor.*

1 TVllij ſemper fuit ſententia, quòd gloria, quæ radices non figit, túrpiter citò ruit; ſic ipſe de officijs: *Vera gloria radices agit, atq; etiam propagatur, ficta omnia tanquàm floſculi velociter decidunt, nec ſimulatum quidquam poteſt eſſe diuturnum*. Et ità proculdubio eſt: quia ſi honor, vt Ariſtoteles. 1. Ethic. ait, eſt præmium virtutis, qui ſupra firmos, ſolidoſq; virtutum lapides honoris, & gloriæ non erigit ſtructurã, ꝙ erexit citò ruere uidebit. Vndè dicere conſueuit Seneca: quòd *ſuperbi gloria citò fit ignominia*. Quam rem antiquitùs agnoſcentes Romani, vt refert D. Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate Dei. c. 13. Virtuti, & Honori, tanquàm duobus dijs, duas conſtruxerunt Ædes, ſiuè duo erexerunt Templa, ſic inter ſe diſpoſita, vt nullus poſſet Honoris ingredi Templum, ni priùs per illud tranſiret Virtutis; in ſignum, quòd veri honoris nunquàm quis conſequitur brauium, niſi priùs virtutum compleuerit iter: quod docere videtur Saluator, dùm primatum petentibus paſſionum calicem bibendum propoſuit. *Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Matth. 20. quod idem erat ac dicere: quid quietem ante laborem, honorem ante virtutem, & coronam ante congreſſum quæritis, ò diſcipuli? An neſcitis, quòd honor, qui radices non figit, vt abſciſſus floſculus, citò areſcit, & vt domus ſine fundamẽtis ruit? Propterea ego veſtram minus ſapientem petitionem reijciendo, ne areſiar flos, & ne cadat domus, laborem ante quietem, & calicem ante primatum propono. Vndè Ioannes Ferus in Chriſti perſona. *Neſcitis quid petatis. Quaſi diceret: delectat vos mentio Regni, quod longè aliud eſt, quàm ſomniatis: ſed in præſenti magis agendum eſt de afflictione, & Cruce, quæ eſt iter ad Regnũ. Petitis brauium, cùm nondum cucurreritis; petitis coronam, cum nondùm pugnaueritis: neſcitis quid petatis.* Et Rabanus in Catena citatus, verba explicans illa: *Neſcitis quid petatis. Neſciebant quid peterent; quia ſedem gloriæ à Domino, quã nondùm merebantur inquirunt. Delectabat eos culmen honoris, ſed priùs habebãt exercere viam laboris. Vndè ſubdit: Poteſtis bibere Calicem?* Ità ſanè virtutum brauium debet amplecti, qui ſperat ad honoris metam laudabiliter peruenire. Quod Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate Dei his verbis docuit. *Gloriam, & honorem non debet ſequi virtus, ſed ipſa virtutem.* Nàm ſi ſecùs fiet in opprobrium honor, & in ignominiam vertitur

Vera virtus radices figit, non ficta.

*Tull. Cicer.*

*Ariſtotel.*

Honor virtuti cõnexus

*Seneca*

*D. Auguſt.*

*Matt. c. 20.*

*Ioan. Fer.*

*Rabanus.*

*Auguſt.*

Cc gloria,

gloria, quod, quamuis obſcurè, ſententioſè tamen expreſſit Cato, qui die quadam interrogatus, Cur in platea inter tot illuſtrium virorũ ſimulachra,
*Cato.* ſuum non eſſet erectum? *Malo* (reſpondit ipſe) *percontari homines, cur mihi ſtatua poſita non ſit, quàm cur ſit*. Clariùs dicere volẽs: cum gloriã mereri, & non conſequi, longè maior ſit gloria, quàm aſſequi, & non mereri, ideò an poſitum, vel non poſitum ſit meum ſimulachrum, non curo; quia maior eſt laus, quòd deficiente ſimulachro, laudis non deſit materia, quàm ſi de-
*Stobæus etc.* ficiente iſta, non deficiat illud: quæ Ariſtotelis etiam fuit ſententia, qui te-
**Melius eſt, honorem mereri, quã tenere.** ſte Stobæo dicere ſolebat: *Præcipua dignitas eſt non frui honoribus, ſed ab alijs honoribus dignum iudicari.* Nã q̃ decorus eſt honor, q digno tribuitur, tã indeco-
*Prouer. c.3* rus, q indigno aſcribitur, dicente Salomone: *Gloriã ſapientes poſſidebunt, ſtultorum exaltatio ignominia.* Prouerb. 3. quod quàm verum ſit, ſequentia oſtendent.

2 Quòd indigni exaltatio, honor, & gloria iuxtà Salomonis ſententiã ignominiæ ſint dicẽdæ, nõ gloriç, minimè
*Eſther. c.6.* admodùm facilè mihi ſuadeo, cũ præcipuè id ex iiſdem indignis accipiam: nàm cùm Sceleſtus Aman, vt habetur ex lib. Eſther. c.6. ab Aſſuero Rege audiret: *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare deſiderat?* Non pro Mardochæo, vt Rex cogitabat, ſed pro ſe hæc dicta exiſtimans; ſic lætus Regi re-
*Ibidem* ſpondit: *Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus regijs, & imponi ſuper Equum, qui de Sella Regis eſt, & accipere regium diadema ſuper caput ſuũ, & primus de regijs Principibus ac tyrannis teneat Equum eius, & per plateam Ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcumq; voluerit Rex honorare.* ibidem. Magnus certè honor, magna exaltatio, per quam ſeruus à Domino non multùm differt, & à Rege dum regalibus induitur, parùm diſtat plebeius. Sed quod ſe mihi conſiderandum offert, eſt, aduerbium illud, *Sic, ſic honoratur*, &c. quod equidèm, vt video, non ſine magna ratione poſitum fuit: nàm indigni exaltatio, quæ à Rege tantùm, non à meritis procedebat, rectè explicari minimè poterat, niſi dicendo: ſic honoratur, quia idem ſonat, ly, *ſic*, ac ad contumeliam,
ad ignominiam, & contemptum: quia *Prouer. c.3*
ſi iuxtà Salomonis ſententiam. *Stultorum exaltatio, ignominia*. Prouerb. 3. in ſtulti exaltatione dici meritò poteſt, ſic honoratur, hoc eſt, ad contemptum, & **Indigno honor ad ignominiam confertur.**
contumeliam, non ad honorem, & gloriam exaltatur indignus, cùm ex exaltatione eius indignitas magis agno- *Lyranus,*
ſcatur. Quod confirmat Lyranus ſuper citata Salomonis verba per Simiæ ſimilitudinem dicendo: *Stultorum exaltatio, ignominia: quia tunc magis apparet turpitudo ſuæ fatuitatis; ſicut turpitudo poſteriorum Simiæ magis apparet, quando aſcendit in altum.* **Stulti eò turpiores, quó exaltantur.**

3 Porrò ſi tactç hiſtoriæ proſequemur ſeriem, aliud Aman dixiſſe, & *Eſther. c.6.*
aliud egiſſe videbimus, nàm Mardochæũ, ſic Rege iubente, omnibus regalibus, vt ipſemet dixerat Amã, indutum equitantẽ peditando præcedebat, atq; clamabat: *Hoc honore condignus eſt, quemcumq; Rex voluerit honorare.* ibidem. Sed quid eſt hoc, quod dicis, ò immemor? cur, vt dixiſti faciendum, non facis? cur prorsùs iiſdem verbis, quæ Regi propoſuiſti, nõ vteris? cur nõ dicis. *Sic honoratur?* &c. quòd relicto, *ſic*, *Hoc honore condignus eſt*, clamas, & prædicas, *quemcumque Rex voluerit honorare?* Sed, ò magnum iuſtorum; & *Ibidem.*
iniquorum, proborum, & prauorum diſcimen! quia priùs Regis verba pro ſe putabat dicta, vt optimè expreſſit ſacra pagina, dùm ait: *Cogitans autem in corde ſuo Aman, & reputans, quòd nullũ alium Rex, niſi ſe vellet honorare*: pòſt maxima honorum culmina, volens, nolens, concluſit: *ſic honorabitur*: &c. quod idem erat ac dicere: ad contumeliam, non ad honorem; ad contemptum, non ad gloriam, à Rege honoratur Aman: quia quò magis eleuatur in- **Indignus eleuatione decreſcit.**
dignus, eò magis apparet eius indignitas; quæ cùm in Mardochæo non exiſteret, relicto *ſic*, quod irriſionem, & contemptum indicabat, coactus eſt dicere: *Hoc bonore condignus eſt* &c. quod idem ſonabat ac: Non eſt ficta hæc Mardochæi laus, ſed vera; non eſt exaltatio ad contumeliam, ſed ad gloriam: quia ex virtute & merito
pro-

Digitized by Google

procedit: proptereà meritum cum honore copulo, dicendo: *Hoc honore condignus eſt*: vt agnoſcatur vnum ex alio oriri. Aliàs enim ſi virtuti non copularetur honor, dici oporteret, vt prius, *ſic honoratur*. Viuat ſemper Gerſonij memoria, qui hanc mihi ſubtilitatem ſuggeſſit, quùm ait: *Rationabile eſt, vt dicit Rex Aſſuerus honorando Mardochæũ, vt honore illo dignus ſit ille, quem Rex vult honorare, hoc honore honorabitur, quemcumq; Rex voluerit honorare*. Sic ipſe tom. 4. in ſerm. de Sanctis Petro & Paulo. Nàm ſecùs ſi fiet, qui honoratur, honore indignus erit, & in deriſum vertetur honor, & in opprobriũ mutabitur exaltatio. Ex quo non immeritò aliud Aman dixiſſe, & aliud egiſſe colligitur: quia quàm propter indignitatem indecora erat eius laus, tàm Mardochæi propter dignitatem decora.

*Gerſon.*

Honor, in quo fundatur.

4 Tali itaque afficitur dedecore, cùm honoratur indignus, vt Nabuchdonoſor ipſe, qui ſuprà modum ſuperbiebat quandoque, adorationem, quam ambiebat, non ſibi, ſed aureæ ſtatuæ iuſſerit impendi. *Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream, altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex* &c. *In hora, qua audieritis ſonitum tubæ, & fiſtulæ, & citharæ, ſambucæ, & pſalterij, & ſymphoniæ, & vniuerſi generis muſicorum, cadentes adorate ſtatuam auream, quam conſtituit Nabuchodonoſor Rex*. Daniel. 3. Cauſam autem ob quam, non ſe, ſed ſtatuam adorandam propoſuerat, illam puto fuiſſe, quã modò tetigimus; nè ſcilicet, virtuti non innixus, in ignominiam rueret honor, & exaltatio irriſionis fieret occaſio: proptereà non ſibi, ſed ſtatuæ honorem iuſſit impendi. Vndè Carthuſianus ſuper illud Prouerb. 26. *Quomodò nix in æſtate, & pluuia in meſſe: ſic indecens eſt ſtulto gloria*, dixit: *Sunt enim ſtulti exaltatione, honore, & prælatione indigni, & quantò plus promouentur, ac ſublimantur, tantò eorum ſtoliditas magis apparet*, quæ nè appareret, honorem, quem ſuperbus ambiebat, ſtatuæ tribui præcipiebat.

*Daniel. c. 3.*

*Carthuſian.*

*Prouerb. c. 26.*

Stultus ſublimatus efficitur ſtultior.

5 In merito igitur honoris radices figere debemus, & ſuper firmas virtutum baſes omnis exaltationis erigere debemus ſtructuram, vt verus appareat honor, & ſecurum perſiſtat ædificium. Quod Romanis ſignificare voluit Paulus, quùm eis in hunc modum ſcripſit. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum*. c. 2. quod idem erat, ac dicere: erratis certè, Romani, erratis non parùm, ſi virtutem non quærentes, honorem ſectamini: ideò bonorum operum priùs iacite fundamẽta, & ſtatim abſq; alio labore veri honoris ſtructuram ſurgere perſpicietis: quia ſicuti præmiſſas ordinatè diſpoſitas de ſe neceſſariò ſequitur cõcluſio; ſic virtutẽ neceſſariò ſeqtur honor. Quod vt clariùs innoteſcat, adduco locum illum. *Cùm aperuiſſet librum, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coràm agno, dicentes: dignus es Domine* &c. Apocalyp. 5. Super quæ verba, vt obſeruauit Ioachimus Abbas, Agni glorias canere voluerunt ſenes, ſed pòſt libri apertionem, non ante; vt oſtenderent, quòd niſi priùs meritorum aperiatur liber, laudis non ſequitur retributio; ſed, vt virtutis leguntur opera, ſtatim veri honoris præconia extolluntur. Cuius verba ſunt hæc: *Poſtulat autem Filius à Patre non alienam claritatem, ſed propriam, quæ ſibi ab infidelibus negabatur, & quæ hic à fidelibus demonſtratur exhibita: ſed hoc vndè? Profectò ex libri apertione*. Ecce quomodo inſtar concluſionis præmiſſas ſequentis, honor virtutũ opera ſequitur; & proptereà virtutes & merita coaceruare debet, qui honores venatur & laudes.

*Ad Rom. c. 2.*

*Apocalyp. c. 5.*

*Ioachim Abbas.*

Honor ex virtute oriri debet.

6 Supra modum hanc veritatem, quòd pòſt virtutes, non antè expectandus eſt honor, vt verus dicatur, docuit ipſe cœleſtis Magiſter, qui die quadam (vt ait Ioannes cap. 17.) eleuatis in Cœlum oculis Patrem ſic alloqui cœpit: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*: Quæ verba quoties perpendo (ſalua ſemper omni reuerentia) non poſſum ad ipſum non dicere: quid eſt hoc, quod dicis, ò Domine? *Venit hora, clarifica*. Si te laudãdi nũquã defuit materia, cur horam nunc aduenisſe dicis, non ante? *Venit hora, clarifica*. An fortè quia illam horam nunc præſentem agnoſcis, quæ in nuptijs nondùm aduenerat? *Quid mihi, & tibi eſt mulier?*

*Ioan. c. 17.*

*Ioan. c. 2.*

*nondùm venit hora mea*. Ioannis c.2.& propterea horam aduenifſe dicis?Eſto: maximè cùm ab Vgone Cardinali hęc opinio non diſcordet, qui dicit: *Venit hora de qua ſupra. Ioannis 2. Nondùm venit hora mea*. Sed quæ hora ſit iſta, quæ tunc vt futura, nunc vt præſens deſcribitur, non intelligo: præcipuè cùm ſciam, quòd temporis legibus ſubiacere non poterat, qui tempus fecerat: & tandem pòſt longam, diligentemq; inquiſitionem D. Thomam reperi dicentem; quòd hora hęc laudis, & gloriæ, manifeſtationis, & claritatis hora erat, non alia: quam propterea tunc aduenifſe dicebat, quia etſi ab inſtanti conceptionis ſummis laudibus eſſet dignus: tamen tunc præciſè laudis tẽpus adeſſe, dicebat: quia iàm ieiunia, vigiliæ, peregrinationes, prædicationes, peccatorum vocationes, & Iudæorum perſecutiones præceſſerant; quæ quia in nuptiarum tempore facta non fuerant, ideò nunc, non tunc, laudis, & clarificationis horam aduenifſe dicebat. Quod luculenter nimis in catena ſuper verba illa. *Nondùm venit hora mea*. Ioannis 2. explicauit relatus Thomas, quùm ait: *Vocandi erant diſcipuli, annunciandum erat regnum Cælorum, facienda erant virtutes, commendanda erat humilitas Domini in paſſione: & vbi tantùm fecit, quantùm ſufficere iudicauit: Venit hora, non neceſſitatis, ſed voluntatis, non conditionis, ſed poteſtatis.* Pulchra ſanè verba, quæ optimè probant noſtrum inſtitutum, & præcipuè illa; *vbi tantùm fecit, quantùm ſufficere iudicauit, venit hora*: quàm verum ſit, quòd virtuti priùs ſit incumbendum, quàm glorię, oſtendunt.

*Vgo Card.*

*Thomas Aquin.*

Virtuti prius quàm glorię indulgẽdum.

*Ioan. c. 2.*

*D. Thom.*

7 Cæterùm, quænam fuerit hæc glorificatio, quam non in alio, niſi ſtatuto tempore, & debita hora à Patre popoſcit Saluator, quærit D. Auguſtinus tract. 104. in Ioannem, in quo pòſt aliqua concludit, hanc Domini glorificationẽ eſſe exaltationẽ eius nominis, quæ quia ab eius reſurrectione ſumpſit exordium; eadem hora erat reſurrectionis, & nominis exaltationis, quam Dominus aduenifſe dicebat: *Venit hora, clarifica*. Verùm cur nominis exaltatio debita hora, tempore nempè reſurrectionis fieri debebet, non antea; oriri poſſet difficultas, niſi Theologorum occurreret Schola; quæ quamuis Chriſtum pro ſe non potuiſſe mereri apertiſſimè doceat: tamen ſemper aſſeruit nominis exaltationẽ ſub merito cecidiſſe. Quod cùm verũ ſit, facilè ſolui poterit difficultas; cur determinato tempore, & reſurrectionis hora, non antè, nominis exaltationem poſceret: quia ſi hæc ſub merito cadebat, nonniſi præcedentibus meritis poſci, & expectari debebat; & ideò reſurrectionis horam, tempus claritatis vocabat: quia tunc omni prorſùs conſummato certamine, iure expectari poterat nominis exaltatio. Quod expreſſit Apoſtolus Paulus his verbis: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*: Ad Philippens. c. 2. quæ verba & ſi magnam habeant illationem, illa tamen, *propter quod & Deus exaltauit illum &c.* maximam habent vim ad oſtẽdendum, quòd ob coaceruationem dolorum, paſſionum, & meritorum ſit cõceſſa nominis exaltatio, vt optimè dixit Auguſtinus loco præfato. *Hæc eſt glorificatio Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ ab eius reſurrectione ſumpſit exordiũ. Humilitas ergò eius incipit in ſermone Apoſtoli ab eo loco, vbi ait: ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & peruenit vſq; ad mortem Crucis. Claritas verò eius incipit ab eo loco, vbi ait: Propter quod & Deus exaltauit illum. Humilitas claritatis eſt meritum, claritas humilitatis eſt præmium: ſed hoc factum eſt in forma ſerui.* hactenùs ipſe. Ex quo ſatis apparet Chriſtum ipſum, quod mereri poterat, antè meritum nón expectaſſe, ſed pòſt. Vndè Cardinalis Vgo in perſona Chriſti, verbis tamen ex Auguſtino deſumptis, dixit: *Venit hora, de qua ſuprà, nondùm venit hora, clarifica Filium tuum: præmittens meritum paſſionis, petit claritatem reſurrectionis*. Et hæc (niſi opinione decipior) nominis nempè exaltatio, & reſurrectionis prædicatio, ſunt illæ gloriæ, quæ poſteriores vocari ſolebant à Petro: quia ſi poſterius dicit ordinem ad prius, ſic dictæ exaltationes ordinẽ dicebant ad meritum: Vndè vbi noſtra

Vul-

*Ioan. c. 17.*

*Ad Philip. c. 2.*

Chriſti humilitas exaltationis origo.

*Auguſt.*

Claritas humilitatis eſt præmium.

*Vgo Card. ex mente Auguſtin.*

Vulgata legit: *Prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias.* 1. Petri. c. 1. explicat Gloſſa interlinealis: *Prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & tardas glorias, diù deſideratas, præcedentibus meritis.* Quæ omnia ſi vera, imò veriſſima ſunt; primatum petētibus, ideò paſſionis calicem proponit Saluator, quia per hoc inſtruere intendebat mortales, virtutem eſſe priùs quærendā, quàm honorē, ne ſecùs ſi fiat in contemptum honor, & in cōtumeliam omnis vertatur exaltatio.

*Gloſſa Int.* — Gloriæ ſunt poſteriores meritis

**Poteſtis bibere calicem, quē ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis. Matth. c. 20.**

### §. IV.

*Quàm laborioſa ſit via, & quàm anguſtus Cœli aditus, expenditur.*

1 AD terrenam gloriam ſi difficilis eſt acceſſus iuxta illud Ouidij. 4. Triſtium. 3.

*Ardua per præceps gloria vadit iter.*

*Ouidius.*

Vndè quot laboribus, atq; ſudoribus à mundanis acquiratur, alio carmine declarauit idem 2. Pont. 7.

*Artibus ingenuis quæſita eſt gloria multis.*

*Idem.*

Quod quàm verum ſit, oſtendit Agamemnon Atrei, & Aeropes filius, frater Menelai, qui gloriæ cupidus, expeditione à Græcis accepta aduerſùs Troianos ob Helenæ raptū, in immani bello nō ſine magnis laboribus, & periculis decennium expendit. Vlyſſes etiam huius ardore non minus exæſtuans Polyphemum gigantem monoculum, qui omnes ſocios deuorauerat, magno cū vitæ diſcrimine interemit. Et tandem, nè multa de re hac adducam, quantis laboribus, & periculis humanos plauſus ſibi captaret Hercules, cecinit, Boetius 4. de conſolat.

Mundana gloria laborum, ac periculorum fœtus eſt.

*Herculem duri celebrant labores,*
*Ille Centauros domuit ſuperbos,*
*Vltimus Cœlum labor irreflexo*
*Suſtinuit collo.*

Et concludit.

*Ite nunc fortes, vbi celſa magni*
*Ducit exempli via.*

Quæ omnia, multaque alia, quæ dicī vix poſſunt, ſi pro terrena gloria impendere, & perpeti eſt neceſſe: quid efficere, quid ſuſtinere, & quid denique pati oporteat pro cœleſti gloria, quæ terrena ſine comparatione maior eſt, innuat aliqualiter Saluator, dùm diſcipulis primatus dulcedines petentibus amariſſimæ paſſionis calicē bibendum prædicit. *Calicem quidem meum bibetis.* Vbi Hieronymus in Catena citatus. *Calicem in ſcripturis diuinis Paſſionem intelligimus, vt in Pſalm. Calicem ſalutaris accipiam: ſtatimque infert, quis iſte ſit Calix: pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius:* ac ſi diceret: Quid quietem, ſeſſionem, & famam affectatis, ò Diſcipuli? potiùs quibus laboribus vos conterere, quas vias currere, & quas paſſiones ſubire debeatis, conſiderate: nàm ſi regnum Cœlorum vim patitur, & uiolenti tantùm rapiunt illud; quibus violentijs illud acquirere debeatis, perpendite: propter quod *Grandis eſt. n.* (clamat D. Thomas in catena ſuper cap. Matth. 11.) *uiolentia, in terra nos eſſe generatos, & Cœlorum ſedem quærere, & poſſidere per virtutem, quæ non tenuimus per naturam.* Et Carthuſianus ſuper idem artic. 22. *violenti ſunt ergo, qui deſiderio Patriæ ſe ipſos quotidiè mortificant, carnem ſuam cum vitijs, & concupiſcentijs crucifigentes: qui dicere poſſunt cum Propheta: propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* De qua uiæ difficultate, & portæ anguſtia, noſtra erit præſens tractatio.

*Matth. c. 20* — *Hieronym.* — Cœleſtis gloria laboribus multis acquiritur. — *Thom. in catén.* — *Carthuſ.* — Violenti illam rapiunt

2 Agnus, quem cum ingenti multitudine ſuper montem Sion uidit Ioannes: *Agnus ſtabat ſuprà montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* Apocalypſ. 14. quòd Chriſtum cum Beatorum *Apoc. c. 14*

rum

rum caterua in cœleſti gloria figurararet, ſole clarius eſt: quod tamen ſcrupulum ingerere poſſet, eſt: cur nō in vallibus, nec in planitie; ſed in mōtibus, imò in altiſſimi montis cacumine apparere voluit? *Suprà montem Sion.* Si dicis, quòd per montem, Cœlum figurabatur & gloria, iuxtà illud Dauidis Pſal.67. *Mons Dei, mons pinguis, Mons coagulatus, mons pinguis. Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo,* adhuc tactæ difficultati locus manet: quia idipſum per agrorum, atq; camporum plana, ad quæ Sponſa Sponſum inuitabat, dicendo: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Cant.7. rectè inſinuari poterat. Cur igitur per montem potiùs Celeſtis gloriæ figuram oſtendere voluit, quàm per aliud, ſi commodè aliter fieri poterat, quòd dicitur: *Vidi suprà montem Sion Agnum ſtantem?* Pro cuius difficultatis ſolutione ad alium ſcripturæ locum recurro, & eſt ille Canticorum 7. *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius:* vbi per palmæ fructum, beatitudinem figurari aſſerit D. Bernardinus. tom. 2. feriæ 6. in Paraſceue ſerm. 56. & rationem aſſignat, cur per hos fructus potiùs, quàm per alios celeſtis gloria ſignificetur, dum dicit; quòd ſicut Dactylus ceteris fructibus dulcior eſt & ſuauior, ſic celeſtis beatitudo omnem creatam dulcedinem, atque ſuauitatem ſine proportione ſuperat, & excedit: ſed ſi in palmam, non ità facilis, ſicut in cæteras arbores eſt aſcenſus; quoniam propter ſuam altitudinem non ſine laboribus, ac ſudoribus ad eam ſcanditur, ſic ad celeſtem gloriam per tribulationes, dolores, & neces peruenitur, non aliter. *Aſcendam in palmam* (verba ſunt præfati Bernardini) *nàm ſuauius putatur bonum, quod cum labore acquiſitū eſt.* Itaq; propterea dactylo comparatur beatitudo, vt, quantùm de virtute in virtutem aſcendendo, laborandum ſit, intelligatur. Ex quo prioris difficultatis patet ſolutio, nempè, quòd propterea non in camporum planitie, ſed in montis cacumine, cum ſequentium Beatorum caterua apparere voluit Agnus, vt, quibus itineribus, laboribus, ac ſudoribus gloria acquiratur, intelligamus. Ità Gregorius lib. 5. in 1. Regum cap. 13. *Niſi valdè fortes eſſent, ad tantam celſitudinem fatigati aſcendere nequaquàm poſſent.* Ecce quomodò dactyli dulcedo laborum amaritudine comparatur: nàm niſi fortiter aſcendatur ad montis faſtigiū, per quod Agnus cum Beatorum multitudine ſpatiatur, perueniri non poterit.

*Pſal.67.*

*Cantic.c.7.*

*Ibidem.*

*Bernardin. Senenſis.*

Cur dactylo comparata.

*Gregorius*

In montis cacumine diuinus agnus videtur, & quare.

3 Idipſum Apoſtolis Saluatorem oſtendiſſe reperio, quandò, vt ipſis ſe transfiguratum oſtenderet, eos ſuper altiſſimi montis verticem duxit. *Duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & trāsfiguratus eſt ante eos.* Matth. 17. tacitè (ni fallor) dicere volens: ſi vt gloriæ vmbram, celeſtiſque dulcedinis guttam guſtare poſſitis, itineris labores, & mōtis aſperitates ferre debetis: quæ vobis pro celeſti gloria ferenda, & ſuſtinenda ſunt, ex hoc facilè colligere poteritis. *Arduus quidem aſcēſus* (ait Bernardinus Senenſis ſerm. de quadruplici debito) *vtpotè per ipſam montis ſummitatem oſtenditur.* Nil igitur mirum, ſi ſemper in montibus oſtenditur Dominus: quia per quas vias ſit aſcendendum in Cœlum, innuitur.

*Matt. c.17.*

*S. Bernard. Senenſis.*

Ardua, atque difficilis cœli via.

4 Nec ſolùm per montium aſperitates aſcendere debet, qui ad cœleſtem gloriam peruenire exoptat; ſed Crucē ipſam, veluti ſcalā quādā intrepidè ſcandere oportet eum, qui ſupernæ beatitudinis particeps eſſe deſiderat. Adſit pro re hac Sanctiſſimus Iacob, qui morti propinquus Ioſephi filiis, Ephraim videlicèt, & Manaſſe benedicere volens, cancellatis manibus, brachijſq; in modum Crucis extēſis, id faciendum exiſtimauit. *Extendēs manū dexterā poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris: ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat, commutans manus.* Gen.48. Qua in re ſubtiliter inquirit D. Bonauentura: cur nō rectis brachijs, ſed commutatis manibus nepotibus benedicere voluit Iacob? ſi per hoc minorem ad leuam conſtitutum, maiori præferre volebat, vt ille, qui etſi ætate minor, gratijs tamen maior eſſe debebat, vt Ioſepho filio rem indignè ferenti, declarauit ſanctiſſimus ſenex: *Scio, fili mi, ſcio: & iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur: ſed frater eius*

Crux ſcala eſt.

*Geneſ. c.48*

*Ibidem.*

minor

*minor, maior erit illo, & ſemen illius creſcet in gentes.* ibidem. Vel ipſos commutare poterat, ad dexteram minorem vocando, & ad ſiniſtram maiorem, vel ſaltem vtraq; manu priùs vni, deindè alteri benedicere poterat: cur igitur ſic, cancellatis manibus eis benedicere voluerit, haud facilè intelligi poſſet, niſi ipſe idem Bonauẽtura, qui difficultatem tetigit, eam ſoluiſſet, dicendo. *Iuſto igitur Dei iudicio eſt correſpondentia, vt ſit tranſitus à contrario in contrarium, à tribulatione, ſcilicet, ad conſolationem, & à conſolatione ad æternam afflictionem, ad modum cuiuſdam Crucis, in cuius figura dicitur de Iacob, quòd in benedictione filiorum Ioſeph; manus cancellauit ad modum Crucis:* hactenus ipſe in cap. Luc. 16. Audis quare non porrectis brachijs, ſed cancellatis, nepotibus benedicere voluerit Iacob? quia Crucem efformare volebat: vt intelligerẽt benedicti, quòd à laboribus ad quietẽ, & à Cruce veluti à termino à quo, ad benedictionem vt ad terminum ad quem peruenitur. Ex quo quàm laborioſa ſit Cœli via, ſatis patet dùm non ſolùm colles tranſire, & montes aſcendere debet, qui ad metam peruenire deſiderat: ſed Crucem ipſam fortitèr amplexari, & eam ſcandere oportet, qui æternæ ſalutis brauium pertingere cupit.

*S. Bonauen.* Per ipſam aſcendere debet, qui Cęlum ſcādere cupit.

5 Nec ſolùm laborioſa eſt Cœli via, ſed etiam anguſta eſt porta, & difficilis aditus, vt proprio ore declarare dignatus eſt cęleſtis Magiſter, cùm ait: *Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Matt. 7. Vndè Gloſſa ſuper verba illa. *Intrate per anguſtam portam* Matth. ibidem. *Quid anguſtius illo foramine, quod vnus ex militibus in latere Chriſti aperuit? Per quas tamen anguſtas portas penè totus mundus intrauit.* Cuius tamen portæ anguſtia, vt magis appareat, puerum illum in medium ſtatuo, quem etiam in diſcipulorum medio ſtatuit Saluator, quando de cœleſti ingreſſu loquens ſic ait. *Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Matth. 18. Quare autem puerorum naturam aſſumi præcipiat, multæ à Sanctis Patribus rationes adducuntur: quarum prima eſt: vt innocentiam, amorem, & humilitatem doceret: pueros nos ſectari præcepit: q. dixit D. Thom. in catena. *Sicut iſte paruulus, cuius vobis exemplum tribuo, non perſeuerat in iracundia, videns pulchram mulierem non delectatur, non aliud cogitat, & aliud loquitur: ſic & vos, niſi talem habueritis innocentiam, & animi puritatẽ, in Regnum Cœlorum non poteritis intrare.* Et Hilarius ab eodem citatus. *Hi enim patrem ſequuntur, matrem amant, proximo velle malum neſciunt, curam opum negligunt: non inſoleſcunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiũt, verum habent.* Ex Lyrano tamen ad rẽ noſtram ego aliam rationem elicio: quia Cęli porta anguſta eſt, & adeò arcta, vt non magnos, nec elatione tumidos; ſed paruos tantùm, & graciles ſolummodo capere poſſit; quod cùm ſciret Saluator, paruulũ, imò vt Chryſoſtomus ait, *Valdè paruulum* proponens, quàm propria æſtimatione exiguus eſſe debeat, qui per tàm anguſtã portam ingredi cupit, oſtendit. *Nàm anguſta eſt porta* (ait præfatus Lyranus) *vt dicitur ſupra 7. cap. propter quod magni per ſuperbiam tranſire non poſſunt per ipſam, ſed humiles tantùm: ideò concluditur, quicumq; ergò ſe humiliauerit.*

*Matt. c. 7.*

*Ibidem.*

*Gloſſa.* Porta Cœli quàm anguſta.

*Matt. c. 18.*

*D. Thom. in catena.* Paruuli naturam, & mores imitari debent qui Cęlum ingredi cōtendunt.

*Hilarius.*

*Chryſoſt.*

*Lyranus.* Superbia magnos Cęli porta non capit, ſed humilitate paruos.

6 Commodè nunc illius magnæ difficultatis, cur Chriſtus priùs caput inclinare voluerit, quàm ſpiritum emittere, dicente Ioanne: *Inclinato capite, tradidit ſpritum.* cap. 19. haberi poterit ſolutio: nàm, quàmuis oppoſitum in alijs experientia doceat, dùm ipſos priùs expirare, quàm caput inclinare videamus, vndè Chryſoſtomus ho. 84. in Ioannem. *Atqui non pòſt inclinatum caput expiratur, ſed pòſt expirationem caput inclinatur, hic autem contrarium accidit: nàm inclinato capite emiſit ſpiritum;* & licèt ob id, hoc factum aſſerat Chryſoſtomus hom. proximè citata: Theophylactus, Euſebius, Auguſtinus, multique alij, vt ſe mortis Dominum oſtẽderet, dùm ipſam ad Vitæ conſpectum trementem, vt accederet, aduocauit. Aliam tamen rationem ad pręſens noſtrum inſtitutum adducit Ioannes Ferus ſuper cap. 7. Matth. vt doctrinam, quam de Paradiſi ingreſſu verbis tradiderat, factis confirmaret, caput prius inclinare voluit, quàm expirare; vt quã angu-

*Ioan. c. 19.*

*Chryſoſt.* Ante mortẽ caput inclinat Saluator, & quarè.

*Theophil.*

*Euſebius.*

*Auguſt.*

*Io. Ferus.* Porta Cœli adeò anguſta, vt curuos tãtùm, & decliues admittat.

anguſta ſit porta, quæ curuos tantùm, non rectos capere poteſt, intelligeremus. Præcitatns Ferus. *Non facilè tranſibit per anguſtam portam, qui extento, & erecto collo incedit, niſi ſe inclinet. Nõ facilè tranſibit, qui diſtento corpore eſt, qui ſarcina graui ac magna onuſtus eſt, niſi eam abijciat: hoc ſibi vult Chriſtus, nempè, quòd porta ad vitam arcta & anguſta eſt*. hactenus ipſe. Tu verò, dum decliues tantùm, & curuos ſolummodò ianuam admittere, atq; capere vides, quàm rationabilitèr puerorum naturam aſſumi præcipiatur, haud facilè deducere poteris.

*Iob c.2.* Cur ſaniem radebat Iob?

7 Ianuam nunc cuidam celebri difficultati aperio, ſcilicèt, cur Iob bonis omnibus expoliatus, in ſterquilinio auguſtiùs, quam in Regali ſolio ſedens, lepram, qua veluti opere auro intexto operiebatur, teſta radere voluit? ſacra dicente pagina: *Egreſſus igitur Satan à facie Domini, percuſſit Iob vlcere peſſimo, à planta pedis vſq; ad verticem eius: qui teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio*. cap. 2. At omiſſa difficultate, quam alibi me tetigiſſe recordor, nempè; cur teſta potiùs, quàm lapide, vel ligno ſaniem radere vellet, quòd dicitur: *Teſta ſaniem radebat*? Non in radendi inſtrumento, ſed in ipſa raſura pauliſper morans: cur radere potiùs, quàm vngere, vel fouere voluerit, inquiro: & relicta Origenis opinione, quòd propterea plagas complanare voluit, non linire; quia dolorem augere, non minuere ſtudebat; ſic ipſe lib. 2. in Iob. Aliam adducere rationem non erit incongruum, & eſt: quia quod diſcipulis Cœlum ingredi cupientibus dicturus erat Saluator: *Intrate per anguſtam portam*: Matth. 7. fortè cum ſpiritu præſciret diuino, non tantùm puerorum naturam aſſumere voluit, vt faciliùs ei Cęli aditus pateret; verùm etiam ad puerorum paruitatem (ſi fas eſt dicere) corpus radendo extenuare ſtudebat, vt commodiùs per anguſtam cęli portam ingredi poſſet. Cui cogitato fauere videtur Carthuſianus art. 5. ſuper idem his verbis. *Fragmento fictilis vaſis ſaniem radebat, ideſt, ſcatentes ex vermibus humores durè depoſuit, itá quod magis abraſit, quàm terſit*. hæc ipſe. Verùm Io. Ferus ſuprà caput 7. Matth. ſatis clariùs rem confirmauit, cùm ait: *Nàm per anguſtam portã intraturus, oportet, quòd ſe quantùm poteſt contrahat, & extenuet*. Ecce cur ſaniem radere voluit Iob: quia ipſam radẽdo, corpus minuere ſatagebat, ne portæ coarctaretur anguſtia.

*Origenes.*

*Matth. c.7.*

*Carthuſ.* Corpus ſuũ radebat Iob, vt puerorũ paruitatem imitaretur.

*Io. Ferus.*

*Cant. c.3.*

8 Quod argumentum proſecutus eſt Paſchaſius ſuper illud. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi*. Cant. 3. cùm non immeritò ſponſam virgulæ comparari aſſerit, quia vt ſine impedimento per arctam ianuam tranſire poſſet, ſe ſic extenuare voluit, vt virgulæ gracilitatem imitari videretur. Prefatus Paſchaſius. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut virgula? ac ſi dicatur. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit viam, quam pauci inueniunt, & ſi inuenerint, quomodo ſic dirigitur, & attenuatur, vt fumi virgulæ comparetur? Anguſta enim eſt porta, & arcta eſt via, quæ ducit ad vitam*. Cuius anguſtiæ Ioã Baptiſta minimè ignarus dicere conſueuerat. *Illum oportet creſcere, me autem minui*. Ioann. 3. Perindè ac ſi diceret: ſi tã arcta eſt Cęli porta, quòd ſe abradere, extenuare, & in virgulę tenuitatem redigere debet, qui facilè per eam tranſire exoptat, quomodo ego, qui & magnum ab Angelo, & omnibus ex mulieribus ortis maiorem à Chriſto me vocatum ſentio, per tam anguſtam portã adeò magnus ingredi potero? Scio quid faciam, ex magno paruum, & ex maiore minorẽ me vocabo, vt ſine impedimẽto Cęlum adire poſſim, & ingredi. Vndè Auguſtinus in catena relatus ad interrogationem à ſe factam. *Quid eſt hoc: illum oportet creſcere, me autem minui? Deus non creſcit, nec minuitur*. pòſt aliqua ſic reſpondet. *Ioannes capite minutus eſt, Chriſtus autem in Cruce exaltatus*: ac ſi diceret: ſi ad Chriſti ſimilitudinẽ caput inclinare, & paruulorum naturam aſſumere, imò ſi ad virgulæ gracilitatem, corpus radendo redigere debet quiſquis ianuæ anguſtia coanguſtari timet, meritò Ioannes minorari deſiderat, vt commodiùs ingrediatur.

*Paſchaſ.* Inſtar virgulæ attenuatur ſpõſa, vt faciliùs per arctam Cœli ianuã ingrediatur.

*Ioan. c.3.*

*Auguſt.* Ioannes Baptiſta minorari cupiebat, nè portæ anguſtaretur anguſtia.

*Luc. c.24.* Saluatoris verba. *Oportuit hæc pati Chriſtum, vt ità intraret in gloriam ſuam*, quomodo intelligenda.

9 Aureus tandèm ad hoc, de quo loquimur, eſt locus ille. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ità intrare in gloriam ſuam?* Luc. 24. Quia ſicuti per ly, *Hęc*, paſſio, ſic per illud aduerbium, *Ità*,

cum

modus patiendi exprimitur, vt ſit ſenſus: pede ſuprà pedem coaptato pati debebam, vt ſic non aliter in gloriam intrarem. Verùm cur pedibus ſic clauatis Cęlum verſùs ambulare opus fuiſſet, explicat Sebaſtianus Gomezius, dùm dicit; quòd tàm arcta eſt via, & adeò anguſta eſt Paradiſi porta, vt cùm vtriuſq; pedis veſtigia capere minimè poſſit, vnum ſuper alterum immittere ſit neceſſe. Quod & factis, & dictis declarauit Saluator: factis quidē dùm complicatis pedibus crucifigi voluit: verbis vero, cū ſe, *Ita*, hoc eſt, pede ſuprà pedē poſito, in gloriam introiſſe declarat: Cui meæ expoſitioni aſtipulatur præfatus Gomezius ſuper verba illa. *Omnis vallis implebitur.* Luc. 3. hīs verbis. *Eſt enim tam anguſta via ad vitā, vt per eam altero pede ſuper alium Chriſtus Dominus in Cruce iter fecerit ad Cœlū: quapropter Diſcipulis ſuis in Emaus euntibus dicit, quòd oportuit Chriſtum pati, & ità intrare in gloriam ſuam, ità, inquam, vno ſcilicèt pede ſuper alium: quapropter multi Sancti excoriati fuerunt, ex quibus fuit Bartholomæus, cui pellis fuit ad hoc etiam detracta.* Quæ omnia luce ipſa clariora cùm ſint, ſe ipſum vnuſquiſq; metiatur, & ſic an Cęli aditus cum admittere poſſit, intelligat.

*Luc. c. 3.*

Quare Chriſtus altero pede ſuper alio Cruci affigi voluit.

Gomez.



Digitized by Google

# FERIA QVINTA
## POST
# DOMINICAM SECVNDAM
## QVADRAGESIMAE.

**Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & byſſo: & epulabatur quotidiè ſplendidè. Luc. 16.**

### §. I.

*Tentationum tentatio gula cenſeri meritò debet, quæ ſæpè vincit, & raro vincitur.*

1 MAgna prorſus diuitis iſtius ingluuies, quæ ciborum pretioſitate, & varietate, nec ſemel, nec iterùm ſaturata, quotidiè expleri ſatagebat. *Homo quidam erat diues,*

Luc. 16. *qui induebatur purpura, & byſſo: & epulabatur quotidiè ſplendidè.* Luc. 16. verùm

Intemperãtiæ vis. eius inexplebilitatis non miror: quia ſic valida eſt gulæ tẽtatio, vt cùm ei vix ſit, qui reſiſtere valeat, vt plurimum, quandiù epulandi poſſibilitas adeſt, tandiù epularum finis deeſſe ſolet. Quod agnoſcens Salomon tantæ tentationis faciem (ſi dicere liceat) pertimeſcens belligerandi occaſionem declinare cupiebat: dùm non opes deſiderabat, nec diuitias cupiebat; ſed tantùm vitę neceſſaria poſtulabat. *Mendacitatem, & diuitias ne dederis mihi: ſed tantùm victui meo tribue*

Prou. c. 30. *neceſſaria:* Prou. 30. quam rationabilẽ petitionem conſiderans Ambroſius, in precationibus ad miſſam, precatione

*Ambroſ.* ſecunda: in ipſius perſona hunc ait in modum. *Aufer à me propter magnam*

Rerum affluentia minimè appetenda. *miſericordiam tuam omne ciborum noxiũ deſiderium, congruamq; ſeruo tuo eſcarum propitiùs tribue abſtinentiam, vt intra neceſſarium modum proprium temperem appetitum, remotaq; à me omni prorsùs crapula, & ebrietate, ſetiam penuriam pati:* quod idem erat ac dicere: qui hoſte ſe inferiorem agnoſcit, illum cauere, non aggredi debet, ne victus, occiſuſq; remaneat: & cùm pauci ſint, qui gulæ ſe reſiſtere poſſe agnoſcant, pugnandi cum ea fugienda eſt occaſio, non quærenda: ideò non bonorum copiam, nec diuitias; ſed tantùm vitæ poſtulo neceſſaria, vt ſaltem ſic intrà temperantiæ fines perſiſtere valeam; intrà quos, cùm diuitijs abundaret Epulo, nec ſemel quidèm contineri

valuit: ſed *Epulabatur quotidiè ſplendidè. Quotidiè ſplẽdidè* (dicit Carthuſ. ar. Noxia eſt

39.) *hoc eſt, delicatè, crapulosè, ſuper-* *Carthuſian.*

*fluè, pomposè: excedendo in ciborum, & potuum multiplici varietate, exquiſita præparatione, ſumptuoſa, ſeù pretioſa conſumptione, vaſorumq; ornatu curioſo, ac ſplendido: atq; in his aſſiduus fuit, gulam in conſuetudinem vertens.* O magnam tentationis iſtius vim, quæ & in

terreſtri Paradiſo primum hominem Epulonis vanitas.

ſtrauit, & multos pòſt ipſum vicit, ac (nè in longum ſermonem protraham)

mundum totum ſic ſemel infecit, vt *Chryſoſt.*

diluuij aquis eum mundare, atq; purgare oportuerit! Vidè Chryſoſtomus homil. 13. ſuper cap. Matt. 4. *Adam de Paradiſo intemperantia ventris eiecit, etiã diluuium ſub Noè iſta commeruit, & fulmina in Sodomitas ipſa deduxit. Quod Ezechiel quoque notando dicebat: veruntamen hoc erat peccatum Sodomorum; quoniam in ſuperbia, & in ſaturitate panum,*

*& in*

*& in abundantijs effluebat*. Verùm pro præſenti inſtituto ſequentia percurrere non diſpliceat.

*Ad Hebr. c. 4.*

2 Verborum illorum Pauli Apoſtoli. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum per omnia.* Ad Hebræos 4. explicationem audire mallem, quàm dare: nàm quomodò Chriſtus Dominus per omnia fuerit tentatus, ſi tantùm gulæ, auaritiæ, & inanis gloriæ armis ab infernali hoſte inuaſus fuit, vt refert Matthęus cap. 4. vltrà quas tentationes; alias à Diabolo explicitè ſaltè ipſum tentatum fuiſſe, ſcriptura non narrat, penitùs non intelligo; pręcipuè cùm nec de ira, nec de accidia, nec de alijs tentatum legamus: & tamen per omnia tentatus deſcribitur. *Tentatum per omnia.* Quæ difficultas enucleari alitèr minimè poteſt, niſi alio ſcripturę loco, illo videlicet: *Conſummata omni tentatione, receſſit Diabolus.* Lucę 4. quia ex his verbis, veluti ex claris, neceſſarijſq; pręmiſſis Pauli deduci poteſt ſententia: nam ſi omnis conſummata fuit tentatio, quin per omnia tentatus fuiſſet, nulli dubium erit: verùm quonàm modo completa gulæ, auaritiæ, & inanis glorię tentatione, omnis tentatio conſummata dicatur, explicat Ambroſius his verbis. *Omnium criminum fontes hæc tria genera demonſtrantur eſſe vitiorum. Neq; enim conſummatam omnem tentationem ſcriptura dixiſſet, niſi in his tribus eſſet materia omnium delictorum: quorum ſemina in ipſa origine ſunt cauenda.* Quia igitur in his tribus tentationibus omnis continetur tentatio, his completis, dici meritò poterat, quòd omnis eſſet conſummata tentatio, iuxta quam expoſitionem facilè intelligi poterit Pauli dictum, videlicèt, tunc per omnia fuiſſe tentatum cùm Diabolus eum aggrediens, victus, fugatuſque remanſit: quæ Anſelmi fuit opinio, præcitatum Pauli locum ſic declarantis. *Tentatus eſt per omnia tentationis genera, quia in illis tribus tentationibus, quas à Diabolo pertulit, omnia tentamenta continentur.* quæ & ſi optima ſit expoſitio, Gloſſa nihilominus interlinealis, quę vbi noſtra Vulgata habet, *Tentatum per omnia*, explicat, *Tētans cū* *gula*, ſatis apertè declarat, quòd non ſolùm tentationum tentatio, ſed omnis tentatio vocari poteſt gula; cùm Chriſtus ipſa appetitus, omnibus Diaboli armis tentatus deſcribatur: quod confirmare videtur Ambroſius ſuper citatum locum Lucę, rationem aſſignans, cur antè omnia: gulę armis eum aggredi voluit inimicus. *Indè autem* (ait præfatus Ambroſius) *cæpit, vndè iàm vicerat. Diſcamus igitur cauere gulam, quia telum Diaboli eſt.* quo ſermone gulam Diaboli telum per Antonomaſiam vocat; quia ipſa cunctorum vitiorum mater eſt, fons, & origo. Vndè Gregorius lib. 5. in 1. Reg. c. 11. *In hoc ſerpente gulæ vitium deſignari diximus: quia ex vno gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur. Vnum quidèm gulæ vitium eſt, ſed aculei libidinis innumeri ſunt, qui præcedentem illum, quaſi Regem ſequuntur: & cùm idem gulæ vitium reciditur, alia multa nobis uitia ſubiugamus.* Optimè quidem tentatus de gula, per omnia tentatus deſcribitur, cùm ipſa innumera vitiorum agmina pòſt ſe trahat, quam qui vicerit, de omnibus triumphare videtur.

*Matth. c. 4.* — *Ambroſ.* — Chriſtum p omnia tentatum fuiſſe quomodò intelligatur — *Anſelm.* — *Gloſſ. Interlin.* — Gula tentationes omnes continere vidètur. — *Ambroſ.* — *Greg. Papa* — Vitiorum cateruam pòſt ſe trahit.

3 Sed ob roboris magnitudinem, quam raro ab hominibus vinci ſoleat, declarauit ille, qui ait: *Tu autem cùm ieiunas* Matthęi 6. quo ſermone, ſi benè aduertis, de ieiunio loquens, ſic loquitur in ſingulari, ac ſi vnum, non plures abſtinentiæ incumbere videret: verùm ſic eum loquutum fuiſſe, exiſtimo: quia & ſi multos contra intemperantiam intrepidè certamen aſſumere cōſideraret, tamen cùm paucos in hoc bello perſiſtere, ſed ferè omnes terga vertere videret; propterea, quod prius in plurali poſuerat: *Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes*; in ſingulari concluſit dicendo: *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Mea non eſt hæc ſubtilitas; ſed Gregorij in Regum lib. 5. c. 11. ſic dicentis. *Plerique reſiſtere gulæ incipiunt, ſed dùm fatigati abſtinentiæ laborem inchoant, ad uſum ſe conſuetæ guloſitatis inclinant*: ac ſi diceret; tanta eſt intemperantię uis, tanta crapulę, ebrietatiſq; potentia, q, & ſi cōtra eam multi belli-

*Matth. c. 6.* — *Ibidem.* — *Greg. Mag.*

gerare experiātur; vix tamē eſt, qui in certamine perſeuerans, victor, non victus abſcedat: Vndè non ieiunantes alloqui, ſed ieiunanti dicere oportet: *Tu autem cùm ieiunas.*

4 Ex eo, quod paulò ſuperiùs dixi, videlicèt tētationū tētationē, immò omnem tentationem gulam vocati debere, conſequentiam inferre neceſſarium duco: quòd qui ab intemperantia vincitur, ab omnibus vitijs vinci dicetur; quia ſi gula eſt omnis tentatio, qui ab ipſa ſuperatur, ab omnibus ſuperabitur. Hinc Chriſtus Dominus de ſaluandorum quantitate interrogatus, videlicèt dexteræ filij, regniq; hæredes paucine futuri eſſent, an multi? Parabolam Patrisfamilias propoſuit, *Luc.c.13.* dicendo: *Cùm autem intrauerit Paterfamilias, & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare, & pulſare oſtium, dicentes: Domine, aperi nobis: & reſpondens, dicet vobis: Neſcio vos vndè ſitis: tunc incipietis dicere: Manducauimus coràm te, & bibimus. Et dicet vobis: diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.* Lucæ 13. in quibus ſicuti per Patrē familias ipſū Saluatorē; & per excluſos, peccatores ſignificari nulli dubium eſt, ſic dubitari ſatis poſſet: cur illos, quos priùs tantùm non agnoſcere profitebitur, dicendo: *Neſcio vos;* immediatè poſt, etiam omnium ſcelerum patratores vocabit: *Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis?* niſi difficultati occurriſſet Ambroſ. lib. 1. de Abel, & Cain, c. 5. vbi ait; quòd tota reiectionis cauſa, & obiurgationis origo comeſtio eſt: nàm antequam de ea mentio fieret, ſimplicitèr ignoti vocabantur; ſicuti Virgines illæ fatuæ, quibus ſolummodò dicetur: *Neſcio uos:* Matth. *Matth.c.25* 25. vt autem de epulis, ac commeſſationibus loqui cœperint. *Comedimus, & bibimus coram te:* tunc omnium ſcelerum rei vocabuntur; quia ſi gula omnis tentatio eſt, qui ab ipſa ſuperatur, ab omnibus tentationibus vinci *Ambroſius.* dicetur. Præfatus Ambroſius. *Poſtremò audi, quos Chriſtus excludat. Cùm intrauerit, inquit, Paterfamilias, & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare, & pulſare oſtium, dicentes: aperi nobis: & reſpondens, dicet: neſcio vos vndè ſitis. Tunc incipietis dicere: manducauimus coram te, & bibimus. Et dicet: diſcedite à me operarij iniquitatis: neſcio vndè ſitis. Audiſtis quid de manducantibus dixerit?* hæc ipſe. Tu autem, quam vitiorū cateruam pòſt ſe trahat intemperantia, cōſidera.

Qui ab ipſa vincitur, ab omnibus vitijs ſuperatur.

5 Aliam tamen huius rei probationem ſi cupis, Iobi hiſtoriam in memoriam redige: & videbis, quòd poſtquàm Diabolus ſuper omnem Sancti viri ſubſtantiam, ſeruos, & filios auctoritatem accepit, liberos non ſtatim occidit: ſed cùm in primogeniti domo conuiuantes vidit, tunc inter domus ruinas non priùs necauit, quàm tumulauit. *Filijs tuis, & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens, oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt.* cap. 1. Sed cur impie accepta feriēdi licentia, non ſtatim feris? cur ſæue non illicò tuam ſæuitiam exples? ſi ille idem es, qui ab homine expulſus, vt in porcos ingrediendi facultatem accepiſti, tuam crudelitatem compeſcere non valens, in vno (ſi fas eſt dicere) temporis momento, gregem totum vno mortis genere interfeciſti? *Et exeuntes Spiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare ad duo millia, & ſuffocati ſunt in mari.* Marci 5. cur nunc expectas? cur moraris, ſi in manu tua Iobi filii ſunt conſtituti? Sed relictis aliorum reſponſionibus; Diuum Antoninum Florentiæ Archiepiſcopum ad ſenſum myſticum rem reducentem audio, ſcilicet per ſeptem Iobi filios, ſeptem Spiritus ſancti dona figurari, quæ tunc omnia ſimul deperduntur, cùm epulis, & commeſſationibus fræna laxātur, quia tunc expulſis virtutibus cunctis, oppoſita vitia introducuntur. Præfatus Antoninus tom. 2. tit. 6. de gula c. 1. *Septem dona Spiritus Sancti ex gula ruunt, quod figuratum fuit Iob. 1. cap. quando ſeptem filijs conuiuantibus in domo primogeniti, domus percuſſa à vento, ruens, oppreſſit omnes; figurant enim ſecundùm dicta ſeptem dona Spiritus Sancti ſeptem filij Iob.* Neget nunc qui poteſt, quòd gula vitia reliqua pòſt ſe trahat, ſi omnia Spiritus Sancti dona ſola ipſa pellit, & perdit.

*Iob.c.1.*

Filij Iob cur non ſtatim a Diabolo necati.

*Marc.c.5.*

*D. Anton. Arch. Flor.*

Radicitùs virtutes omnes euellit intemperantia.

6 Et

Ideò admodum inuiſa. 6 Et hæc forſan eſt ratio, cur in auium oblatione, quando de ipſis holocauſtum fieri debebat, gutturis veſicula nõ cõburi, ſed proijci iubebatur. *Veſiculam verò gutturis, & plumas proijciet propè altare ad orientalem plagam in loco, in quo cineres effundi ſolent*. Leuit. 1. quia veſicula, quæ cibi receptorium eſt, iuxtà Theodoreti, Lyrani, atque Carthuſiani ſententiam, gulæ figura eſt: propterea vt maximè Deo odioſa non offerri, ſed cum magno impetu, abominatione, atque horrore proijci iubetur, cùm omnium malorum origo ſit, & ſentina. Vndè Baſilius Magnus in ſerm. de abdicatione rerum vitæ huius, & de perfectione ſpirituali, de hac vitiorum ſentina hunc loquitur in modum. *Gutturis libido ea eſt, per quam ludibrio habetur Noë, per hanc primogenita amiſit Eſaü, & eum Chananæis effæminatè coniungitur; Loth cum filiabus ſe miſcet, idem fui ipſius gener factus, & Socer: hæc Iſraelitas induxit, vt ſimulachrum adorarent, & Prophetam qui à Deo ad obiurgandum ſceleſtum Regem fuerat miſſus feræ beſtiæ deuorandum obiecit, & de quo vniuerſo regio ſuo apparatu Ieroboam Rex pœnas ſumere non potuerat, gutturis fraude implicatus miſerabili admodum morte conſumitur*. Quorum omnium, multorumque aliorum malorũ ſi gutturis veſicula origo eſt, mirari non debemus, quòd vt res Deo admodùm inuiſa cum impetu, & horrore proijci iubeatur.

Leuit. c. 1.

Theodoret. Lyran. Carthuſ.

Baſilius Magnus.

Omniũ malorum, ac vitiorum ſentina

7 Expeditè nunc intelligo, inter omnes ſpirituales victorias nullam præſtantiorẽ eſſe poſſe, nec illuſtriorẽ illa, quæ ex ebrietate reportatur; quia ſi ex victi fortitudine vincentis menſuratur victoria, cùm ingluuies, & tentationum tentatio, & omnis tentatio vocari ſoleat (vt non multùm ſuperiùs dixiſſe me memini) ergo qui eam vincit, ac ſi omnem tentationem viciſſet, glorioſè triumphare dicetur. Quam rem obſeruauit Ambroſius in Apologia 1. de Dauid c. 7. vbi ipſum aquam de ciſterna Bethlehem tàm ardenter deſiderantem, & non bibentem, ſed effundentem conſiderans: *At ille noluit bibere, ſed libauit eam Domino*. 2. Reg. 23. quæſtionem mouet: quodnam acrius eſſet bellum, contrà Philiſtæos aſſumptum, an quod contrà ſe ſumpſerat? *In valle Titanum bellum immane ſuſcepit, non minùs aduerſùs hoſtem, quàm aduerſùs naturam: Sitiens enim cùm verſaretur in bello, quod biberet non habebat; quis mihi potum, inquit, dabit de lacu, qui eſt in Bethlehem ad portas?* Et tã dem pòſt aliqua concludit, ſecundum bellum priori immanius fuiſſe; quia ſi in primo contrà hoſtes, in ſecundo aduerſùs intemperantiam pugnabat, quæ quantò externos & internos hoſtes longè ſuperat & excedit, tantò eam vincere illuſtrius fuit & glorioſius. *Vicit ergo naturam*, ait ipſe, *vt ſitiens non biberet, & exemplum de ſe præbuit, quo omnis exercitus tolerare ſitim diſceret*. Magna profectò victoria, quæ ex potentiſſimo hoſte cùm reportaretur, omnia militum agmina in ſtuporem adduxit: Vndè benè non aquã Dauid effudiſſe, ſed Domino ſacrificaſſe deſcribitur: *Libauit eam Domino*: quia tanti triumphi origo non ſibi, ſed Deo virtutum auctori aſcribi debebat.

Ex omnibus vitijs tropæa reportare dicitur, qui eam vincit.

2. Reg. c. 23

Ambroſ.

Dauid cur quam optauerat aquã non bibit

Ambroſ.

8 Hanc victoriæ magnitudinem agnoſcebat ſuperbus ille Phariſæus, qui inter cæteras ſuas virtutes, quas pleno ore iactabat, ieiunio extollebatur non parùm, dicendo: *Ieiuno bis in Sabbato*. Lucæ 18. quia ſciebat ſuperbus, quòd & ſi omnium vitiorum victoria laudabilis eſſet, gulam tamen abſtinentiæ mucrone necare, ſupra omnem victoriam exiſtimabat: propterea abſtinentia præcisè ſuperbiebat, dicendo: *Ieiuno bis in ſabbato*; Vndè Gregorius in Regul. paſtoral. parte 3. *Hoc velut inter magna merita Phariſæus arrogans ſtudioſè numerat, dicens: Ieiuno bis in ſabbato*: ac ſi in eius perſona diceret: licèt multas meas virtutes laudare poſſem, & victorias prædicare, vnam tamen abſtinentiam extollo: quia cum hæc contra gulam ſuum aſſumat certamen, quàm fortis eſt illa, tàm illuſtre eſt iſtud.

Luc. c. 18.

Illuſtris victoria gulã ſuperare.

Gregor.

Abſtinentia magna virtus

9 Porrò quid de hac victoria Diabolus ipſe ſentiat, audiamus. *Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant*. Matthæi 4. quæ verba expendens Chryſologus ſerm. 13. quærit: cur illum, quem ſemper purum hominem exiſtimauerat, nunc Dei Filium ſuſpicatur? Quod præcipuum Diuinitatis ſignum nunc eluce-

Matth. c. 4.

elucebat, ex quo Dei Filium vocabat? An fortè, quia eſurientem videbat, Æterni Patris Vnigenitum, iudicabat? Ità ſanè ait Chryſologus: quia famem patientem videbat, eum ſupra hominem arbitrabatur: nàm ſic fortis eſt gulæ tentatio, vt qui eam per abſtinentiam vincit, non homo, ſed (ſi fas eſt dicere) terreſtris Deus cenſeri poſſit: *Audiſtis* (ait prę̨fatus Chryſologus) *quid de ieiunijs ipſe ſentiat, & iudices inimicus? videtis, quia iam non hominem, ſed Dei Filium credit, quem liberum à ventris conſpexerat ſeruitute*. ſic ipſe. Nos autem tanti Magiſtri ſectantes veſtigia, reiectis diuitis iſtius commeſſationibus, corpus inedia affligamus, vt ſimul cum ſpiritu ſaturari poſſit in Cœlo, vbi verę non fictæ ſunt epulę.

## Et erat quidam Mendicus nomine Lazarus vlceribus plenus. Luc. 16.

### §. II.

*Cæcus Mundus, qui nihil aliud, niſi diuitias intuetur, nihili faciendo pauperes, diuites honore proſequitur: Deus è contrario nequaquàm cenſus, ſed virtutes conſiderans, non ſuperbas diuitias, ſed humilem paupertatem honorat.*

1 SIccine pauperis egeni inedia confecti, ac vlceribus pleni deſcribitur nomen: *Erat quidam mendicus, nomine Lazarus, vlceribus plenus:* Luc. 16. dùm purpurati diuitis reticetur, & ſiletur proſapia? *Erat quidam diues, qui induebatur purpura, & byſſo*. ibidem. Quid eſt hoc? An fortè diuiti præponebatur pauper, dùm quàm illius nomen ſcribere dedignabatur Euangeliſta, tàm iſtius ſemper nominare gaudebat? Ità ſanè: quia cogitationes Dei à cogitationibus hominum, & uiæ Dei à uijs mundi non parum diſtant: nàm aditum ad honores, quem apud mundum intercludit inopia, aperit affluentia, iuxtà illud Ouidij lib. 1. Faſtorum.

*Luc. c. 16.*

Mundus diuitias Deus paupertatē honorat.

*In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores,*
*Cenſus amicitias, pauper vbiq; iacet.*

*Ouidius.*

Apud Deum è contrario, non opes ſuperbæ, nec fallaces diuitiæ; ſed humilis ę̨ſtimatur paupertas. Vndè per Iſaiam cap. 66. *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* propterea in prę̨ſentiarum diuitis nomen inter mūdanos celebre nihili faciēdo, ignoti pauperis nominat, & extollit. *Ecce quomodo alia ſunt iudicia Dei* (proclamat Carthuſianus ſuper citatum locum Luc. art. 39.) *& alia Mundi, & quomodò ſapientia ſeculi huius ſtultitia eſt apud Deum. Certè apud hunc mundum immundum, hoc eſt, homines ſeculares, carnales, magis famoſa, & nota ſunt nomina opulentorum, quàm egenorum: ſed apud Deum eſt è conuerſo.* Nec mirum, quia ſi mundus res ſuas agens, diuitibus, à quibus commodum ſibi prouenire ſperat, adhæret, eiſque adulatur; Deus, à quo bona cuncta procedunt, cū noſtris non indigeat bonis, virtutes, voluntariamq; paupertatem perſpicit, & honorat. Quod dicere videtur prę̨fatus Carthuſianus loco citato his verbis. *Non diuitis, ſed egeni, & ægri nomen proprium Chriſtus expreſſit, quoniam pauperem iſtum per approbationem agnouit, & in libro ſuæ æternæ prædeſtinationis habuit ſcriptum, diuitem verò per approbationem non nouit, ſicuti reprobis loquitur, non noui vos*. Ex quibus omnibus, quàm à Deo diſcrepet mūdus, intelligi facilè poteſt: quia vbi Deus nō ſuperbos diuites, ſed ſpiritu, ac voluntate pauperes honore proſequitur: cę̨cus mundus hos paruipendens, in illis nil niſi diuitias conſiderās, eos honorat, & colit. Quam mundanorum omnium cę̨citatem corripere volens Seneca, dicere conſueuerat Epiſt. 29. *Cùm volueris veram hominis exiſtimationem videre, & ſcire qual is ſit, nudum inſpice: deponat patrimonium, deponat honores, & alia fortunæ mendacia,*

*Iſai. c. 66.*

*Carthuſian.*

*Idem*

*Seneca*

Depoſitis diuitiis, hominum dignitatem librare debemus.

*cia, corpus exuat, & animum intuere, qualis, quantuſque ſit, alieno, an ſuo magnus.* Quod idem erat ac dicere: Animæ ſunt attendendæ diuitiæ, non corporis; virtutes ſunt conſiderandæ, non cenſus, vt quo honore, quis dignus ſit, videatur. Quod benè noſcens ille, quē nullum latere poteſt ſecretum, dùm fallitur mundus, qui diuitias tantùm præ oculis habens, diuites, non pauperes honorat; ipſe, qui nec fallere poteſt, nec falli, nudos conſiderās homines, nequaquam elatos diuites, ſed ſpiritu ac voluntate pauperes prædicat, & extollit.

2 Et primò, quòd mundus diuites honoret, non pauperes, maximè oſtendit illud, quod de Ioſepho ab Arimathęa ſcribit Diuus Marcus, videlicèt, quòd mortuo Saluatore, quando (Virgine excepta) ob perſecutionis furorē trepidauere cuncti, quando propter Paſtoris necē diſperſus iàm erat Apoſtolorum grex, quando furentibus Iudæis, vix erat, qui in petrarum, ac mōtium ſciſſuris ſecurum ſe exiſtimaret; ſolus dictus Ioſephus, nec Principum indignationem, nec vulgi inſaniam formidans, Pilatum intrepidè adijt, & Crucifixi corpus abſq; timore popoſcit.

*Marc. c. 15.* Ioſephi ab Arimathæa fortitudo, atq; conſtātia.

*Venit Ioſeph ab Arimathæa nobilis Decurio, qui & ipſe erat expectans Regnū Dei. Et audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu.* cap. 15. Magna ſecuritas inter aliorum timores non timere! fugientibus cunctis, nō fugam arripere, ſed ad Iudicem accedere! & deniq; pauentibus Diſcipulis, Magiſtrum audacter petere! *Audacter introiuit ad Pilatum.* Et licèt talis Ioſeph fortitudo amori aſcribatur à Victore Antiocheno, dicente:

*Victor Antiochenus.*

*Ex hoc autem Ioſephi facto, & ſummam animi illius conſtantiam, & fortitudinem ſpectare licet; parum enim aberat, quin vitam ipſam Chriſti cauſa impenderet, quippè Iudæorum omnium inimicitiā propter illum in ſe ſuſciperet.* Dubitari nihilominùs poſſet, vbi tunc erat Petri fortitudo, vbi Ioannis amor, vbi cęterorum Apoſtolorum conſtantia? An ipſe omnes Chriſti Apoſtolos, atq; Diſcipulos pręcedebat amore, & fortitudine ſuperabat? næ an id diceret Victor Antiochenus, ignoro. Propterea ego huius Sancti animoſitatem, vltrà amorem eximium ergà Deum, alio etiam adminiculo aliqualitèr accensā exiſtimo: authoritate videlicèt, quā ei nobilitas, & diuitiæ tribuebāt: nàm vbi præfatus Marcus, eum nobilem vocat, Matthæus fortunæ bonis affluentem appellat. *Venit quidam homo diues ab Arimathęa.* cap. 27. & verum ſi eſt, quod cecinit Petronius.

*Matt. c. 27.*

Vndè ortū haberet.

*Petronius.*

*Quiſquis habet nummos, ſecura nauiget aura.*

Aliqualem ſecuritatem habere poterat Sanctus nobilis, & diues iſte Ioſephus, quam Apoſtoli pauperes, & deſpecti habere minimè poterant, propter quod etiam (nàm de amore, vt ſuperiùs dixi, non diſputo) audactèr ad Pilatum accedere, ingredi, & loqui potuit ille, quod nec iſti efficere potuiſsent, nec eis cōceſſū fuiſſet, etenim, vt Eccleſiaſticus ait, in mundo nō pauperū, ſed diuitum attenduntur verba. *Diues loquutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius uſquè ad nubes perducent. Pauper loquutus eſt, & dicunt: Quis eſt hic? & ſi offēderit, ſubuertent illum.* cap. 13.

*Eccleſiaſt. c. 13.*

Præſtat nunc venerabilem Bedam audire rem mirabilitèr confirmantem, his verbis.

*Vener. Beda,*

Chriſti corpus nō Apoſtoli, ſed Ioſeph ab Arimathęa popoſcit, quia mundus non pauperes, ſed diuites exiſtimat.

*Magnæ quidem Ioſeph iſte dignitatis ad ſæculum, ſed maioris apud Deum meriti fuiſſe laudatur; talem namq; exiſtere decebat eum, qui corpus Domini ſepeliret, & qui propter iuſtitiam meritorum tali miniſterio dignus eſſet, & per nobilitatem potentiæ ſæcularis facultatem poſſet obtinere miniſtrandi; non enim quilibet ignotus, aut mediocris ad Præſidem accedere, & Crucifixi corpus poterat impetrare*: hæc ipſe. quorum vltima, *Non enim quilibet ignotus, aut mediocris ad Præſidem accedere, et Crucifixi corpus poterat impetrare*, quàm diſſimilitèr erga diuites, & paupere ſe mundus oſtendat, declarant.

3 Verùm de Sanctiſſimi Ioſephi iſtius petitione fari quia cępimus, quid ipſi Pilatus reſponderet, videamus:

*Marc. c. 15.*

*Pilatus autem mirabatur ſi iam obijſſet. Et accerſito Centurione, interrogauit eum, ſi iàm mortuus eſſet. Et cū agnouiſſet à Centurione, donauit corpus Ioſeph.* Marc. ibid. Nulla itaque interpoſita mora, nec habito verbo, Ioſephi petitioni annuit Pilatus: ità ſanè. Sed vndè tanta oriretur cōcedendi facilitas, vndè beneuolentia tanta procederet, explicat Cardina-

Digitized by Google

*Vgo Card.* Principum ianuas, & aures, quas paupertas claudit aurũ aperit.

dinalis Vgo, his verbis: *Noluit ei negare Pilatus, quia ille diues erat, & nobilis, & notus: ignotus enim, aut pauper, nec acceſsũ poſſet habere ad Præſidem, nec corpus Dominicum aſportare*. Audis quare nõ reſiſtat Pilatus, imò quarè ſtatim petitionem concedat? quia nobilis, quia notus, &, vnico vt dicam verbo, quia diues erat Ioſeph, ideò & eum libenter audiuit, & audita conceſſit: ſed ſi quis ignotus acceſſiſſet & pauper, ſanè nec petitionibus annuiſſet, nec fortè verbũ quidẽ reſpondere dignatus eſſet.

*Rupertus Abbas.* *Gen. c.41.* *Ibidem 42.* Ioſeph cur ab Ægyptijs, & fratribus adoratus.

4 Quod argumentum in alio Ioſepho, nempè in Iacobi filio proſequutus eſt Rupertus Abbas, qui ipſum ab Ægyptijs, & fratribus adoratum conſiderans: *Fecitq; eum aſcendere, ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent*. Geneſ. 41. & 42. *Cumq; adoraſſent eum fratres ſui*. Et miratur, quòd ignotus adoleſcens in ſeruum venũdatus, ab Ægyptijs adoretur, & vehementer ſtupet, quòd fratres, qui prælationis vmbram in eo videre non poterant, nunc humiliter ueneręntur; imò in terram ſe proſternentes, adorent: At tantæ mutationis originem, qui noſcere cupit, ipſum audiat Ioſephum, ſuam exaltationem his uerbis prædicentem. *Putabam nos ligare manipulos in agro: & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſq; manipulos circumſtantes adorare manipulum meum*. Gen. 37: Quibus uerbis, ſi benè aduertis, non ſe, ſed ſuum manipulum fratres adoraſſe fatetur: quod idem erat ac dicere: cùm ueſtri defecerint manipuli, ac proptereà uos in egeſtate uideritis, tunc, non perſonam, ſed copias attendentes, non Ioſephum, ſed Ioſephi abundantiam, atque diuitias adorabitis: quod & rei probauit euentus; tunc præcipuè cùm inopia laborãtes, eum in Ægypto proni adorauerunt, *Et incuruati adorauerunt eum*, cap. 43. & Diuus confirmauit Damaſcenus oratione 3. de imaginibus: *Ecce manipuli fratrum manipulum eius adorant: non ob aliud ignotum ſibi Principem etiam Ægyptij adorant, niſi quia defecerant manipuli eorum, ipſe autẽ de manipulis plenum habebat horreum* Audis quarè Ægyptij hoſpitem, & fratres Ioſephum, in quo nec prælationis

*Gen. c.37.* *Gen. c.43.* *Damaſcen.* Diuitias mundus colit, non perſonas.

umbram uidere poterant, adorent? quia creſcente inopia, & inualeſcente egeſtate, ſolus Ioſephus abundans apparebat & diues.

5 Vlteriùs hac pro materia Abrahami ſeruo, quantum honorem detulit, & quantam beneuolentiam oſtendit Laban, conſidera: nam ſacra narrat hiſtoria, quòd cùm ad quærendam filio Domini ſui vxorem in Meſopotamiam perueniſſet, egreſſus de domo ſua Laban, ei obuiã veniens, magna cũ beneuolentia atque honore ipſum excepit. *Venit ad virum, qui ſtabat propè Camelos, & iuxtà fontem aquæ: dixitq; ad eum: Ingredere, benedicte Domini: cur foris ſtas? præparaui domum, & locum Camelis. & introduxit eum in hoſpitium: ac deſtrauit Camelos, deditq; paleas, & fœnum; & aquam ad lauandos pedes eius, & virorum qui venerant cum eo. Et appoſitus eſt in conſpectu eius panis*. Gen. 24. Magna certè reuerentia, magna gratia, qua fortè nec ipſi Abrahamo maiorem oſtendere potuiſſet, & quod magis intereſt, cùm ſororem præfati Labani in terram Chanaam deferendam, vt filio Domini ſui nuptui daret, vix poſcere incepiſſet abſq; vlla difficultate, & mora, quicquid poſtulabat, conceſſit: *Reſponderũtq; Laban, & Bathuel: A Domino egreſſus eſt ſermo, non poſſumus extra placitum eius quicquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te eſt, tolle eam, & proficiſcere*. ibidem. ſic cũ Abrahami ſeruo ſe geſſit Laban: quã differenter poſteà ergà Iacobum Abrahami nepotem, ſororiſque filium ſe oſtenderet, declarat ſacra pagina. Gen. 29, *Num quia frater meus es, gratis ſeruies mihi?* Sicque, non vt conſaguineum, ſed vt ſeruum Iacobũ recepit, qui priùs ſeruum eius tàm honorificè exceperat: & cùm Rachelem eius filiã pro labore in vxorẽ poſtularet Iacob, pòſt quatuordecim annorũ ſeruitutẽ, tandẽ vix quod deſiderabat, & ꝙ pro laborioſa ſeruitute ipſe ſpopõderat Laban, cõceſſit, cũ ſeruo ſororẽ poſcẽti, nihil penitùs reſtitiſſet. Quid eſt hoc, an magis ſeruũ, quàm Dñum? & ignotum, quàm nepotẽ æſtimabat? Ità ſanè dicit Oleaſter: maiori honore Abraham ſeruũ, quã Abrahã nepotem proſequebatur Laban: ſed vndè ſeruus Domino honorabilior, & extraneus

Nulla ſanguinis, nec virtutis habita ratione diuitias, & falſũ veneratur mundus. *Gen. c.24.* *Ibidem.* *Gen. c.29.*

con-

conſanguineo carior appareret, ſacra declarat pagina, quę dicit; quòd ſeruus cum pueris, diuitijs, atq; Camelis in Meſopotamiam venit: Iacob autem fratris furorem fugiens, nihil portauit omninò: quid igitur mirum, ſi ille excipiatur, & honoretur, hic vix domum introductus laborioſę addicatur ſeruituti; ſi mundus ſpreta nobilitate, & neglecta virtute, diuitias tantùm veneratur & colit. Vndè præfatus Oleaſter ſuper uerba illa. *Cumque vidiſſet in aures, & armillas in manibus ſororis ſuæ, & audiſſet cuncta verba, &c. venit ad virum, qui ſtabat iuxtà Camelos*, Gen. 24. ait: P*arant munera hoſpitium, & exhilarant recipientis faciem, & animum.* O ſi talibus diuitijs onuſtus ueniſſet Iacob, quàm libēter exceptus fuiſſet, & quàm facilè uxorem duxiſſet! ſed quia, ut pauper acceſſit, nec nobilitatis, nec sāctitatis, nec deniq; agnationis habita ratione ſeruituti addicitur, & labori.

Gen. c. 24.

*Oleaſter.*

8 Vlteriùs rem omni ſtupore dignam aſſerere non timeo, uidelicèt, quòd adeò cęcus eſt mundus, ut ſi uile iumentum diuitijs onuſtum uideret, aurum tantummodò ſpectando, tali honore proſequeretur, ut ferè veluti Deum illud honorare uideretur, & colere: in terminis uiſa res eſt, quando efformato uitulo, cœcus populus clamare cępit: *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Exod. 32. ſed undè uitulum tunc conflatum Deum uocare, & ut talem uenerari poſſent, ſcire ſi cupis (certum dum eſt, quòd nec Deus fieri poterat, cùm non ipſe factus, ſed ab eo facta ſint omnia, nec quòd tunc effectum videbant, eos antequàm fieret, de terra Ægypti, & de dura Pharaonis ſeruitute liberare poterat) Chryſologum audi. *Aurum Iudaicum populum ſic ſuo captiuauit aſpectu, vicit illecebris, ſpecie perdecepit, vt hoc eſſe Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficijs cognitum denegarent: ſic conuertit homines in iumenta, vt vituli caput, caput ſuum crederent.* hactenùs ipſe ſermone 29. Ecce tibi, vndè tam vile iumentum venerarentur Hebręi, quòd vitulo vt Deo uictimas immolarent; quia ex auro erat. Proh cœca cupiditas, quæ homines ſic excæcat, vt eos ipſa iumenta honore, & cultu penè diuino proſequi faciat.

Etiam iumentum diuitiis onuſtum veneratur mundus.

*Exod. c. 32.*

*Chryſolog.*

Cæcat aurū

9 Oppoſitum tamen ſemper Deū feciſſe reperio, qui non cenſus, nec opes ſuperbas, ſed humilem paupertatem honorare, & ditare conſueuit: vndè per Iſaiam cap. 61. in Chriſti perſona ſic dicit. *Ad annuntiandum manſuetis*: vel vt ſeptuaginta vertunt. *Ad annuntiandum pauperibus miſit me*: cur non ad annuntiandum diuitibus, ſed pauperibus ſe miſſum dicat cùm pro omnium ſalute venerit, explicat his verbis Iſidorus Clarius orat. 19. in Lucam. *Se miſſum dicit ad annuntiandum pauperibus: perindè quaſi diuites nihil ad hanc prædicationem pertineant: Et reuera ita eſt. Nam cauſam diuitum pro re deſperata poſuit Dominus, cùm dixit. Faciliùs eſt, Camelum per foramen acus tranſire; quàm diuitem intrare in Regnum Dei*, Luc. 18. Et quamuis Diuus Ambroſius ad ſpiritualem paupertatem rem reducēdo, pauperum nomine omnes homines, qui donis cęleſtibus & gratia indigebant, intelligi debere exiſtimet, tamen Toletus annotatione 32. ſuper caput quartum Lucæ, per hos pauperes verè ęgenos diuitijs temporalibus deſtitutos intelligit: quæ expoſitio ſi vera eſt, vt exiſtimo, dicere oportet; quòd priùs pauperes, quàm diuites à Deo honorati ſint, cum ipſis priùs Euāgelium prædicatum ſit: Vnde pręfatus Toletus, *Ambroſius per hos pauperes generaliter intelligit omne genus hominum. Omnes quidem homines, per peccatum pauperrimi eſſe illi ſunt ſpirituali paupertate, quamuis autem in ſcriptura hi omnes pauperes dicantur, hoc tamen in loco mihi accomodatiùs dici videtur, ſi pauperes in ſua propria ſignificatione intelligamus, ut pauperes ſint, quos vulgo pauperes homines, nempè diuitijs temporalibus deſtitutos appellamus: his enim primis annuntiatū eſt Euangeliū, & hi primi Chriſtū receperunt, quales fuerunt diſcipuli Chriſti, qui erant piſcatores pauperrimi, alijq; diſcipuli, & credētes de media turba.* Sic ipſe: Ex quo quis cęcus nō videbit, quàm Deus ſuprà diuites pauperes honoret, dum ipſis priùs Euangelizari vult, quàm pauperibus.

*Iſaia c. 61.*

*Iſid. Clar.*

Auro onuſti difficilè in cœlum aſcendunt

*Ambroſ.*

*Toletus.*

Maximè apud Deum in pretio eſt voluntaria paupertas.

10 Et quidem ſpiritu pauperes tā honorare ſolet Altiſſimus, vt eorum frater, imò pater vocari non dedignetur.

tur. Meum non eſt hoc dictum, ſed ipſiuſmet Dei, qui in futuro iudicio iuſtorum benefacta remunerare volēs, dicere ſic dignabitur. *Amen dico vobis*

*Matt. c. 25.* *quamdiù feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*. Matth. 25. vbi quæſtionem mouet Rabanus: quomodò minimi appellentur, ſi Chriſti fratres ſunt? *Quid ais* (citatus dicit Rab. in catena) *ſi fratres tui ſunt, quomo-*

*Rabanus* *do minimos appellas?* ſoluit autem. *Imò verò ideò fratres, quia humiles, quia pau-*

Chriſtus pauperes fratres appellat. *peres, quia abiecti*: ecce quomodo, quia pauperes ſunt, ideò fratres minimi nuncupantur. Quòd etiam eorum pater ſe nuncupare non horreat; quid ad egenorum inopiam ſubleuandam dicat, audiamus: *Scit enim pater veſter,*

*Matth. c. 6.* *quòd his omnibus indigetis*. Matth. 6. ergo egentium ſe patrem vocat, non diuitũ? Ità ſanè, ait Paulus de Palatio: ſed quid eſt hoc bone Deus, nonne diuitũ etiam Pater es? nonne omnes clamare docuiſti: *Pater noſter, qui es in Cœlis.* Matth. 6. & tandem ſi omnibus indiſcriminatim dixiſti: *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter cœleſtis* Matth. 23. quomo-

*Matt. c. 23.* do indigentium tantùm te patrem vocas, non diuitum? Cui difficultati prędictus Paulus de Palatio ſatisfacit, quũ dicit: quòd diuitum etiam Pater eſt, dummodò voluntate pauperes ſint; ſemper videlicèt parati ad diuitias relinquendas, iuxtà Dei beneplacitum: & ità cùm pauperes potiùs vocandi ſint, quàm diuites, pauperum Pater ſemper dicitur, non diuitum. *Sed vigi-*

*Paulus de Palatio.* *lantiſſimè Lector, aduerte* (ait præfatus Paulus de Palatio) *Deus Pater veſter ſcit, quòd his omnibus indigetis. Non eſt*

Non diuitũ ſed egenorũ patrem ſe vocat Altiſſimus. *Pater Deus illis, qui omnibus non indigent? Solùmne pater eſt ijs, qui omnibus indigēt? Nu non erit diuitũ pater? Et quidē nō eſt pater diuitum, niſi parati ſint propter Deum (cùm oportuerit) pauperes eſſe, & uictu, & veſtitu indigere. At pater Deus eſt diuiti, qui plus uult dare, quàm habeat: quique nonnunquàm indigere uult, ut alij non indigeant: uerè Deus Pater eſt eorum, qui uictu, & ueſtitu contenti ſunt, reliqua cōtemnunt*. Habes itaque quanti Deus pauperes faciat, dùm eorum frater, & pater vocari non dedignatur. Quod agnoſcens pauperum Patriarcha Frā-

*S. Franciſc. de Aſſiſio.* ciſcus coràm Aſſiſij Antiſtite ſpreta paterna domo, renunciato hereditario iure, & tandem detractis veſtibus, Patrique tributis, nudus prorsùs remanendo, oculis ad Cœlum eleuatis, ait: *Nunc uerè dicere poſſum, ò Domine, Pater noſter, qui es in Cœlis*: quia ſciebat non diuitum, ſed egenorum patrem illum eſſe, qui in Cœlis regnans, egeſtati conſulit & pudori.

11 Iſtius tandem purpurati diuitis, & vlceroſi egeni fines, qui conſiderabit, quàm viæ Domini à vijs Mundi differant, videbit: nam diues, quem Mundus honore magno proſequebatur, mortuus poſtea non Angelorum miniſterio, ſed Dæmonum comitatu in Infernum eſt ductus: pauper verò, qui nec inopia tantùm laborabat, ſed ab omnibus deſtitutus videbatur, vix Mundum relinquens, inter cęleſtium ſpirituum Choros, & agmina, Angelicis manibus ad Cęlum euehitur, vt homines agnoſcerent omnes, quòd quàm Mundus hic cæcus inopes ſpernendo, diuites veneratur & colit, tàm Deus ſuperbos paruiſaciendo diuites, humilem paupertatem exaltat. Op-

*Chryſolog.* timè Chryſologus ſermone 121. de Diuite, & Lazaro. *Audiſtis fratres, hodie & paupertatis finem, & diuitiarũ qua-*

Diuitias omnes traſcendit, & glorias pauperis mors. *lis ſit exitus, cognouiſtis, dicente Domino: homo quidam &c. En fratres, quàm rerum lamentanda mutatio: pauperem portant Angeli: diuitem deglutit Infernus. En fratres, mors pauperis totam uitam diuitis vicit, & elatio ſola pauperis totam diuitis pompam tranſcendit & gloriam. Funus diuitis antecedit lugubris turba ſeruorũ: feretrum pauperis præcedit Angelorum pſallentium multitudo.* Quæ omnia pro preſenti inſtituto ſufficere poſſe exiſtimo.

Mit-

Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Luc. 16.

## §. III.

*Lingua diuitis iſtius præ cæteris membris ardet, quia ſemper peccati inſtrumentum maioris punitionis ſolet eſſe obiectum.*

1 ANte hac demirabar, cur nequiſſimi Nicanoris linguam minutatim auibus ad comedendum dare voluiſſet Iudas? *Linguam impij Nicanoris præciſam iuſſit particulatim auibus dari.* 2. Machabæorum. 15. ſi cæteris membris pepercerat, cur in linguam præcisè ſæuiret, non intelligebam. Verùm poſtquam præcipuum punitionis obiectum peccati inſtrumentum intellexi, omnis deſijt admirationis occaſio: quia impijſſimi iſtius lingua arroganter contra Deum loquuta fuerat; nam cum die ſabbati contra Iudam bellum committere vellet, Iudæi, qui eum inuitè ſequebantur, dicere cœperunt: *Nè ità ferociter & barbarè feceris, ſed honorem tribue diei ſanctificationis, & honora eum, qui vniuerſa conſpicit.* ibidem. Superbus ipſe, nec hominum, nec Dei habita ratione. *Interrogauit* (ſacra ait pagina) *ſi eſt potens in Cælo, qui imperauit agi diem ſabbatorum.* Et reſpondentibus illis. *Eſt Dominus in Cælo potens.* Stultè contra Deum ſe erigens, reſpondit. *Et ego potens ſum ſuper terram.* Magna certè dementia, magna blaſphemia, cùm vilis homuncio Omnipotenti comparare ſe vellet! Quod igitur ſacrilegium cùm à lingua procederet, lingua præcipuè, vt peccati inſtrumentũ grauiores pœnas luere debebat. Ità Diuus Bonauentura ſuper caput. 16. Lucæ. *Commanducauerunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemauerunt Deum.* *Apoc. 16. & linguam impij Nicanoris præciſam, iuſſit particulatim auibus dari; blaſphemauerat.n. veritatẽ per verba mẽdacia.* Sic patet, cur cæteris omiſſis membris, in linguam præcipuè ſæuiret Iudas: quia ipſa præcipuè blaſphemando peccauerat: Quę etiam eſt ratio, cur lingua pręſertim diuitis iſtius ardebat; quia fortè ſuperbiæ verba, vt illa Nicanoris, loquuta fuerat & ipſa. Chryſoſtomus hom. 5. in Lucam. *Multa enim ſuperba loquuta eſt, vbi peccatum, ibi pęna.* Vel quia quotidiè epulando, quotidiè peccauerat. Ità Brugenſis. *Quàm meritò hic paſſus eſt, qui lingua maximè peccauerat, epulando nimirum quotidiè ſplendidè, lingua maximè affligitur; nã, per quæ quis peccat per hæc punietur, ait Sapiens. cap. 11.* Vel denique, quia fortè pauperis petitionibus annuere renuit, vt ſæua, grauiùs, quàm cætera membra puniri debebat. Quod ſolita verborum luculentia dicere videtur Chryſologus ſermone 66. *Lingua plus ardet, quæ miſericordia vt fieret, iubere neglexit: in lingua maius ſentit incendium, quæ maledixit pauperi, miſericordiã contradixit: lingua in tormentis prima eſt, quæ derogando pauperi, pauperis blaſphemauit Auctorem.* Sicque communi omnium patrum conſenſu: propterea lingua diuitis iſtius pluſquàm cętera membra excruciabatur, quia peccati extiterat inſtrumentum.

2. Machab. c. 15.

Ibidem.

Cur Epulonis lingua prę cæteris membris ardet.

D. Bonau.

Blaſphemi linguas ſuas manducabunt in Inferno.

Chryſoſt.

Brugenſ.

Chryſol.

Peccati inſtrumentum ſeueriorem manum experitur.

2 Ex hoc magnę cuidam difficultati ianua poterit aperiri; cur videlicèt in Inferno, vbi in ſingulis membris patientur damnati, de oculorum tantùm, ac detium punitione fit mentio, dicente Domino: *Ligatis manibus, & pedibus, mittite eos in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Math. 22. nam licèt per hęc duo omnium membrorum excruciatio figurari aſſerat Hieronymus. *In fletu oculorum, & in ſtridore dentium, per metaphoram membrorum corporalium, magnitudo oſtenditur tormentorum.* ſic ipſe in catena relatus. Gregorius tamen, Chryſoſtomus, Antonius de Padua, Carthuſianus, & alij aliter ſenſerunt; nam oculos pręſertim, & dentes in Inferno puniri aſſerunt; & rationem huius rei

Matt. c. 22.

Hieronym.

Gregor.

Chryſoſt.

Anton. de Padua.

Carthuſ.

Gregor.

In inferno ſtridor dentium.

præ cęteris aſſignat citatus Gregorius in catena relatus, his verbis: *Iuſtum eſt, vt illic dentes ſtrideant, qui de edacitate gaudebant: illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiſcentias verſabantur.* Audis quare dentes, & oculi peculiariter pœnę ſubiaceant, quia iſti videndo, & illi ſæpiùs commeſſando peccauerant.

3 Ad quod etiam inſtitutum non parùm facit quęſtio illa, quę à multis moueri ſolet: cur Iudas laqueo ſe ſuſpendere maluit, quàm alio mortis genere vitam concludere? *Receſſit & abiens, laqueo ſe ſuſpendit.* Matth. 27. cur cum gladio ſe traſuerberare, præcipitio ſe collidere, aquis ſe immergere, & penè modis innumeris ſe interficere potuiſſet; tamen laqueo id efficere voluit, non aliter? Pro cuius difficultatis ſolutione ad alium ſcripturę locum recurrendum exiſtimo, & eſt ille Actorum 1. *Præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum.* Hoc eſt, *ad laqueum,* inter cæteros dicit Ecumenius: itaque proprium Iudæ locum Crucem appellauit Petrus: ita ſanè, & rationem attulit dicendo: *Quia præuaricatus eſt*, quod idem erat ac dicere: quia Magiſtrum prodidit, nullo alio mortis genere vita priuari debebat, quàm iſto: quia ſi gutture proditionis verba deprompſerat, guttur pœnas luere debebat; ideò ſtrāgulari potiùs, quàm aliter caſtigari debebat. Pereximiè Vgo Cardinalis. *Ideò autem ſuſpenſus eſt laqueo, ut arteriæ, quæ uocem proditionis emiſerant, punirentur.* Ecce tibi cur Iudam ſe ſuffocare permiſit Altiſſimus: quia iuſto eius iudicio id ſpecialitèr flagello ſubeſſe debebat, quod vt peccati organum, nō ad Dei laudem, ſed ad proditionem verba deprompſerat.

Matt. c. 27.

Act. c. 1.

Ecumen.

Iudæ guttur quod proditionis verba deprompſerat punitur.

Vgo Card.

4 Pro hac etiam materia, de qua loquimur, facit illud, quod Matth. refert cap. 26. videlicèt, quòd quærentibus miniſtris vnà cum Malcho Principis Sacerdotum ſeruo Saluatorem cōprehendere, Petrus Magiſtri partes tuendo, educens gladium, Malchi abſcidit auriculam. *Et ecce vnus ex his, qui erant cum Ieſu, extendens manum, exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculā eius.* Circa quod difficultatem mouet Euſebius Emiſſenus: cur Petrus non alibi, quàm in auricula ſeruum iſtum percutere voluit, ſi pro Magiſtro pugnando comprehenſorem ferire volebat? cur hoc non in capite, non in pectore, nec in alia corporis parte efficere voluit, quàm in auricula? Sed certè, ſi vulnerari debuiſſet, quod quidē mitiſſimus Dominus minimè approbauit, non alia corporis pars, neque membrum abſcindi debuiſſet, niſi auricula; quia ipſa Iudę proditionem audiens, eique conſentiens, peccati extiterat inſtrumentum: quod quis ſcit ſi fortè conſiderans Petrus, nō in aliud, quàm in auriculam deſæuire voluit? *Amputauit auriculam ſerui Principis Sacerdotum* (ait pręfatus Euſebius Dominica in ramis palmarum) *quæ non dum circumciſa fuerat, & malis conſilijs obedierat.* Aduertis quare non aliud, quàm auricula abſcindatur? quia ipſa erat, quæ malis conſilijs obedierat.

Matt. c. 26.

Euſebius Emiſſenus.

Cur Petrus Malchum non in capite, ſed in aure percuſſit.

5 Incongruum nunc minimè exiſtimo infelicem Abſalonis exitum aliquantulum conſiderare; nàm hic ambitionis ardore exæſtuans, patriſque regnum affectans, immane bellum contra eum inire non erubuit; quod infandum ſcelus conſiderans pater, nō vt veteranus, ac bellicoſus hoſtis ad bellum exire, ſed terga vertere decreuit; imò procedente Ioab cum ſocijs ad pugnam, inter reliquorum cædes Abſalonem incolumem ſeruari iuſſit. *Præcepit Rex Ioab, & Abiſai, & Ethai, dicens: ſeruate mihi puerum Abſalom.* 2. Reg. cap. 18. ad quod Regis præceptū minimè attendens Ioab, vt ipſum de quercu pendere audiuit, tres lanceas in eius corde infixit. *Tulit ergo tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalō.* Quod factū cōſiderās Ignatius Mart. epiſt. 6. diligenter inquirit: cur Ioab Regis præceptum paruipendens Abſalom interfecit? Et poſtea (quod ad rem noſtram magis facit) ſi ei iuxtà Regis iuſſionem parcere nolebat, cur non alibi, quàm in corde eum vulnerare voluit? An fortè, quia cor, quod in Patrem multa molitus fuerat, ipſum propriè puniri debebat? Ità prorsùs ait citatus Ignatius. *Abſalom parricida factus, per cor praua illa conſilia machinatum, lanceis traiectus eſt.* Et ſic

2. Reg. c. 18

Abſalom in corde vulneratus, & quare

Ibidem

Ignat. Mar.

Pœnas luit peccati inſtrumentum

cur

Digitized by Google

eur in corde potiùs, quàm alibi percuſſus ſit, declaratur.

6 Libentiſſimè nunc audirem: cur Ioab Abner interficere volens, cum non in pectore, nec in corde; ſed in inguine percuſſit? *Percuſſit illum ibi in inguine* 2.Reg. 3. ſi dicis Ioab fratris necem vlciſci voluiſſe; propterea eum, ſic impiè pecuſſiſſe: quod declarare videtur Textus, dùm ſubdit: *Et mortuus eſt in vltionem ſanguinis Aſael fratris eius.* Eſto: ſed adhuc prima ſupereſt difficultas: cur eum in tali loco, & non in alio vulnerare voluit: at ſi vbi laſciuia vigeat, obſeruabis, rem facilè percipere poteris; nam ſi in inguine inhoneſtatis ſedes eſſe ſolet & forma, in inguine percuti debebat; vt vbi culpa, ibi pœna reſideret. Meum non eſt, quod dico, ſed Bachiarij in hunc modum dicẽtis: *Sic etiam ipſe Abner à Ioab fratre Aſael poſtmodum in inguine percuſſus eſſe perhibetur, quia fornicationis forma, non alibi, quàm in inguine merebatur interfici.* hæc ipſe. Ex quibus, quàm verum ſit, quòd peccati inſtrumentum punitionis obiectum eſſe ſoleat, declaratur.

2.Reg. c.3.

Bachiar.

Luxuriæ ſedes pœnę ſubiectum eſt.

7 Nũc ad ſerpẽtis maledictionẽ oculos vertens, omiſſis alijs, verba illa: *ſuper pectus tuum gradieris* Gen. 3. tantummodò libro: & an ſerpens antè maledictionem pedes haberet, inquiro: nã ſi pedes anteà non habuiſſet, ſupervacaneum fuiſſet dicere, quòd ex tunc ſuper pectus ambulare deberet, ſi non minus antea pedes non habendo reptabat. Si dicis quòd antè ſententiam, vt cętera terrę animantia pedibus erat præditus: non minor inſurgere poterit difficultas: cur ipſis non alia corporis parte priuatus ſit: à qua dubitatione me tandem extraxit Moyſes Barceſa, qui ait; quòd antè maledictionẽ pedes, quidẽ habebat, ſed eos per maledictionẽ amiſit: cur autem in his peculiariter puniri debuiſſet, duplicem rationem aſſignat, tùm quià, ſi pedibus ad tentandum acceſſerat; pedibus meritò priuari debebat, vt id ſententiæ ſubiaceret, quod ruinæ, ac pęnæ fuerat occaſio: tùm etiam, vt pedibus priuatus, ſuper pectus, ac ventrem reptare cogeretur, dùm primis parentibus contra Dei præceptum ventri indulgendum ſuaſit. Præſtat nunc ipſum Barceſa in lib. de Paradiſo audire dicentem. *Super pectus tuum gradieris, quaſi dicat: amiſſurus es pedes tuos, quibus ad prauitatem cucurriſti: ambulabiſque, ac repes ſuper ventrem tuum; quia ventrem primorum parentum ineſcaſti.* optima, ni fallor, verba, quæ noſtrum ſatis probant, de quo loquimur, inſtitutũ.

Geneſ. c.3.

Serpens an ſine pedibus productus.

Moyſes Barceſ.

Pedes amittit qui pedibus ad peccandum feſtinat.

8 Verùm quia prefatam ſerpentis maledictionem tetigimus, vlteriùs examinare non diſpliceat: cur mulieris pes, contra quem ab initio bellum inijt Diabolus, nullam aliam ſerpentis partem, niſi caput tundere debebat. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* Gen. 3. Si per capitis contritionem mulieris victoriam deſcribere intendebat, germaniùs dicere poterat, ipſa te vincet, ſuperabit, et perdet: cur igitur dicere maluit: *Ipſa conteret caput tuũ*? nec valet aſſerere; quòd ſicuti tota ſerpẽtis vita in capite quodãmodò reſidere videtur, quod niſi conteratur, haùd facilè interfici poteſt: ſic plena mulieris victoria deſcribi nõ poterat, niſi dicendo; quòd ipſa caput præcisè eſſet confractura: quia ſi ſpirituale erat hoc bellum, quod tunc indicebatur, optimus fuiſſet loquendi modus; tu contra eam pugnabis, ipſa ex te victoriam reportabit: attamen quid ſcientiarum Dominus diceret, benè nouit, quando mulieris iacula contra caput dirigenda prædixit: quia ſi per caput ſuperbia figuratur, iuxtà illud. *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipſorum operiet eos.* Pſal. 139. ſatis iuſtè id calcibus confringi, & humiliari debebat, quod contrà Deum ſtultè ſe eleuare non erubuit. *Quia per ſuperbiam* (ait præſatus Barceſa loco citato) *elatum fuit caput tuum, & improba loquutum eſt; ſemen fęminæ, hoc eſt, qui ex ea naſcetur, calcabit caput tuum, teq; perdet:*

Gen. c.3.

Pſal. 139.

Barceſa.

Serpẽtis caput mulieris calcibus confringi debebat, vt deprimeretur tumor

9 Noſtrorum poſteà progenitorum punitiones ſi æqua lance librabimus, grauiùs mulierem punitam fuiſſe reperiemus, quàm virum; nam ſi hic laboribus, ſudoribus, & morti fuit addictus. *In ſudore vultus*

Geneſ. c. 3.

tui

Google

*tui veſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quiâ puluis es, & in puluerem reuerteris.* Gen. 3. ipſa præter hæc, cùm non minus mulier, quàm vir dolores experiatur, & mortem, in ęrumnarum etiam multiplicitaté, partus dolores, & perpetuam ſubiectionem incidit. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Ibidem. At cur, bone Deus, ſi originalis iuſtitia, poſterorumque fęlicitas, & infęlicitas in uiro conſeruabatur, non in muliere, illum leniùs, hanc uerò ſeueriùs animaduertis, & punis? An fortè, quia ſicut ſerpens, qui Euam ad peccandũ induxerat, ſeueriorem manum expertus fuit; ſic ipſa, quæ Adæ peccandi fuit occaſio, grauiùs puniri debebat, quàm Adam? Prorsùs ità fieri decebat, ut grauiores pęnas lueret peccati inſtrumentum, atque occaſio. Pro qua re audiendus eſt D. Eligius, qui in die Purificationis Sanctæ Mariæ uerba perpendens illa. *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus. Sin autem fęminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus* Leuitici c. 12. *Ideò mulier maiori ſubiacet maledictioni; quia fæmina primùm ſe ipſam, deindè virum, decepta decepit, illa ſerpentis perſuaſioni conſenſit, & virum perſuaſioni ſuæ conſentire fecit.* Ecce tibi, cur ſeueriùs puniretur mulier: quia ſemper grauiores pęnas luere ſolet peccandi occaſio.

*Ibidem.* — *Leuit. c. 12.* — *Eligius.*

Heua grauioribus afficitur ſupplicijs quam Adam & cur

10 Indiſcuſſum, & inobſeruatum abire non debet, quod de ficulnea infructuoſa narrat Matth. uidelicèt, cùm ad eam acceſſiſſet Saluator, & non fructus, ſed folia tantùm reperiſſet, contra eam indignatus, ſic ait: *Numquam ex te naſcatur fructus in ſempiternũ. Et arrefacta eſt continuò ficulnea cap.* 21. nàm hæc Chriſti Domini indignatio omnes Sacrę Scripturæ Expoſitores in ſtuporem adduxit: vndè inter cæteros Carthuſian. ar. 30. *Quæritur, cur Chriſtus, qui vtique ſciuit fructum non eſſe in arbore illa, præſertim quia non erat tempus ficorum, vt habetur in Marco, quæſiuit fructum in ea, & infructuoſę maledixit, quæ in culpa non fuit?* Et licet Victor Antiochenus in cap. 10. hoc ideò factum eſſe exiſtimet, quia cùm pietate, ac miſericordia ſemper vteretur; iuſtitiæ etiam locum quandòque dare debebat, & ne eam contra homines exerceret, aduersùs ficulneam eam erumpere fecit. *Poſtquam enim* (ait pręfatus Victor) *vbique beneficia præſtiterat, nullum autem punierat, cõſentaneũ erat, vt aliquod quandoque punientis virtutis ſpecimen ederet, noluit autem quanta virtutis ſuæ facultas eſſet in hominem, ſed in rem ſenſus expertem, hoc eſt, in fici arborẽ oſtendere:* maiori tamen difficultati his verbis ianuam aperuit, nam hoc punitionis ſpecimen, tam erga hanc, quàm erga quamlibet aliam arborem oſtendere poterat: cur ergo in ficulneam magis, quàm in aliam deſæuire voluit? Et quamuis huic etiam difficultati Diuum Thomam in Catena his verbis occurriſſe reperiam. *Ideò autem non in alia planta, ſed in omnium humidiſſima miraculum hoc fecit, vt hinc maius hoc miraculum appareat:* aliam tamen ad rem noſtram rationem carpere ſi cupiemus; quænàm fuerit arbor vetita, inquiramus: & Auguſtinum nonnulloſque alios reperiemus, dicẽtes: fici arborem fuiſſe, ex qua etiam pòſt comeſtionem, præcepti tranſgreſſores ſe operire ſtuduerunt, ſacra dicẽte pagina: *Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata* Geneſ. 3. quod ſi verum eſt, cur non in aliam arborem, quàm in ficulneam ſæuiret Redemptor, & ne fructus in poſterum produceret, maledictione are fecit: *Nunquam ex te naſcatur fructus in ſempiternum, & areſacta eſt ficulnea,* capi facilè pòteſt: quiâ ipſius fructus tranſgreſſionis fuerant occaſio, ideò contra eam multũ, ſed contra eius fructus maximè ſe indignatum oſtendit. Viuat ſemper Peluſiot. memoria, qui lib. 1. epiſt. 51. ſic dicit: *Exaruit igitur arbor, vt hominibus terrorem inijciat: quin in hac quoque re arcanus quidam ſermo annexus eſt, à ſenibus ſapientibus ad nos graſſatus, nempè hanc arborem tranſgreſſionis eſſe, cuius etiam folijs ad corpus tegendum, hi, qui mandatum violauerunt, vſi ſunt.* Ecce tibi, cur tantùm fici arbori maledicere uoluit Dominus; quia ipſa traſgreſſionis fuerat occaſio, quod ægrè ferẽs pijſſimus Dominus, omni ſemota pietate

*Matt. c. 21.* — Fici arbori cur maledixit Chriſtus — *Carthuſian.* — *Vict. Ant.*

Diuinæ miſericordiæ, & iuſtitiæ quam diſpares effectus.

*D. Thomas* — *Geneſ. c. 3.* — Arbor vetita quæ fuerit. — *Peluſiot.* — Peccati occaſio admodum Deo inuiſa,

Digitized by Google

tate ſeueriſſimus vindex effectus, maledicit, & punit.

10 Reſtat nunc audire: cur ranæ, quæ Pharaonis domum, & omnium Ægyptiorum ædes erant repleturæ, nō ab alio, niſi à fluuio oriri debebant. *Et ebulliet fluuius ranas: quæ aſcendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lecΈuli tui, & ſuper ſtratum tuum, & in domos ſeruorum tuorum.* Exod. 8. quia vt Theodoretus quæſt. 19. in Exod. ait, Hebræorum pueros in fluuium demergi iuſſerat Pharao, propterea nil aliud, niſi fluuius ad impietatis uindictam ranas ebullire debebat; quia pueri ob crurium imbecillitatem manibus, & pedibus ambulantes, ranas imitari videntur. Præfatus Theodor. *Hac de cauſa, aquæ illorum ranas ebullierunt, pro pueris in illas demerſis: nàm pueri inceſſu ranas quodammodò imitantur: & quia nondum ſolis pedibus niti poſſunt, manibus ſupplent pedum imbecillitatem*; ac ſi tacitè dicerent aquæ: ecce pro pueris ranas emittimus, vt iuxtà peccati modū ſit plagarū inflictio: quod quā uerū ſit, benè experitur iſte, qui Inferni incēdia ſentiens, linguæ remedia poſtulabat.

*Exod. c. 8.*

*Theodoret.*

Iuxta peccati modum plagarum inflictio.

## Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Luc. 16.

### §. IV.

*Diuite nemo miſerabilior, conditione eius nulla miſerior, dū diuitijs ipſis ſuprà modū torquetur, et angitur.*

1 PRæfata Abrahami uerba, *Recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala*, quoties percurro, totiès obſtupeſco, nō quòd diues bonis affluxiſſet, cùm ſciam uiam impiorum iuſto Dei iudicio multotiès proſperari, nec quidem quòd ulceroſus pauper continua egeſtate laboraret, cùm omnis filius, qui à cœleſti Patre recipitur, flagellis priùs ſubeſſe ſoleat, iuxtà illud. *Flagellat omnem filium, quem recipit.* ad Hebræos 12. ſed quòd pauper inſtar diuitis mala recepiſſet. *Recepiſti bona in vita tua, & Lazaratus ſimiliter mala*, prorsùs non intelligo: nam ſi diues non mala, ſed bona receperat, quonā pacto Lazarum non abſolutè mala, ſed ſimiliter mala recepiſſe deſcribitur? An fortaſſis quià diuitiæ malæ ſunt: propterea malo aſſimilat, quùm ait: *Et Lazarus ſimilitèr mala?* abſit: nam ut Bernard. ſerm. 4. ait: diuitię de ſe, nec bonæ ſunt, nec malæ. *Aurum, & argentum, & cætera huiuſmodi, quantùm ad animi bonū ſpectat, nec bona ſunt, nec mala.* Ex quo multos, & diuites, & Deo etiam claros extitiſſe iàm noſcimus: vndè præter Abraham, Loth, multoſque alios; quid de Sancto Ioſepho Rabanus dicat, audiamus: *Magnæ dignitatis fuit apud ſæculum, ſed maioris meriti apud Deum, quia non erat diues diuitiarum amore; ſed tantummodò poſſeſſione: ideò diuites non excluduntur à diſcipulatu Saluatoris; iſte .n. diues erat, & Diſcipulus, quia nō pecuniæ amator, ſed ipſius diſtributor.* Si igitur terrena ſubſtātia de ſe mala nō eſt, quo pacto verificari poterit, quòd ad diuitis ſimilitudinem, Lazarus etiam mala recepit? Verùm difficultatem facilè enucleare poterit, qui vndè diuitiæ dictæ ſint, ab Ambroſio audire voluerit. *Diuitiæ* (ait ipſe) *dictæ ſunt, eò quòd montē diuidant, & in diuerſum ſcindant, nec aliquid ſinant incorruptū eſſe, integrum.* lib. 2. de Abraham cap. 8. Ecce nunc myſterium; ſi à ſcindendo, & diuidendo diuitiæ nomen ſumpſerunt, ergo ærumnoſæ, non delicioſæ; cruciatibus, non gaudijs plenæ ſunt. Ità Auguſtinus 5. de Ciuit. Dei cap. 5. *Diuitiæ anguſtijs multis plenæ ſunt*: ergo quò ditior fit mundanus, eò maioribus anguſtijs plenum, & grauioribus cruciatibus torqueri ſe ſentit. Nil aliter Chryſol. in ſer. 22. vbi loquēs de diuite auaro, qui cęteris quieſciētibus, nec ſomnum, nec quietem agnoſcens, mente non corpore laborabat. *Hoc faciam: Deſtruam horrea mea: & maiora faciam* &c. Luc. 12. dicit: *Auri cuſtos, ſeruator argenti, ſecuritatem non habet: neſcit quietem: & cui deeſt ſecuritas, quies perit: pœna diues eſt ille, non cenſu*, quod ſi verum, vt veriſſimum eſt, meritò pauper ſimiliter mala recepiſſe deſcribitur: quia Epulo magis diuitiarum amo-

*Ad Hebr. c. 12.*

*Luc. c. 16.*

*Bernard.*

Diuitiæ de ſe minimè damnabiles.

*Rabanus*

Ioſeph ab Arimathæa plus virtutibus, quam diuitijs diues.

*Ambroſ.*

Diuitiæ vnde dictæ.

*Auguſt.*

*Luc. c. 22.*

*Chryſolog.*

Diuitis cōditione vix infelicior reperitur alia.

*Vulgata*

amorc diues, quàm cenſu,plus diuitijs
ipſe, quàm paupertate Lazarus excru-
ciabatur. Vndè vbi noſtra Vulgata ha-
*Brugenſ.* bet. *Recepiſti bona in vita tua*, Brugen-
ſis ex Græco legit: *Recepiſti bona tua*,
ac ſubdit: *non tàm verè, quàm opinione tua bona, quæ tu ſolus bona eſſe cenſebas,*
*Chryſoſt.* *ſolus magnificaſti*: & Chryſoſtomus. *Vide quid dicat, bona tua: cæterùm bona non ſunt, quæ reputabas bona*; quod idem
erat ac dicere: terrena bona, etſi de
ſe mala non ſunt, quia tamen ob eorũ
amorem, non pauperum, ſed tua facere voluiſti, mala tibi fuerunt, non bona,
*Eccleſ. c. 5.* iuxtà illud Eccleſiaſt. 5. *Diuitiæ conſeruatę in malũ Domini ſui.* Et propterea iure
optimo dici poteſt, quòd ſimiliter mala recepit Lazarus, quia quã doloribus,
plagis, & egeſtatibus torquebatur iſte,
tàm copijs, ac diuitijs angebatur ille.

2 Vulgaris pro re iſta, quòd ærũnoſæ diuitiæ non oblectamenta, ſed
tormenta diuitibus præcipuè cupidis
(de quo noſter eſt ſermo) afferant, eſt
*Luc. c. 8.* locus ille Luc. 8 *Exijt qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum: & dum ſeminat, aliud*
Diuitię ſpicæ. *cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud.* Vbi Gregorius hom.
*Gregor.* 15. *Quis enim mihi vmquàm crederet, ſi ſpinas diuitias interpretari voluiſſem: maximè cùm illæ pungant, iſtæ delectent? Et tamen ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant: & cùm vſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant.* hactenus ipſe.
Quibus, quàm ærumnoſæ ſint diuitię,
ſatis clarè oſtendit. Ex quo dicere ſoleo: non minori anguſtia, atque dolore, mundanos diuites affici ſolere,
quàm qui in cruce ſuſpẽſus miſerabi-
*Laquei* liter pẽdens, infęliciorem morte vitam
ducit; vndè potiùs citò mori, quàm
diù viuere optare ſolet. Meum non
eſt, quod dico, ſed Ambroſij, qui Iudam laqueo ſuſpenſum, conſiderans.
*Receſſit: & abiens laqueo ſe ſuſpendit.*
*Matt. c. 27.* Matth. 27. quinã fuerit laqueus, quo ſic
miſerabiliter ſtrãgulatus eſt Iudas, diligenter inquirit: & licèt iuxtà litteralẽ
ſenſum funem fuiſſe nulli dubium ſit;
tamen antè hũc alio infęliciori laqueo
ipſum ſuſpenſum fuiſſe aſſerit præfatus
Ambroſius: & quinàm fuerit, ſi intelligere cupis, quo nomine diuitiæ nuncupari debeant, Paulum conſule, & videbis, laqueos potiùs, quàm diuitias appellandas eſſe, ſic ipſe ad Timotheum ſcribens. *Qui volunt diuites fieri,* *1. Ad Timoth. c. 6.*
*incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli*: Quia ſi laqueus reum morti
adiudicatum pendulum tenet, & ſuffocat: ſic opes curis diuites ſuſpendũt,
& ſuſpenſos aſſidua cupiditate, & auaritia ſtrangulant. Præfatus Ambro- *Ambroſ.*
ſius in pſal. 118. *Ac ne mediocrem hunc laqueum putes, hic laqueus Iudam Apo-* His laqueis ſtrãgulatus eſt Iudas
*ſtolum ſtrangulauit.* Et ſic cùm diuites à
ſuſpenſis nihil diſtent; quod inuiti patiuntur iſti, vltrò experiuntur illi.

3 Hinc ſanctiſſimus Iacob, qui
ſpiritu ducebatur diuino, cùm Ioſephum filium Ægypto præeſſe, & facultatibus multis abundare audiret,
Principatum paruipendens & copias,
filij perſonam videre cupiebat, non
opes: vndè ſic eſſe affatum ſacra
ait pagina: *Sufficit mihi, ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit; vadã, & videbo illũ, antequã moriar.* Gen. 46. pròh magna viri ſa-
piẽtia, magna præſtãtia, quæ diuitiarũ *Gen. c. 42.*
cõſideras moleſtias, ipſis minimè ſe illaqueari pmiſit, ſed liber sẽper extitit
& ſolutus! Vndè Toſtat. cũ ad reliquos
filios diuitias narrãtes, ſic reſpõdẽtem
introduxit. *Multa bona ſũt, quæ mihi nar-* *Toſtatus*
*ratis de Ioſeph, tamen mihi ſufficit, ſi ipſe*
*viuat, quia ego nõ tã curo de dominatione,* Opes minimè affectandæ.
*& honore eius; quã de vita ipſius.* clariùs ac
ſi diceret: fruſtrà Ioſephi cẽſus, & opes
deſideratis ò filij, nàm ſi hęc ſpinę ſunt,
& laquei, ipſis, nec pungi, nec illaqueari debetis: ſatis ſit vobis frater,
dùm mihi ſufficit filius.

4 Quam Sancti viri doctrinam,
quia ignorauit diues ille, qui nil aliud
præ oculis ſemper habebat, niſi facultates. *Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos.* Luc. cap. 12. quàm *Luc. c. 12.*
ſæuè ipſarum pungeretur aculeis, declarat Euangeliſta; dùm ipſum in molli culcitra, ueluti inter ſpinas, ac vepres inſomnem deſcribit. *Quid faciam,
quia non habeo, quò congregem fructus
meos?* cuius calamitates, miſerias, atque dolores deplorans Ambroſius, ait: *Ibidem.*
*Quis talis non miſereatur? Anguſtatur abundantia, conſtringitur, & coarctatur* Abundantia anguſtantur diuites
*ex opulentia, æger ei non fructuum copiã, ſed curarum moleſtiam germinauit*: & quidem talem moleſtiam germinare ſo-
lent diuitiarum agri, quòd citò diuites *Ambroſ.*
in ſenectutẽ ob curarum magnitudinẽ

redi-

redigere conſueuerunt. Vndè vbi noſtra Vulgata legit. *Subleuati ſunt, confortatique diuitijs*. Iob 21. ſeptuaginta vertunt. *Senes facti ſunt in diuitijs*. Cui verſioni aſtipulatur Ambroſ. lib. 2. de interpellatione in Iob. cap. 4. *Inueterauerunt in diuitijs, dixit, vt non tàm diuturna diuitiarum poſſeſſio, quàm inueterata pecuniarum moleſtia ſignificata videretur*. Quod citò ſeneſcere fecit Iuuenē illum, de quo Lucas cap. 15. *Senior autem erat in agro*. Quia ſi benè aduertis, paulò priùs adoleſcens vocatus fuerat: *Dixit autem adoleſcentior ex illis Patri*. ibidem: erat igitur ſenex non ætate, ſed labore, nec annis, ſed curis, quæ maiorem ſenecturem inducunt, quàm tempus. Vndè Chryſoſtomus ſuper pſalmum 6. *Nihil enim facit adeò inueterare, vt diuitiarum cura*. Quod agnoſcens Chilo quid eſſent diuitiæ, interrogatus, in hunc modum reſpondit: *Theſaurus malorum, calamitatis viaticum, & improbitatis ſuppeditatio*.

*Iob. c. 21.*

*Septuagin. Interpre.*

*Ambroſ.*

*Luc. c. 15.*

*Chryſoſ.*

Diuitiarum cura citò veteraſcere facit.

*Chilo.*

5 A me tamē ſi quis diuitiarum ſciſcitaretur nomen, nec eas ſpinas, nec laqueos, nec malorum appellarem theſaurum: ſed magnum dæmonem; imò dæmonum Principem, & Plutonem ipsū nuncupati debere aſſererem. Quod ex me non dico, ſed ab ipſo accepi Saluatore, qui ſibi malè ſeruientes redarguere volens, hunc ait in modum. *Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ* Luc. 16. Vbi quid per Mammonā inſinuare vellet, explicat Lyranus his verbis. *Mammona enim lingua Syriaca nomen eſt diuitiarum, vel nomen Dæmonis, qui tentat de cupiditate diuitiarum*. Et Toſtatus quæſt. 180. *Sciendum eſt quòd Mammona accipitur pro diuitijs; eſt enim Mammona, vel Mammon nomen Syriacum: ſic enim dicit Hieronymus ſuper Matth. poteſt etiam accipi Mammona, vt eſt nomen Dæmonis, qui tentat hominē de auaritia*. Ex quibus diuitias Dæmones vocari debere, ſatis patet, cum Mammona æquè vtrumque ſignificet: Sed cur tali nomine diuitię nuncupentur, ſcire ſi cupis, paucis dicam verbis: quia non minus terrenæ opes mundanos diuites torquent, & premunt, quā infernales ſpiritus, Auernique monſtra energumenos vexare ſolent, & angere. Ad cuius probationem Iudæ proditionem adduco, quæ non eodem, ſed ſatis diuerſo loquendi modo à Ioanne, & Luca deſcribitur: nàm vbi prior habet. *Cùm Diabolus iàm miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotæ* cap. 13. alter dicit: *Intrauit autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iſcariotes* cap. 22. Qui diuerſus loquendi modus Sacris Scriptoribus ſpeculandi anſam præbuit, & inquirendi, quinàm fuerit hic Diaboli in Iudam ingreſſus, verus & realis, an per ſuggeſtionem tantùm? & quotquot percurri, ſenſiſſe reperi, non perſonaliter, ſed per tentationem tantùm Diabolum in Iudam introiſſe. Vndè (vt cęteros omittam) Lyranus ſuper verba præfata, *Intrauit autem Satanas in Iudam*, quinam fuerit hic ingreſſus, ſatis clarè declarat, quùm dicit: *Intrauit autem Satanas in Iudam, ideſt, animam Iudæ, non per illapſum, quia hoc eſt Deo proprium; ſed per effectum, venditionē Chriſti ei ſuggerendo*: Ergo ſpiritualis fuit ſuggeſtio, non præſentialis introitus. Ità Auguſtinus tract. 55. in Ioannem: *Si quæris: quid miſſum ſit in cor Iudæ? Hoc vtique, vt traderet eum: miſſio iſta ſpiritualis ſuggeſtio eſt*. Et Toletus: *Miſit autem in cor Iudæ, quando effuſione vnguenti indignatus, abijt ad Iudæos, & de tradendo Domino pretio ſtatuto cum eis conuenit*. Itaque quod Ioannes per ſuggeſtionem, Lucas per ingreſſum explicare intendebat? Ità prorſùs. Sed ecce nunc difficultas, ecce dubitādi occaſio: ſi idē penitùs dicere cogitabat vterque, cur eodē loquendi modo vterque non vtitur? cur non ambo, vel ſuggeſſiſſe, vel introiſſe Diabolum aſſerunt, quòd ſic diuerſimodè loquuntur? At quidem myſterio minimè vacat, quòd aſſenſus, quem diabolicę ſuggeſtioni Iudas dedit, Dęmonis vocetur ingreſſus; quia ſi proditor argenteorum amore Magiſtri perdidit charitatem, vt in eius cor pecuniarum introiuit cupiditas, magnus in eum ingreſſus eſt Dæmon; cùm diuitiæ à Dæmone parum diſtent. Propter quod Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Euangeliſt. cap. 1. loca conciliando, hunc ait in modum: *Nec ſufficit reſpondere, aliud eſſe miſiſſe in cor, & aliud introiſſe; nam non dicitur intraſſe, niſi ratione malarum cogitationum*. Verùm per Dæmonis

*Luc. c. 16.*

*Lyran.*

*Toſtatus.*

Diuitiæ dæmones, Auernique monſtra.

*Ioan. c. 13.*

*Luc. c. 22.*

*Lyran.*

Satanam in Iudam introiſſe, quomodò intelligēdum

*Auguſtin.*

*Auguſtin.*

Vt Dęmoniaci à dęmonibus, ſic à diuitijs vexantur diuites.

ingreſſum diuitiatum declaratur cupiditas, vt quàm parùm ab energumenis locupletes differant, agnoſcatut,

6 Ad cuius veritatis confirmationem alium ſcripturę locum adduco

*Actor. c.5.* Cur nō Ananias, ſed Ananię cor tentatum deſcribitur.

Actorum 5. *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Inuſitata ſanè, & noua eſt hæc Petri locutio: nam ſæpè in ſcripturis aliquos fuiſſe tentatos, reperimus: ſic pſalmo

*Pſal. 34.*

34. *Tētauerunt me, ſubſannauerunt me.* Et ſap. 3. *Quoniam Deus tentauit eos:* Nuſquā tamen, quòd cor alicuius tentatum

*Sap. c.3.*

ſit, reperire poterimus: quare igitur non dicit: cur te Satanas tentauit? quòd dicere maluit: cur tentauit Satanas cor tuum? Cui difficultati occurrere volens Beda ex Syriaca lectione,

*Beda*

ſic dicit: *Cur ità impleuit Satanas cor tuū, vt mentireris in ſpiritum ſanctitatis?* Quæ Bedæ verba maximam ingererent difficultatem, cùm non facilè intelligi poſſit, quòd Satan cor impleat, niſi ex paulò Superiùs dictis ſciremus, diuitias Dæmonia vocari ſolere: propterea quùm cor diuitiarum deſiderio impletur, tunc perindè, ac ſi infernalibus ſpititibus plenum, angitur, & torquetur. *Cur impleuit Satanas cor tuum*

*Idem*

(ait præfatus Beda) *quaſi dicat: cor, & mens hominis à ſolo Deo impleri poteſt: cur ergo tù permiſiſti illud impleri, & occupari à Diabolo?* Ex quibus clariſſimè videre iàm licet: quòd æquè diuites à diuitijs, ac obſeſſi à Dæmonibus, excruciātur. Hinc Alcuinus verba illa Habac. 3. *Pro iniquitate vidi tētoria Aethiopiæ:* ſic explicat: *Ideſt, pro diuitijs captādis vidi homines factos tabernacula nigredinis, ideſt, vitiorum, & Dæmonum.* in homiliario cap. 16. Lucę.

*Habac. c.3.*

*Alcuinus.*

Diuites à dęmoniacis vel parum, vel nihil diſtant.

7 Et quidem ſic Dæmoniaci iſti vexantur, atque torquentur, vt vix ſine mortis diſcrimine huiuſmodi torſiones ferre valeāt. Quam rem tacitè ſaltē cùm de duobus Dominis loqueretur Saluator, his verbis explicauit: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet.*

*Matth. c.6.*

Matt. 6. Qui autem ſint hi duo Domini declarauit dùm addidit: *Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ.* Ex quo Sacri Scriptores inferre perceperunt, mundanos nullatenùs Deo ſimul & diuitijs ſeruire poſſe: ſed quod notatu dignum exiſtimo, verbum eſt illud, *ſuſtinebit*, quod violentiam, atque oppreſſionem ſignificare videtur: Vnde idem (ni deceptione afficior) ſonat, *Vnum ſuſtinebit*, ac, vnum nimis ægrè patietur. Quis autem ſit crudelis hic Dominus, qui ſic difficilè ferri poteſt, declarat

*Toſtatus*

Toſtatus quæſt. 180. *Diabolo ſeruit auarus propter diuitias: & ideò vocatur auaritia Idolorum ſeruitus, ſic dicit Auguſtinus lib. de ſerm. Domini, qui ſeruit Mammonæ, ideſt, diuitijs, illi vtique ſeruit, qui rebus iſtis terrenis meritò ſuæ peruerſitatis princeps huius ſæculi à Domino dicitur cōſtitutus, & iſte patitur durum Dominum, quiſquis ſeruit Mammonæ: ſua n. cupiditate tentus ſubditur Diabolo; & ſic eum ſuſtinet, ſed non diligit.* hactenus ipſe: quorū illa præcipuè ſi notabis; *Iſte patitur durum Dominum, quiſquis ſeruit Mammonę.* Quàm crudelem dominum patiatur, imò à quàm ſæuo Dęmone torqueatur auarus, agnoſces.

Mammonæ ſeruit, qui auaritiæ ſtudet.

Durus auidorum Dominus auiditas

8 Modò nequaquàm miror, cur Iudas argenteos, quos auidè ingurgitare concupierat, ſic citò euomuit. *Retulit triginta argenteos.* Matth. 27. & paulò infrà: *Et proiectis argenteis in templo, receſſit:* Et quidem pro ipſis Apoſtolatum dimiſerat, Magiſtrum prodiderat, & animæ ſalutem vendiderat, nihilominùs citò reſtituit; imò ne eos amplius ſecum haberet, proiecit, & abdicauit: *proiectis argenteis, receſſit:* quę res licèt Lucā Brugenſem in ſtuporē adduceret: *Illos triginta argēteos* (ait) *quos nocte ſuperiore pro Ieſu prodito, traditóque ex pacto acceperat, paucisq; dumtaxat horis poſſiderat, tanto prius ſtudio ambitos proiecit:* mihi tamē admirationi non eſt: qnia nummos, vt paulò ſuperiùs dixi, Dæmones eſſe cognoſco, à quibus vix obſeſſus Iùdas, dolores, & torſiones ferre nō valens, illos auidiùs proiecit, quàm quæſiuit. Vndè Drogo dę Sacramento Dominicę paſſionis lib. 1. eum Abſalom cęſarie grauato comparat, quùm dicit: *Ecce Abſalom, ecce Iudas, ecce corpus Satanæ. Sed quomodo comam nutriebat? fur erat, & loculos habebat; iſta eum cæſaries grauabat, & ſemel in anno tonſus eſt, quando ſemel retulit triginta argenteos, & proiecit eos in templo.* Ecce quomodò crudeles Dęmones, & Auerni monſtra, ferre non

*Matt. c.27.*

*Brugenſ.*

*Drogo*

Iudas argenteorum pondere grauatus, illos citò proiecit.

valens

valens Iudas, quod amauerat, odit, & quod concupierat, proiecit.

9 Cęterùm, vt pręſentem tractationem concludam, vnum dicam, & eſt; quòd fortunę bonis affluẽtes adeò bonis ipſis affligi ſolent, & cruciari, vt diuinæ vindictæ opus dici poſſit, illa cupidis diuitibus concedere: ad quam rem non parùm facit quæſitum illud Ieremiæ. *Quare via impiorũ proſperatur*. cap. 12. Quod idem erat, ac dicere: cur peccatores ſic locupletas, ò Dominę? cur eos, à quibus quotidiè iniuria afficeris, ditas? cur denique pro pœnis diuitias, & pro offenſis facultates concedis & opes? Cui quæſito Dominum reſpondiſſe reperio: *Congrega eos, ſicut gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis*. ibidem. quaſi diceret: miraris Ieremia, quòd ſceleſtos, à quibus quotidiè me offenſum agnoſco, fortunæ bonis affluere faciam! ſi diuitiarum excogitabis naturam, omnis in te deſinet admirationis occaſio; quià ſi opes ſpinæ, laquei; imò Dæmones, & Auerni ſunt monſtra, quæ ſupra quam imaginari poteſt excruciant, me non ad præmiũ, ſed ad vindictam hæc concedere ſolere, intellige: propterea dico: *Congrega eos*. Pluſquam ſubtilitèr Carthuſianus art. 24. *Quod autem in hac vita ſæpè contingit iuſto Dei iudicio, quo eos iratus, ea per quæ damnabiliores fiunt adipiſci permittit*: ſicque quàm ærumnoſæ ſint opes, intelligis: dùm eas non ad prẹmium, ſed ad vindictam concedere ſolet Altiſſimus. Vndè dicere conſueuerat Seneca Epiſt. 22. Quòd iratus Deus, fortunæ bona concedere cõſueuit: *In hoc excuſabiles ſunt dij, quòd iſta, quæ vrunt, quæ excruciant, optantibus data ſunt*. hęc ipſe. Quibus ſi benè aduertis, diuitias non tantùm diuites excruciare, ſed etiam vrere aſſerit, *quæ vrunt, atque excruciant*; vt quàm ſint ærumnoſæ, intelligas. Iure igitur optimo dicere poterat Abraham; quòd ad diuitis ſimilitudinem, non ad æqualitatem pauper mala ſuſcepiſſet; quia humano hoc corpore circumſeptus diues, magis ipſe diuitijs excruciabatur, quàm paupertate, egeſtate, & vlceribus pauper.

*Ierem. c. 12*

Impiorum vita cur proſperetur?

*Ibidem.*

*Carthuſ.*

Non ad oblectamentũ, ſed ad tormentum diuitias cõcedere ſolet Altiſſimus.

*Seneca.*

# FERIA SEXTA
## POST
# DOMINICAM SECVNDAM
## QVADRAGESIMAE.

**Homo erat paterfamiliàs,qui plantauit vineam,& ſepem circumdedit ei. Matth 21.**

### §. I.

*Quàm ſeduſo hominum cuſtodia inuigilant Sancti Angeli,tàm in eorum victoria ouantes, tripudiant.*

1 FElix vinea, & pluſquàm beata plantatio, quæ à cœleſti Agricola effecta, ſuperno rore madefacta, innumeris gratijs irrigata, Martyrum ſãguine purpurata, & excelſa decorata turri,
Matt.c.21. tradita eſt agriculkoribus. *Locauit eam agricolis*. Matth.21. vel,vt Cantic.8.
Cant.c.8. habetur *Locauit eam cuſtodibus*, quibus cuſtodibus locata ſit hæc vinea, expli.at Beda, dùm dicit : ſicuti
Venerab. Beda. per vineam animam,ſic per cuſtodes ſanctos Angelos figurari. *Cuſtodes ſunt exercitus militia cœleſtis, qui omni tempore ſæculi labentis pro Eccleſiæ ſtatu curam gerunt, ne malignorum, vel hominum,vel ſpirituum irruptione turbetur*, qui nedum natiuitatis ianuam, vt Cherubim ille, qui verſatili gladio terreſtris Paradiſi aditum præcludebat, cuſtodiũt; verùm totius vitæ, & mortis etiam vada quia ſeruant, nè vinea hæc ſpiritualium beſtiarum patiatur incurſus, ſepi in præſentiarum comparãtur. *Ho-*
Matt.c.21. *mo paterfamilias plantauit vineam,& ſepẽ circumdedit ei*.Matth.21. vbi Imperfe-
Imperfect. ctus Homil. 40. in Matthæum. *Quid eſt ſepis, niſi Angeli in circuitu cuſtodien-*
Militantis Eccleſiæ Vineam Sancti *tes populum Dei, ne in vineam Chriſti inuiſibiles latrones irrumpant? Angelos enim praeſſe hominibus, & Apoſtolus di-*
Angeli ſepiunt. *cit, mulier velamen debet habere ſuper caput propter Angelos, & Dominus ipſe, Amen dico vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei*. hactenus ipſe. Felix vinea, & pluſquàm beata cuſtodia, quàm Diuus Laurentius Iuſtinianus conſiderans, gaudens ad vineam animæ ſuæ dicere conſue-
Laurentius Iuſtinian. uerat. *Lauda itaque anima mea Dominũ ipſum, toto corde, omnique mentis intentione dilige, illi ineffabiles gratiarũ actio-*
Eximium animarum noſtrarum beneficium Angelorum cuſtodia. *nes exolue, qui tàm tibi immenſa, tàm innumera, tàm ſingularia, ſine te beneficia erogauit, tantorumque tibi ſuffragia tribuit Angelorum, quorum exemplo tu diſcas famulari Redemptori, quorumue auxilio valeas præſentis exilij euadere laqueos, aduerſarios vincere, & ſalutis portum intrare.*

2 Curioſè ſcrutabar multotiès; cur ſancti Angeli nunc tutores, nunc hominum ſpectatores vocentur? Tuto-
Bernard. res (cœteros vt omittam) vocauit Bernardus ſuper Pſalmum. Qui habitat:
Angeli Cuſtodes hominum cenſeri debent tutores. *Affectuoſè diligamus Angelos, tanquàm futuros aliquandò cohæredes noſtros, interim verò tutores à Patre præpoſitos*. Spectatores eos Paulus nuncupauit, quũ ait: *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus* 1.Corinth.cap.4. 1.Cor. c.4.
Verùm eorum ſtudium, atque ſedulitatem in hominum cuſtodia, & lætitiam, quam in ipſorum victorijs oſtendunt, conſiderans, ampliùs non miror; quia ſi tutores à tuendo dicti ſunt, cùm illum tueri debeant, qui ſe ob ætatis defectum defendere minimè poteſt:

vndè

vndè his verbis diffiniri ſolet tutela: *Eſt vis, ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui ſe per ætatem defendere nequit, iure ciuili data, vel permiſſa*: cùm à natiuitatis exordio nos defendere, ac tueri incipiant, tutores meritò appellantur. Et ſi mortalis hæc vita aſſidua militia, ac continuum cenſendum eſt bellum, iuxtà illud: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. Iob cap. 7. noſtri duelli eos ſpectatores aſſerere debemus, qui quàm in hominum pugna anxios, tàm in victoria ſe lætos oſtendunt. Quod hiſcè verbis declarauit Bernardus ſerm. 31. in Cantica. *Angelus miniſter tripudiat, collætatur, & cõdelectatur, & cõuerſus ad Dominum dicit: gratias tibi ago Domine maieſtatis; quia deſiderium cordis eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.* Ecce tibi, cur tutores, & ſpectatores vocentur Angeli: quia quàm nos in pugna tuentur, tàm in noſtris victorijs tripudiant.

*Iob. c. 7.*

*Bernard.*

In ipſorum Salute tripudiant

3 Et in primis, quòd hominum cuſtodiæ inuigilent, penè innumera Sacræ Scripturæ loca teſtantur, quæ cũ ſatis vulgaria agnoſcam, relinquo: ſicuti etiam quæſtionem, quæ agitari ſolet: cur pennis vndique obuallati pingantur, ſi incorporei ſunt? quia ſicut Diuus Dionyſius ait: vt in cuſtodiendo oſtenderetur vigilantia, pennati pinguntur. *Pennatos ſanctorum ſpirituũ pedes, theologia figurauit, quippè alis figuratur celeritas.* de cœleſti Hierarchia cap. 15. vndè ſuper verba illa. *Alæ Chærubim viginti cubitis extendebantur, ita vt vna ala haberet cubitos quinque, & tangeret parietem domus.* 2. Paralipomenon cap. 3. dicit Rabanus. *Quòd ala vna tangat parietem, & ala Cherubim ſecundi alterum parietem, pertinet ad illam charitatis adminiſtrationem, quam nobis Angeli exhibent*, quam etiam ſolicitudinem, ac vigilantiam Angeli demonſtrabant illi, qui ad ambulandum præcincti ſe oſtendebant, iuxtà illud: *Veſtiti lino mundo, & candido, & præcincti circà pectora zonis aureis.* Apocal. 5. quod explicans S. Andreas Epiſcopus Cęſareæ Cappadocię, hunc ait in modum: *Dicuntur Angeli præcincti lumbos circà pectora zonis aureis, vt intelligas, in obeundis inuictis miniſterijs, ità expeditos eſſe, vt impediri non facilè queant.* A quibus minimè diſcrepabat ille alter, qui Tobiam adoleſcentẽ ducere volens, præcinctus apparere voluit: *Inuenit iuuenem ſplendidum, ſtantem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum.* c. 5. Nec his omnibus eorum ſolicitudo cõtenta eſt, ſed vltrà ſedulitatem in cuſtodiendo, etiam pro animabus ſibi commiſſis, antè ſummum Maieſtatis conſpectum prouoluti pro ipſis intercedere ſolent. Quod ſatis apertè dixit Origenes, verba explicãs illa: *Acceſſit ad eum homo genibus prouolutus antè eum, dicens: Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt.* Matth. 17. *Feſtinans Angelus* (ait ipſe) *qui ſortitus eſt lunaticum illum talem, ſi tamen dicendum eſt, omnem animam hominis ſub aliquo Angelo conſtitutam, quaſi ſub aliquo patre, pater huiuſmodi lunatici appellatur, deprecans quaſi pro filio Medicum animarũ, vt liberet, qui nõ poteſt ſanari per verbum humile diſcipulorum Chriſti.* Et ſic tutoris non tantùm, ſed Patris etiã (ſi fas eſt dicere) officio fungentes, animarum ſaluti, quantùm poſſunt, inuigilant.

*Dionyſius Areopagita*

Cur pennati pingantur.

*2. Paralip. c. 3.*

*Rabanus*

*Apocal. c. 5*

*Andreas Epiſcopus*

Quàm ſeduli animarum noſtrarum Cuſtodes.

*Tobiæ c. 5.*

*Matt. c. 17.*

*Origenes*

Ac ſi ipſarũ Patres earũ curam gerũt

4 Equidèm tàm hominum cuſtodiæ, atque vtilitati incumbunt, quòd ſæpè magis ipſi hominibus, quàm homines ſibi conſulere ſtudent: quæ res clarè viſa eſt in Lot, qui cùm ab Angelis proximam Ciuitatis ruinam audiret, cùm cœleſti igne comburendam, & funditùs eam euertendam fore intelligeret, adhuc ad egrediendum ſegnem ſe oſtendebat & tardum: quod videntes Angeli manum ipſius, vxoris, ac filiarum apprehendentes, celerrimè è Ciuitate extraxerunt. *Cumque eſſet manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes: nè & tu pariter pereas in ſcelera Ciuitatis. Diſſimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius &c. eduxeruntque eum, & poſuerunt extrà Ciuitatem*: Gen. 19. quibus vix egreſſis, in fauillam, & cinerem ſceleſta redacta eſt Ciuitas, iuxtà illud Ieremiæ. Tren. 4. *Maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento.* In qua re, ſi benè aduertis, quàm ſeduli ſe oſtendebant Angeli, tàm ſerus & ſegnis ſe demonſtrabat Lot, licèt

*Gen. c. 19.*

*Tren. c. 4.*

non

Digitized by Google

non Angelorum, ſed ipſius periclitaretur vita, vt agnoſcas, quòd plùs Angeli noſtra curant, quàm nos ipſi. *Angeli* (ait Chryſoſtomus ibidem) *curam agentes Iuſti, apprehenderunt manum eius.* ac ſi diceret: cùm Lot penè ſui oblitus, nil minus, quàm propriam vitam curarer, tunc Sancti Angeli nil magis in terris, quàm ipſius vtilitatem quærentes, omni, qua potuerunt celeritate, eum egredi compulerunt.

*Chryſoſt.*

Magis ipſi hominibus, quàm homines ſibi conſulere ſtudent.

5 Ob quam promptitudinem, ac vigilantiam rem dicere cogor, quæ primo intuitu credi vix poteſt: ſanctos illos cœleſtis Curiæ ciues, supernæq; militiæ Principes noſtra ſic curare, vt, dicere ſi fas eſſet, dicerem vtiq; quòd magis quodãmodò de noſtra ſalute, quàm de propria beatitudine ſoliciti eſſent. Mirificè ad hoc, quod aſſumpſi, facit illud 2. Paralipomen. cap. 3. videlicèt, Cherubim, quos Salomon in Sancta Sanctorum conſtituit, non interiorem domum, vbi Maieſtas diuina apparere ſolebat; ſed exteriorem domum ſpectare. *Facies eorum erant verſæ ad exteriorem domum*, per quas domos, ſi Cœlum figurabatur & terra, ad exteriorem domum, quæ terram ſignificabat, oculos declinabant; quia, dicere ſi licet, magis quodammodò hominum curæ, quam propriæ felicitati inuigilant. *Facies eorum erant verſæ ad exteriorem domum* (ait Rabanus) *quia Angeli, ſicut ſuam innocentiam conſeruant, ſic de ſanctorum beatitudine gaudent, vt eis, quos adhuc in terris conſpiciunt, opem ferant, donec illos ad cœleſtem patriam perducant.* Ecce tibi quomodo plus quodammodò hominum ſaluti, quàm propriæ felicitati inuigilant Angeli, dùm in cœleſti patria ad lacrymarum vallẽ oculos vertunt. Nec vacat myſterio, quòd Cherubim iſti ex alia materia fabtefacti non ſint, niſi ex lignis oliuarum, vt habetur ex 3. Regum. 6. *& fecit in Oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum*, quia ſi oliua, tàm apud ſacros, quàm apud profanos ſcriprores ſemper pacis, miſericordiæ, & pietatis hieroglyphicum fuit, vt eos mites ac pios ergã nos oſtenderet, non eos aureos, vel lapideos fecit, ſed ex oliuarum lignis; ſic Rupertus Holchot lect. 148. ſuper cap. ſapien. 12. *Fuerunt iſti noui Angeli Salomonis de lignis oliuarum, antiquitùs fuerunt ferrei propter incompaſſionem, & duritiam, qua hominibus non compatiebãtur. Nunc autem de lignis oliuarum, quia miſericordes, & pij.* Et quidem parua pietas non eſt, ſed magnæ charitatis indicium, & amoris eſt argumentum, magis quodammodò aliorum vtilitati, quàm propriæ felicitati incumbere.

*Paralipom. c. 3.*

*Rabanus.*

Ferè plus hominum ſaluti, quàm propriæ felicitati incumbunt.

*3. Reg. c. 6.*

*Rupertus Holchot.*

Quàm duros erga homines ſe antiquitùs eſſe debãt Angeli … nunc mites apparent.

6 Quàm poſtea in hominum lætẽtur victorijs, aliqualitèr declarauit Diuus Matth. qui Saluaroris cum Dæmone deſcribens congreſſum ait: completo certamine, confractis telis, fugatoq; hoſte, ſtatim acceſſiſſe Angelos: *Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* cap. 4. Quod idem erat, ac dicere: pòſt prælia, decertationes, atque conflictus apparent Angeli, vt Saluatoris canant victorias; quia cùm aliquem ex infernali hoſte trophęa reportantem perſpiciunt, iubilantes plaudunt, & plaudentes, victoris extollunt præconia. Aſtipulatur Chryſoſtomus hom. 13. in cap. Matth. 4. his verbis: *Poſtquàm illum per cuncta deuicit, tunc Angeli conſequenter apparent: vt tu diſcas, quòd te quoque pòſt confectam de Diabolo victoriam, Angeli repentè ſuſcipiant, plaudentes tibi, teq; ſtipatorum vbique more comitantes, ſic igitur, & Lazarum pòſt fornacem paupertatis, ac famis ſuſcipiẽtes, ad requiem pertulerunt.* Nec in ipſa requie requieſcũt, ſed magnis vocibus triumphantis canunt victorias. Vndè vbi Ioannes habet: *Et audiui vocẽ magnã de Cœlo.* Apocal. cap. 12. Bern. Senen. ſer. 3. poſt Reſur. tom. 1. ſer. 55. art. 2. c. 3. dicit: hanc magnam vocem Angelorum vtiquè fuiſſe, non propter aliud ſic clamantium, niſi ob hominum victorias; cuius verba ſunt hæc: *Gaudent Angeli de ſalute proximi, ideſt, noſtri, & ideò meritò talis vox dicta eſt magna, quia magnæ exultationis eorum fuit materia, ideſt, de gloria Dei, & proximi: Vndè ſubdit: nunc facta eſt ſalus, & virtus, & Regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius.*

*Matth. c. 4.*

*Chryſoſt.*

Victorijs gaudent, et Victoribus plaudunt ſãcti Angeli

*Apoc. c. 12.*

*Bernardin. Senenſ.*

7 Et quidem quis hanc laudantiũ Angelorum vocem magnam non vocabit, quæ in Cœlis prolata, in terra non minùs, quàm in Paradiſo auditur?

Vndè

Vndè cùm paternitatis oblitus Abraham, carni non parcens, nec ſanguini, impauidè filium immolare iàm vellet, non eum à ſacrificio humana, nec terrena, ſed cęleſtis vox præpediuit. *Ecce Angelus Domini de Cœlo clamauit, dicens: Abraham Abraham, nè extendas manum tuam ſuper puerum, neq; facias illi quicquam: nunc cognoui, quòd timeas Deum.* Gen. 22. qua in re, cæteris omiſſis difficultatibus, quod me maximo afficit ſtupore, eſt; quòd Angelus iſte, non de terra, ſed de Cęlo clamaſſe dicatur. *Angelus Domini de Cœlo clamauit*: ſi ſacrificium impedire volebat, cur non deſcēdit? cur non aduenit? cur non acceſſit? ſi ſanctum virum diuino (ſi fas eſt dicere) amore ebrium videbat, cur percutientis non apprehendit dexteram, brachiumq; non tenuit? An fortè, quia ipſum diuino nutui parentem videbat, vnico tantùm verbo, à cœpto iam ſacrificio eum præpedire poſſe exiſtimabat? eſto; ſed cur de Cęlo clamare voluit, non è terra? Si Angelos multos ad homines deſcendiſſe agnoſcimus, cur ipſe in terram venire nequiuit? Sed, ò gaudium, ò iubilum! Nàm moræ impatiens, deſcenſumq; (ſi dicere licet) expectare non valens, talem lætitiæ vocē perſonare fecit, quòd de Cęlo delapſa, in terra non minùs, quàm in Cęlo auditur! Quam rem pereximiè declarauit Origenes hom. 8. ſuper idem, cùm ait: *Angeli in Cœlo lætantur ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, & de perfectionibus hominum gloriantur: ipſi enim velut procurationem animarum noſtrarum tenent, quibus dùm adhuc paruuli ſumus, velut tutoribus, & actoribus committimur vſq; ad præfinitum tempus à patre, ipſi ergo nunc de profectu vniuſcuiuſq; noſtrum dicunt: nūc cognoui, quòd timeas Deum.* Sic ipſe. Tu autem, quàm magnæ lętitiæ ſit hæc vox, quæ in ſupernis prolata, in imis auditur, conſidera.

*Gen. c. 22.*

*Ibidem.*

*Origenes.* Angeli hominum tutores, ac curatores.

8 Lætitia poſteà, quam in Chriſti Natiuitate cœleſtes oſtēderunt Spiritus, dicente Luca cap. 2. *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium. Gloria in Altiſſimis Deo*: quid aliud, quàm gaudium de noſtris victorijs indicabat: quia ſi in Saluatoris aduentu, natura illa, quæ à creationis exordio victa fuerat, vincere cœpit, & triūphare; iure optimo Angelorū tunc audiri cœperūt plauſus, qa tunc noſtræ victoriæ videbatur initiū. Adſit ad hoc probandum Chryſoſtomus in ſerm. de Aſcenſ. dicens. *Diſce gaudium cæleſtium Poteſtatum, quando Dñus noſter Ieſus Chriſtus natus eſt ſecundū carnem, reconciliatum hominem cùm viderent, declarant cauſam, dicentes: in terra pax hominibus bonæ voluntatis: hominibus, qui rebellati ſunt, qui inimici fuerunt, qui alienati erant. Vides quemadmodum in alienis bonis gratulantur, immò in ſuis? Nā noſtra bona ſuas vtilitates arbitrantur.* hucuſq; Chryſoſtomus. Qui ſuper verba illa Ioannis 1. *Amen Amen dico vobis, videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis*: tantæ frequentiæ rationem aſſignat, dicēdo: ſi aſſiduus acceſſus, atque receſſus ſolemnitatis, gaudij, atq; lætitiæ ſolet eſſe indicium, vt in magnis feſtiuitatibus experientia docet, meritò ſuper Saluatorem aſcendunt, & deſcē dunt Angeli; quia ex infernali hoſte trophęa reportantem videre, magna Angelorum feſtiuitas erat & gaudium; cui cùm omnes intereſſe optarent, viciſſim accedere, & recedere oportebat. Præfatus Chryſoſtomus. *Iſte ſemper amantium mos eſt, & cupientium ſolita cōſuetudo. Vndè nec tempus expectare didicerunt, ſed feſtino amoris ardore præueniunt conſtitutum; ideò aſcendunt, ideò deſcendunt, & cū omni feſtinatione nouum, & incredibile ſpectaculū videre deſiderant*: Aurea prorſùs verba; ſed præcipuè illa, *cum omni feſtinatione nouum, & incredibile ſpectaculum videre deſiderant*, quàm noſtris profectibus, atque victorijs lætentur, oſtendunt. In cuius rei figuram legiſſe me memini: Cherubim illos, qui ex vtroq; latere Arcæ expanſis alis, ipſam cuſtodire debebant, vultum, ac oculos non ad Arcam, nec ad propitiatorium reſpiciendum, inclinare, ſed ſe ipſos mutuò reſpexiſſe. *Reſpiciantque ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium.* Exod. 25. quæ autem in hoc diuina fuerit intentio, haud facilè capi poſſet, niſi ex modò dictis ſciremus, gratiſſimum Angelorum ſpectaculum noſtrā victoriam eſſe: At quia per propitiatorium, iuſti anima Angelico vallata pręſidio

*Luc. c. 2.*

*Chryſoſt.* Gaudent Angeli in Chriſti natiuitate, quia reconciliatum videbant hominem.

*Ioan. c. 1.*

*Chryſoſt.* Mira Angelorum feſtiuitas hominum victoria.

*Exod. c. 25.*

Digitized by Google

ſidio figuratur, intenti ſeipſos inſpiciebant Cherubim:quia læti vincentiũ animas ſpectant, eiſq; plaudunt cœleſtes cuſtodes,ſuperníq; Vigiles. Rupertus Holchot lect. 148. ſuper cap. Sapient. 12. *Mutuò ſe reſpicere dicuntur, quaſi de noſtræ naturæ innouatione ſpecialiter admirantes. Gaudent enim Angeli de peccatoris victoria: quia vident ſuæ cuſtodiæ tam glorioſum fructum; ſicuti medicus gaudet, quando videt ſuæ curæ commiſſum reparatum, & conſuetæ valetudini reſtitutum*. Ecce quomodò reſpicientes ſe mutuò, quam capiunt de noſtris victorijs, prætendunt lętitiam.

*Rupertus Holchot.* In hominũ ſalute non modica afficiuntur lætitia Angeli Cuſtodes.

9 Nunc ad Cherubim illos, de quibus paulò ſuperiùs fari iàm cępimus, reuertor: & non ampliùs, cur alas expanderent, cur parietem tangerent, & cur deniq; exteriorem, non interiorem domum aſpicerent, inquiro: ſed cur nõ pedibus in terra fixis, ſed erectis, ac penè eleuatis, efformati ſint, non poſſum non inquirere. *Ipſi autem ſtabant erectis pedibus*. 2. Paralipomenon. 3. & licèt hanc pedum erectionem explicêt nonnulli, dicentes; quòd vnum pedem altero magis eleuatum habebant, ad inſinuãdum ambulandi deſiderium, ac promptitudinẽ: ſic (reliquos vt omittam) Author hiſtoriæ ſcolaſticæ Petrus Comeſtor. *Habebant habitudinem voluntatis ad ambulandum; habebant enim vnum pedem fixum in pauimento, & alium curuatum, quaſi eleuatum ad ambulandum.* Adhuc nihilominùs non parua dubitãdi reſtat occaſio: quo pergere deſiderabant Angeli iſti, ad ambulandum parati, ſi ad Arcæ cuſtodiam erant deſtinati? Nec totaliter difficultati ſatiſfacit Gloſſa interlinealis, cùm dicit: propterea pedes, ſic obliquatos habuiſſe, vt ſic quanto ſtudio nos ex hac lacrymarum valle erectos ad perennem gloriam ducere optarẽt, oſtenderent: *Quia nos ab huius peregrinationis ærumna ereptos, ad ſuum deſiderant venire conſortium:* quia ſi iuxta meritorum, ac preſſurarum menſuram, quantitas tribuitur gloriæ, non nos è mundo eripere, ſed in eo diù perſiſtere deſiderare deberent, vt longiori cõſummato certamine, illuſtrior redderetur corona: idcò alia eſt quærenda difficultatis ſolutio; quam tandem in Carthuſiano reperi, qui ſuper præfatum ſcripturæ locum artic. 3. dicit: non ob aliud pedes obliquatos habuiſſe, niſi vt lętitiam demonſtrarent: quia ſi tripudiãtes, tantùm pedum acumine terram tangunt: ſic ipſi ob noſtras victorias ſuſpenſo gradu choreas ducere videbantur. Viuat ſemper Carthuſiani memoria, qui hanc mihi ſubtilitatem ſuggeſſit. *Habebant pedes obliquatos, quaſi ad ambulandum, & eleuatos, ſicuti in tripudijs habent homines, ſaltando iubilantes.* Vides itaq; quàm noſtris victorijs gaudeant beatiſſimi illi ſpiritus, qui vltrà ſummę Deitatis fruitionem, propter eas nouis (ſi fas eſt dicere) gaudijs affecti iubilant, ac tripudiant.

*2. Paralipom. c. 3.*

*Petrus Comeſtor.*

*Glo. Interl.* Ad Cœlum nos trãſferre exoptãt.

*Carthuſian.* In hominũ victorijs choreas ducere videntur.

## Iterùm miſit alios ſeruos plures prioribus, & fecerunt illis ſimilitèr. Matth. 21.

### §. II.

*Beneficijs à Deo auctus ingratus, ijſdem contra ipſum inſurgit, & pugnat.*

1 NImis profundę ſunt cogitationes tuæ, ò Domine, & vir inſipiens non intelligit eas: dùm pòſt immanem ſeruorum necem, & impudentiſſimum contra Dominum defectum, non ſatellites, nec lictores, ſed ſeruos plures prioribus ad impiiſſimos agricolas mittis. *Miſit alios ſeruos plures prioribus.* Matt. 21. Si hos etiã mactandos pręnoſcebas, cur eos, vt agnos ad lanienas, & veluti oues ad lupos deſtinas? An fortè nouis sẽper donis ingratos afficiendo, infandã ingratitudinis naturam oſtẽdere cupis, quæ beneficiis roborata, ijſdem contra benefactorem validiùs inſurgere cõſueuit? Itá ſanè: quia quò tua augebatur pietas, Prædicatores, atq; Prophetas ad ingratiſſimam Iudæo-

*Matt. c. 21.*

dæorum gentem deſtinando, eò ipſorum creſcebat perfidia, non tantùm ſeruos occidendo; verùm acceptis beneficijs contra te certando: propter quod,

*Imperfect.*

**Acceptis beneficijs contra Deum pugnat ingratus.**

*Conſidera* (ait Auctor operis Imperfecti. hom. 40. in Matth.) *quomodò per ſingulos gradus miſericordiæ diuinæ, malitia Iudæorum creſcebat, & quomodò per ſingulos gradus Iudaicæ malitiæ Dei miſericordia quantò magis à Iudæis offendebatur, tantò ampliùs addebatur in eis. Miſit enim plures prioribus.* Qui ingratitudinis gradus à Seneca ſi fuiſſet agnitus, non dixiſſet; quòd

*Seneca.*

*Ingratus eſt, qui denegat beneficium, ingratior, qui diſſimulat, ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt*: ſed eum omnium ingratiſſimum vocaſſet, qui beneficijs roboratus, ipſis contra benefactorem inſurgit, & pugnat. Quod contrà Platonem quia faciebat Ariſtoteles, dùm accepta ab eo doctrina, non vt diſcipulus, ſed vt hoſtis aduerſùs Magiſtrum argumentorum iaculis dimicando; mulus, qui materno lacte repletus, matrem calcibus percutit, ab illo vocari ſolebat; vt refert Ælianus lib. 3. de vita Ariſtotelis.

*Ælianus.*

**Muli à Platone nuncupantur ingrati.**

*Plato nominare ſolebat Ariſtotelem mulum, quia cùm mulus ſaturatus eſt lacte materno, calcibus petit matrem. Significabat igitur Plato inuoluto ſermone ingratitudinem Ariſtotelis: etenim is cum maxima philoſophiæ ſemina à Platone accepiſſet, ſcholam contrà Platonem aperuit, in qua cum ſuis familiaribus diſcipulis aduerſus eum pugnauit, Platonis perpetuus aduerſarius eſſe cupiens.* Quod quia in dies contra Deum efficere ſolent ingrati; ſup. illud Iob.

*Iob. c. 40.*

*Huic montes herbas ferunt.* cap. 40. dicere coactus fuit Gregor. 33. moralium. c. 1.

*Gregor.*

*Dum reprobi de diuinitùs acceptis nequaquam recta, ſed praua cogitant, quid aliud faciunt, niſi cõtra Deum ſuis donis pugnant?* Quam rem vltrà præſentes agricolas, de aliquibus ſpecialitèr oſtendemus.

*Chryſoſt.*

2 Acutè Chryſoſtomus hom. 47. in Gen. quibus armis contra homines, & præcipuè ingratos Deus pugnet, eoſq; vincere, ac ſuperare ſtudeat, explicat, cùm dicit:

**Muneribus contra ingratos certat Deus, beneficiiſq; eos vincere ſtudet.**

*Certat Deus muneribus, beneficijs vincit mentem noſtram, & noſtras cogitationes.* Quod idem erat, ac dicere: ſic pius, miſericors, & bonus eſt noſter Deus, quòd homines, & præcipuè ingratos, non pœnarum vi, nec flagellorum duritiæ ad ſe trahere (ſi fas eſt dicere) conatur; ſed in funiculis Adam, in vinculis charitatis, in beneficiorum videlicèt multiplicitate, pòſt vnguentorum odorem, donis victos, gratijſq; confuſos pòſt ſe trahere ſtudet; propterea ſuper eos iuges beneficiorum imbres deſcendere facit. Quod ex multis ſacræ Scripturæ locis, & præcipuè ex illo: *Ieſus autem, in qua nocte tradebatur, accepit panem,* 1. Chorin. 11. *1. Corinth. c. 11.* colligit idem Chryſoſtom. qui hom. 27. ſuper idem, non otioſè inquirit: cur de Euchariſtiæ inſtitutione cùm loqui vellet Apoſtolus, à proditione incepit? *In qua nocte tradebatur, accepit panem.* Quę cõnexio impietatis ad pietatem, & proditionis ad Euchariſtiam, quòd non ſine illa iſtius deſcribatur inſtitutio? Attamen ex præfato Chryſoſtomo rationem ego percipio, vt quàm ſtrenuè beneficiorum telis, ac gratiarum iaculis ergà ingratos pugnaret Altiſſimus, oſtenderetur: nàm proditionis tẽpore, quando ſummam malitiam, & impietatem oſtendebant ingrati, tunc maximum ipſe amoris demonſtrabat indicium, vt amore odium vinceret, & pietate impietatem ſuperaret. Præfatus Chryſoſtomus:

*Chryſoſt.*

**Euchariſtiæ Sacramentũ proditionis tempore inſtitutum, & quare.**

*Cur nobis tempus reuocat in memoriam & veſperam, & proditionem? Non ſine ratione aliqua, ſed vt ſupra modum compungeret etiam à tempore*: & ſubdit, *propterea ea omnia nobis reuocat in memoriam, vt per tempus, & mẽſam, & proditionem nos pudore afficiat*: ac ſi diceret: feruente odio, atq; liuore, nõ frigeſcit pietas, ſed creſcit ſemper, & inardeſcit, vt donis certet, ac beneficijs vincat.

3 Pugnat itaque contra ingratos Deus, & non gladio carnes deuorat, nec ſagittas ſanguine inebriat; ſed beneuolentia pugnat, & officijs eos vincere ſtudet: belligerant etiã contra ipſum ingrati. Quod expreſſit lucta illa, quæ inter Angelum fuit & Iacob, in qua tandèm Patriarchæ dictum fuit. *Contra Deum fortis fuiſti.* Gen. 32. *Gen. c. 32.* Quam luctam conſiderans Diuus Bonauentura, in ſpeculo. cap. 9. ait.

*D. Bonauẽt.*

*Lucta fuit inter Angelum & Iacob; diſcordia fuit inter Deum, Angelos, & homines: illa ergo lucta huius diſcordiæ potuit eſſe figura.* At quibus armis roboratus, atq; vallatus

contra omnipotentem vilis pugnaret homuncio, explicat Iob, quùm ait: *Tetendit contra Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt.* cap. 15. vbi ſi per manum auxilium figuratur: vndè etiam grammaticaliter loquendo, idem eſt manum, & dexteram dare, ac auxilium, opemq; pręſtare: dum igitur manum contra Deũ tendit ingratus, acceptis donis contra donantem pugnat. Rupertus Holchot. lect. 185. ſuper ſapient. c. 16. *Sunt ingrati, qui contra Deum per beneficia pugnant: fortitudine enim corporis ſui vigent, vt Deo per pœnitentiam ſeruiant: & hi ſpecialiter in ſeruitijs Dæmonum vires ſuas conſumunt, & ſunt brigoſi, rixoſi, prædones, & latrones. Nonnulli vigent ingenio naturali, quo Deum colere, & ſe, & alios regere deberent, & iſti fraudibus, ac dolis intenti circumueniunt proximos, ſeruientes Diabolo & mundo.* hactenùs ipſe. Verùm multò antè Gregorius ſuper verba illa. *Cùm audieritis prælia, & ſeditiones.* Luc. 21. luculentèr nimis veritatem declarauit iſtã: quòd acceptis beneficijs contrà Deum pugnat ingratus, quùm ait: *Omnia, quæ ad vſum vitæ accipimus, ad vſum culpæ conuertimus, tranquillitatem quippè pacis humanæ ad vſum conuertimus ſecuritatis vanæ, peregrinationem terræ pro habitatione diligimus patriæ, ſalutem corporum in vſum redigimus vitiorum, ſubſtantiæ abũdantiam ad peruerſitatem intorſimus voluptatis.*

*Iob. c. 15.* — *Rupertus Holchot.* — Non pro Deo, ſed cõtra Deum naturalia dona impendit ingratus — *Luc. c. 21.* — *Gregor.* — Ad vſum vitæ accepta ad vſum culpę conuertit

4 Quod ſatis clarè vìdere qui exoptat, Dominum ipſum de quodam diuite audiat dicentem: *Hominis cuiuſdam diuitis fructus vberes ager attulit.* Luc. 12. Sed quis erat hic diues, & cuius erat ferax hic ager, ò Domine, qui fructus tot producebat ac tales, boni, an mali, iuſti, an iniuſti? ſi vbertate abutentis hæc aſſeris fuiſſe, vt ex ſequentibus colligo, cur ea largiris & præſtas? An fortè non minis, nec flagellis, ſed abundantia ipſum emollire curas? eſto; cùm talis tua ſit pietas & mos: verùm an propterea melioreſceret, & erga pauperes humaniùs ſe gereret diues, explicat Euangeliſta in eius perſona, dùm ſubdit: *Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Deſtruam horrea mea, & maiora faciam, &c. & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.* Ergo ex terræ feracitate otioſitatem, ex abundantia auaritiam, & ex diuitijs ebrietates, & crapulas colligebat hic diues? Ità ſanè. Sed cur ò ſceleſte, benefacienti gratias non rependis, bonis bona non comparas, & theſauris theſauros nõ coaceruas æternos, pauperibus elargiendo? At non miror, cùm ingratos noſcam, acceptis donis contrà donantem pugnare ſolere. Vndè Ambroſius. ſerm. 64. ſuper idem, Dei pietatem, & diuitis impietatem conſiderans, hunc ait in modum: *Largitus eſt ergo Deus imbres vberes agris hominis auari, ſolem præſtitit ad nutriendas ſegetes, multiplicandaſque fruges, vt accruos diuitis augeret in omnibus. Igitur, quæ à Deo præbentur etiam ingratis, iſta ſunt: terræ fœcunditas, aeris temperies, fructuum lætitia, terrenorum ſubſidia, & omnia quibus anni prouentus fecundis ſucceſſionibus adimplentur. Quæ verò ab homine procedunt, qualia quæſò ſunt, videamus: anguſtus animus parum putans omne quod naſcitur, inhumanum propoſitum impertiendi cuique cauſam nullam idoneam putat. Vide beneficijs diuinis, diues quàm ingratus exiſtat.* Sic omnia ad vſum vitæ accepta, vt paulò ſuperiùs aiebat Gregorius, ad vſum culpæ conuertit ingratus.

*Luc. c. 12.* — *Ibidem.* — Beneficijs contra ingratos Deus pugnat — *Ambroſ.* — Iiſdem ingratus contra ipſum

5 Nazianzenus oratione 40. verba perpendens illa. *Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus:* idipſum obſeruat; dùm ſubtilitèr inquirit; quam murmurandi occaſionẽ haberent operarij, ſi iuxta condictum promiſſam recipiebant mercedem, indignari minimè debebant: Si dicis: nõ de proprio, ſed de alieno conqueri lucro; adhuc prima extat difficultas: quid ad ipſos donantis largitas? quid ſi, vt illi, ſerò veniſſent & ipſi? æquè ſanè denarium accepiſſent: ergo Domini munificentiam videntes, lætari, non triſtari, cum laudare, non contra ipſum murmurare debebant. Sed ò ingratitudinis magnitudinem! quæ propriæ vtilitatis oblita, quod piè ſibi pręſtitum fuiſſet, ſi in vltima hora venire contigiſſet, impiè contrà patremfa-

*Gregor. Nazianz.*

milias

milias retorquent, dicendo: *Pares illos nobis feciſti!* Præfatus audiendus eſt Nazianzenus, qui omnem humanam ſuperans ſubtilitatem, ſic ait: *Hi nulla condicta mercede ad laborem acceſſerunt: quod quidem maioris fidei argumētum eſt. Adhæc illi inuidiæ: & ad murmurandum procliuis naturæ eſſe inuenti ſunt: quid autem ipſi quoque accepturi erant, ſi ſerius ipſis venire contigiſſet? æquam vtique mercedem.* Tamen propriam non conſiderantes vtilitatem, contra largientem largitatem retorquent.

*Nazianz.*

**Ingratorum ſolidicas.**

6 Hactenùs dictis luſimus ſanè: efficacioribus nunc, vt id probemus argumentis; vituli illius in deſerto efformati expendamus materiam: & cur non de ligno, nec lapide, ſed ex auro eum efformare voluerit Aaron: *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumq; & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me. Fecitq; populus quæ iuſſerat, deferens inaures ad Aaron. Quas cùm ille accepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Exod. 32. diligenter ſcrutemur: Nàm licèt vt populi idololatriam coerceret Aaron, hoc feciſſe aſſerant nonnulli; cùm ſuadere ſibi minimè poſſet, ꝙ mulierū auaritia, vt vitulum efformaret, ſpoliare ſe vellet: nihilominus ſubtiliùs res ſi cōſideretur, myſteriū magnū in hoc latere reperietur, videlicet: vt oſtēderēt, qbus armis contra Deū pugnet ingratus, nō ex alia materia, quàm ex auro vitulum effecerunt: faciliùs quod vt percipias. 12. Exodi caput lege, & reperies, quòd antequàm de Ægypto egrederentur Hebræi, vt eos Deus ditaret, Ægyptios expoliauit; ſacra dicente pagina: *Petierunt ab Ægyptijs vaſa argentea & aurea, veſtemq; plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coràm Ægyptijs, vt commodarent eis: & ſpoliauerunt Ægyptios.* Itàque Ægyptiorum aurūm ad Hebræorum vtilitatem conuertit Altiſſimus: ſic prorsùs. Sed audi, ſi libet: non lapideum, non ligneum, nec æreum, ſed aureum vitulum efformauerunt Hebræi, vt eodem auro, quo vt eos Deus ditaret, Ægyptum expoliauerat, contra ipſius honorem retorquendo pugnarent. Meum non eſt hoc, quod dico; ſed ipſius Dei, qui per Iſaiam de hac ſumma Hebræorum ingratitudine his verbis cōqueritur. *Repleta eſt terra argento & auro: & non eſt finis theſaurorum eius: Et repleta eſt terra eius Idolis: opus manuum ſuarum adorauerunt.* cap. 2. Et per Oſeā. *Argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* cap. 2. vbi Carthuſianus. art. 5. *Argentum, & aurum, quę eis multiplicaui, vt ad honorem meū talibus vterentur, expenderunt in fornicationibus, ſacrificijs, atq; ornatibus Idoli, quod dicitur Baal.* Ecce quomodo acceptis donis robora:us ingratus, ijſdem contra Deum inſurgit, & pugnat.

*Exod. c. 32.*

**Mulierum auaritia**

*Ibidem c. 12.*

*Iſai. c. 2.*

*Oſeæ. c. 2.*

*Carthuſ.*

Diuitijs diuites contra Deum pugnant.

7 Verū qa ingratā tetigimus Iudæorū perfidiā, vlteriùs enucleare nō diſpiciat: verba illa: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Num. 21. Si cœleſtis hic cibus omnium ferculorum ſaporē habebat, ſi è Cœlo propterea deſcendebat, vt quàm à terrenis eſcis differret, oſtenderetur, quid vlteriùs quærunt, quid cupiunt, quid exoptāt, quòd nauſea affecti, ad Ægypti cæpas reuertūtur, & allia? An fortè non cibum, ſed cibi leuitatem faſtidiunt, dum dicunt: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo?* Ità prorsùs dicit Caietanus: *Vide populi cæcitatem, quòd de panis conqueritur leuitate, cùm in pane leuitas ſit valdè deſiderabilis:* At nil ſanè mirum, dùm contra Deum acceptis donis pugnat ingratus.

*Num. c. 21.*

**Peccator amens.**

*Caietan.*

De beneficijs conqueruntur ingrati.

8 Audiendus eſt nunc Diuus Ephrem, qui de Hebræorum ſeruitute ſermonem habens, nimis ſubtilē quæſtionem mouet: cur Deus ipſos à Pharaone affligi ſinens, non alio laboris genere eos opprimi, nec circa aliud exerceri permiſit, niſi in luti coctura, ſacra dicente pagina. Exod. 1. *Affligebat eos operibus duris luti & lateris:* cur nō eos in ſcindēdis lignis, in ſecandis marmoribus, in conſtruendis domibus, nec in alio opere deſudare faciebat, quòd tantùm luti affligebat coctura? *Affligebat eos operibus duris luti & lateris.* Verùm non ab re à Pharaone factum, & à Deo permiſſum, exiſtimat præfatus Ephrem, quià ſi lateres ſoliditate ab igne accepta, cōtra ignem pugnant, ei validè reſiſtendo; ſic Hebrei, quia acceptis à Deo donis, contra ipſum dimicare debebant, luti affligebantur coctura. *Quod igne efficitur.*

*Exod. c. 1.*

Ephrem. *tur* ( ait Sanctus Ephrem) *igni ſolet ob-*
*ſiſtere: lateres crudi fragiles ſunt , & im-*
Ingratitudinis natura quæ ſ *becilles , vbi autem igne cocti fuerint, igni*
*ſua validitate reſiſtunt .*
9 En igitur quomodò ad vſum vi-
tæ accepta, ad vſum culpæ vertit in-
gratus : ſed vtinàm , vtinàm vlteriùs
non procederet ! quia ea ſaltem , quæ
ad gratiæ augmentum, atq; perfectio-
nis profectū accipit, in peccati occa-
ſiones non commutaret: verū in hanc
quoque dementiam eos prolabi quo-
tidiana probant experimenta, quæ a-
lia ſi deeſſent , ſatis eſſet illud vnum ,
quod de perfidis Iudæis Matt. cap.27.
refert : nempè , quòd populi clamori-
bus cùm ampliùs reſiſtere non valeret
Pilatus , vt ſe Innocentis mortis ex-
Matt. c.27. pertem vocaret dicēdo: *Innocens ego ſū*
*à ſanguine iuſti huius* , vno ore clamaue-
runt omnes : *Sanguis eius ſuper nos , &*
*ſuper filios noſtros*: quæ verba tam iuxta
hiſtoricum , ac litteralem ſenſum, quā
iuxta communem Sanctorum expoſi-
tionem , hunc ſenſum edunt: ſanguis
eius ſi iniuſtè effudetur, à nobis, filijſ-
que noſtris requiratur , noſtra ac po-
ſterorum noſtrorum damnatio ſit. Sed
proh nefas! ſanguis ille, qui conſciē-
tias emundat , ſtolas dealbat , pecca-
tores iuſtificat, & Eccleſiam totam ab-
luit , in vindictam, & damnationem
aſſumitur. Ita ſanè ait Vgo ibidem: nā
perfida ingratorum natura non tantū
ad vſum naturæ ; verùm ad vſum gra-
Vgo. Card. tiæ accepta , in pœnæ inſtrumenta &
occaſiones conuerrit . *Optandum qui-*
Non eſt gratia qua non abutatur ingratus. *dem erat immundis* , ait præfatus Vgo ,
*vt ſanguis ille mundiſſimus ſuper illos ve-*
*niret ad emendationem , ſicut legitur ad*
*Hebræos.9.ſanguis Chriſti emundauit con-*
*ſcientiam noſtram ab operibus mortuis : &*
*Apoc.1. lauit nos à peccatis noſtris in ſan-*
*guine ſuo : ſanguis iſte aſperſus eſt ſuper*
*totam Eccleſiam in ablutionem , in ſancti-*
*ficationem, & in tinctionem : ſed Iudæi ,*
*nec in ablutionem , cùm eſſent peccatores*
*peſſimi , nec in tinctionem, ut eſſent veſtes*
*Regis, ſanguinem ſuper ſe venire petierunt;*
*ſed quaſi belluæ ſanguinem eius ſitierunt ;*
*undè leones eos Dominus vocat : facta eſt*
*hæreditas mea quaſi leo in ſylua, dedit con-*
*tra me vocem* . Mirabilis profectò in-
gratitudo , quæ ſummum animarum
beneficium in ſummam punitionem
aſſumit.

10 Succedat huic cogitatui Gre-
gorij quæſtio : vndè ex Chriſti Domini
paſſione, & morte ſcandalum ſumere
potuerunt Hebræi , quòd ait Paulus . 1. Corinth.
*Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifi-* c. 1.
*xum: Iudæis quidem ſcandalum , Gentibus*
*autem ſtultitiam*. 1. Corinth. 1. ſi non
pro culpa , ſed vt culpam deſtrueret,
moriebatur , & vt ſeruis vitam tribue-
ret, mortem ſibi Dominus affectabat ,
vndè ergo ſcandelizari potuerunt Iu-
dęi? An quia Deus cùm eſſet, homo fie-
ri , & mortem propter hominem ſubi-
re non eſt dedignatus, propterea ſcan-
dalizabantur ? Propterea ſanè ait
citatus Gregorius: Sed ſi tam ipſorum,
quàm cæterorum hominum omnium
maximum hoc erat beneficium , cur
gratiarum actionis loco ipſum parui-
pendendi occaſionem deſumunt? Sed
ò cæcitatem , ò dementiam, ò ingra-
titudinem ! quod toto corde , totis vi-
ribus , totiſq. vocibus , iugiter laudare
debebant , ſpernunt: quia quæcumque
ad gratiæ augmentum , atq; profe-
ctum accipiunt, in damnationis occa-
ſiones immutant ingrati. Allatus Gre- Gregor.
gorius. *Stultum quippè hominibus uiſum*
*eſt , ut pro hominibus Auctor uitæ morere-* Vndè ampliùs Deo debitor fieri debebat ingratus, ſcandalum contra eū ſumpſit.
*tur , & inde contra eum homo ſcandalum*
*ſumpſit , undè ei ampliùs debitor fieri de-*
*buit ; nam tātò Deus ab hominibus digniùs*
*honorandus eſt , quantò pro hominibus in-*
*digna ſuſcepit* : optima ( ni fallor ) ver-
ba; ſed præcipuè illa: *Indè contra eum*
*homo ſcandalum ſumpſit , undè ei ampliùs*
*debitor fieri debuit*, quàm verū ſit , quòd
non eſt gratia, qua nō abutatur ingra-
tus, & qua veluti enſe cōtra Deū nō di-
micet, indicāt; quod ſatis clarè Iudæo-
rum populus oſtendit , quem ſub agri-
colarum figura hic Euangeliſta de-
ſcribit , ad quem quò plures ob eius
ſalutem mittebantur Prophetę, eò plu-
res neces necibus , & ſcelera ſceleri-
bus cumulabat .

No-

## Nouiſſimè autem miſit ad eos filium ſuum, dicens: verebuntur filium meũ. Matth. 21.

### §. III.

*Vltimum peccatoris pharmacum verecundia eſt, quo ſi minimè conualeſcit, prorſus immedicabilis cenſendus eſt.*

1 VNiuerſalis ſemper tàm ſacrorũ, quàm prophanorum ſcriptorum fuit ſententia, non parùm ad culpæ emendationem, ad vitiorum correctionem, & ad ſcelerum extinctionem pudorem conferre & verecundiam. Vndè Gregorius lib. 14. moral. cap. 19. ſuper 12. Iob: *Sunt nonnulli, quos ad perpetrandam nequitiam, oborta ſubitò malitia inuitat, ſed tamen humana uerecundia reuocat. Et plerumq; per hoc, quòd exteriùs erubeſcunt, ad interiora ſua redeunt, & contra ſe internum iudicium ſumunt.* Et Chryſoſtomus hom. 4. ſuper caput primum ad Philippenſes: *Non enim cuiuſpiam eſt tam impudens, & improbus animus, qui cùm audiat ſe à nonnullis indeſinenter improbari, nullo afficiatur pudore, neq; plurimum malitiæ remittat.* Et Nyſſenus hom. 3. in Eccleſiaſt. *Videntur eſſe arma ualida, & potẽtia ad fugiẽda peccata timor, & pudor, qui eſt inſitus homini; pudor. n. magis, quàm timor ſæpè erudit ad praua fugienda.* Et Hieronymus *Ingenia liberalitèr aducata faciliùs uerecundia, quàm metus uincit.* Ex quo Bernardus, cœteros vt omittam, Sponſæ genas, quę ob verecundiam, atque pudorem malo punico aſſimilabantur. *Sicut fragmen mali punici, ità genæ tuæ.* Cant. 5. non parùm commendat, quùm dicit: *Optimum planè in Chriſti ſpõſa decoramẽtũ verecundia, quæ quaſi Aurora quædam omnium actuum colorat principia, & virgineo virtutes reliquas venuſtat pudore.* Gentiles etiam vitioſis proficuum hunc eſſe exiſtimauerunt ruborem: nam Tullius 2. de finib. dicere ſolebat, quòd *Moderatrix cupiditatum verecundia eſt.* & primo officiorum. *Sine verecundia nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum.* & 2. Tuſculan. *Sæpè uidemus fractos pudore, qui nulla ratione vincerentur.* Quod etiã agnoſcẽs Seneca, fari non deſtitit. *Plures pudore peccandi, quàm bona voluntate prohibiti, abſtinent.* Quo efficaci medicamine, qui meliore cere non incipit, vno omnium ore deploratæ cenſetur ſalutis, ſicuti, cęteros vt omittam, ait Gregorius loco ſupra citato: *Quos ad perpetrandum malum occulta iniquitas inuitat, & nulla aperta verecundia retardat, plerumque iſti ſunt aduerſarij Sancta Eccleſiæ, qui à perpetrandis malis, nec timore Domini, nec hominum pudore reſfrænantur:* Et agnouit Plautus, qui dixit: *Nam ego illum perijſſe duco, cui quidem perijt pudor:* Quæ Sanctorum, Gentiliumq; ſententiæ ſi deeſſent, allata pro themate verba: *Nouiſſimè autèm miſit filium ſuum, dicens: verebuntur filium meum.* Matth. 21. ſatis noſtrum probarent inſtitutum, cum pro vltimo rebellium homicidarum remedio, verecundiam pijſſimus hic paterfamilias propoſuerit. Vndè Brugenſis. *Eò pertracta eſt longanimitas Dei erga Principes Iſrael, ut quamuis nihil apud eos profeciſſet, per Prophetas tamen tentaret, & per filium uolens extremum experiri remedium, diceret: fortè uerebuntur filium meum.*

*Greg. Mag.*

Verecundiæ vis.

*Chryſoſt.*

*Greg. Nyſſ.*

Petulantiã in peccando coercet.

*Hieronym.*

*Cantic. c. 7.*

*Bernard.*

Virtutum aurora.

*M. T. Cic.*

*Idem*

*Seneca*

*Gregor.*

Pudore amiſſo immedicabilis cenſendus eſt peccator

*Plautus*

*Matt. c. 21.*

*Brugens.*

2 Primum peccatorem Adamum timore plenum, rubore perfuſum, & verecundia confuſum: *Vocem tuam audiui in Paradiſo, & timui: eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* Geneſ. 3. cõſiderans Ambroſius lib. de Paradiſo c. 14. ait: quòd ſi tempore illo adfuiſſet, in proximo Adę ſalutem ſperaſſet. Vndè autem velociſſimę huius ſalutis, quę ex mera, & libera Dei voluntate, ac pietate procedebat, cùm nec prima gratia cadat ſub meritō, nec ſine ipſa reſipiſcere poſſit peccator, vt (præter Auguſtinum lib. 1. de natura & gratia cap. 26.) Sacra Tridẽtina Synodus ſeſſ. 6. c. 5. & ſeſſ. 14. c. 4. ſanciuit, argumenta deſumpſerit, haùd facilè intelligerem, niſi ipſemet ſuam declaraſſet opinionẽ, dicendo: *Nota qui abſeinditur erubeſcit, qui erubeſeit cõuertitur, ſicut ſeriptũ eſt, cõfundantur, & conuertantur ualdè velo-*

*Gen. c. 3.*

*Auguſt.*

*Concil. Tr.*

*Ambros.*

Peccatoris verecundia ſalutis indicium.

*velociter*, quæ idem ſonant ac; non ex alio capite, nec ex alia ratione velociſſimam hanc argumentatus fuiſſem ſalutem, niſi ex rubore, atque pudore; quia velociſſimè venit ſalus, vbi verecundia adeſt & pudor, cuius velociſſimæ ſalutis ſignum ex Diogene fortè deſumpſit Ambroſius, qui, vt Laertius in eius vita ait: Adoleſcentem rubore perfuſum, ac propterea nimis turbatum videns, hunc ait in modum: *Bono animo eſto fili, nam iſtius modi eſt virtutis tinctura*, ex qua tinctura ſi Adę caſui adfuiſſet Ambroſius, facilè ei dixiſſet: bono animo eſto peccator, quia diù durare non poteſt malum, vbi mali verecundia videtur & pudor.

Virtutis tinctura.

*Laertius.*

3 Et quidem adeò efficax eſt hoc cõfuſionis remedium, quòd ad coercẽdam peccatorũ duritiem, ac ſi efficaciùs minimè reperiri poſſet, ipſo plerũq; cęleſtis vtitur Medicus. Pro cuius dicti probatione Azotiorum accedat plaga, de qua ſacra dicit pagina 1. Regum 5. *Aggrauata eſt manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos: & percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum*: circa quam rem, cęteros omittendo, quæſtionem mouet Abulenſis: cur in tali loco præcisè, & non in alio percuſſi ſint Azotij, & licèt pòſt aliqualem diſcuſſionem, ob eorum duritiem, atque obſtinationem id factum aſſerat; nam aliter Dei Arcã numquam dimiſiſſet: *Vt ſic ſaltem cognoſcentes potentiam eius, remitterẽt Arcam* quæſt. 15. dubitari nihilominus adhuc poſſet; cur iiſdem plagis, quibus Pharaonem populum dimittere nolentem affecerat, hos etiã non affecit? cur lucem in tenebras, diem in noctem, aquas in ſanguinem non conuertit? cur ipſos, eorumq́ue liberos non occidit, quia ſic quod ſpontè efficere nolebant, inuitè effeciſſent? Cui difficultati reſpondet citatus Abulenſis: quòd ſummum malum, ſumma durities, atque peruerſitas ſummum requirebat pharmacum: & quia nulla ſæuior plaga ad tantum flagitium, ac ſacrilegium puniendum, nec vllũ efficacius malagma ad talem duritiem emolliendam reperiri poterat, qualis erat percuſſio iſta, ideò eos non alia plaga afficere uoluit, niſi iſta: cur autem hęc inter omnia

1. Reg. c. 5.

Azotij cur plaga ignominioſa affecti.

*Abulenſ.*

plagarum genera prima exiſtimaretur, explicauit ipſe, cum ait. *Fuit iſta plaga dura, & opprobrioſa, dura quidem, quia multi moriebantur, opprobrioſa verò, quia erat in turpi loco, quod Deus faciebat ad ignominiam Philiſtinorum, vt ſic ſaltem cognoſcentes potentiam eius, & opprobrium ſuum cogerentur remittere Arcam*. Quia verecundus erat morbus, ignominioſa infirmitas, ideo terribilis dicebatur plaga, & efficax medicina, cùm vix ſit qui pudendam ignominiã ferat, & non potius pudefactus ad honeſtatem confugiat.

*Idem.*

Pudor vltimum peccatoris pharmacum.

4 Quis poſtea Iuda Scelestior, qui infandum illud admittere ſacrilegium non timuit, quod vix Diabolus ſuadere auſus fuit? quis ipſo nequior, qui nec magiſtri humilitate, nec verborum lenitate, nec beneficiorum magnitudine flecti potuit, nec cicurari, ſed vt cruenta belua ſemper magis in Magiſtrum ſæuiens, ipſum perdere conabatur? *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Matth. 26. tamen ſi benè aduertis, etiam ipsũ pudore aliqualiter coercitum videbis; nàm vt benè obſeruauit Hieronymus, non apertè, ſed per oſculi ſignum proditionem complere ſtuduit. *Quemcumq; oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.* Ibidem. *Impudens quidem* (ait prefatus Hieronymus) *& ſcelerata confidentia, Magiſtrum vocare, & oſculum ei ingerere quem tradebat, tamen adhuc habet de verecundia diſcipuli, quàm non eum palam tradit perſecutoribus, ſed per ſignum oſculi*, hæc ipſe: quorum illa præcipuè. *Adhuc habet de verecundia diſcipuli*: quàm efficax hæc ſit medicina, oſtendunt; dum ipſum impiiſſimum nequiſſimumq́ue Iudam, ne quod faciebat, palam ſaltem efficeret, compeſcebat.

*Matt. c. 26.*

*Ibidem.*

*Hieronym.*

Cur oſculo magiſtrum prodidit Iudas.

5 Iam verò difficultatem à Procopio motam ventilare non diſpliceat: cur Deus Cainum reprehendere volens, non tantùm ei fratris necem obiecit, vt facere potuiſſet, ſed innocentis ſanguinis effuſionem, & terrę clamorem ei exprobare voluit, dicendo: *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra* Geneſ. 4. Si ſatis erat delicti aperire ſubſtantiam, & dicere quid egiſti? cur fratrem occidiſti? cur innocentem necaſti?

*Gen. c. 4.*

Ad quid ſanguinis voces, & terræ clamores addidit, ſi per correptionem acquiritur perditus, iuxta illud: *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum*:

*Matt. c. 21.* Matthęi 21. Vndè vt benè notauit Auguſtinus: idem eſt corripere, ac corrapere: cur ſcelus ſolùmodò proponēdo, eũ acquirere, ac rapere nō ſtuduit, quòd ſceleris amplificare uoluit magnitudinem, dicendo:

*Gen. c. 4.* *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* An fortè quia Caini duritiam cognoſcebat, non quamlibet medicinam, ſed uerecundię pharmacum adhibere voluit, & vt magis ipſum pudore afficeret, ſceleris expoſuit magnitudinem?

*Procopius.* Ita prorſus: præfatus Procopius. *Vt crudelem animum ad pudorem commoueret, amplificatione vtitur, mentionem faciens ſanguinis fraterni, & clamoris terræ, quæ aperuit os ſuum, vt biberet fraternum cruorem.* Satis quidem fuiſſet fratricidium ei exprobrare, verùm quia Caini obſtinatio, nec lenitate emolliri, nec delicti apertione frangi poterat, ſanguinis additur effuſio, terræ declarantur voces, vt ſic ſaltem erubeſcens iniquus, necem confiteretur & culpam.

Vt pudore ſaltem Cainum vinceret Deus eũ redarguendo amplificatione vtitur.

6 Cęterùm ſi illud, quod pòſt hāc Caini increpationem ſubdidit Dominus, expendemus, quàm immedicabilis ſit, qui hoc efficaciſſimo pharmaco non conualeſcit, ſatis clarè agnoſcemus: nam vbi ipſum ſic effrontem vidit Altiſſimus, vt nec facinore, nec facinoris amplificatione pudore aliquo afficeretur, ut ęgro diſperatæ ſalutis maledicere cępit his verbis:

*Gen. c. 4.* *Nūc maledictus eris ſuper terram*: ibidem: Terribilis equidem ſententia, horribilis pęna: ſed quod me non parùm uexat, aduerbium eſt illud, *Nunc*, *Nunc maledictus eris ſuper terram*: ſi ob fratricidium maledicebatur Caino, cur non ſtatim pòſt fratris necem maledicitur, quòd non tunc, ſed nunc maledictione dignus cenſetur? *Nunc maledictus eris ſuper terram*; ſi nouum aliud feciſſet malum, commiſiſſet ſcelus, & perpetraſſet facinus, optimè, nunc peccatum peccato addendo, pęnas luere deberet; ſed ſi nunc aliud non effecerat, cur modò ei maledicendũ erat, nō ante? Sed ò magnam cęleſtis iſtius Medici ſapientiam, magnam pietatem! propterea non priùs, ſed nunc Caino maledicit; quia nunc adhibito vltimo verecundiæ remedio, ut eum inuerecundũ vidit, nō ampliùs diſſimulandũ, nec expectandum eſſe iudicauit, ſed omni pęna, atq. flagello eum dignum exiſtimauit. Do tibi Ambroſium rem ſubtilitèr confirmantem.

*vt idem.*

*Ambroſ.* *Quod autē ad admirationem profundam attinet, peccantes admonet ad pœnitentiam; confeſſio enim pœnarum compendium eſt, & quædam in peccatis verecundia, & pœnitentiæ portio crimen fateri, nec negare culpam, ſed recognoſcere*, lib. 2. de Abel, & Cain. c. 9. Quod ut facere cōtempſit Cain, maledictionibus ſe obnoxium reddidit; quia ſi antea ex correptione verecundia, ex verecundia confeſſio, & ex confeſſione indulgentia ſperari poterat & venia, nunc amiſſo pudore, vt ęger deſperatæ ſalutis relinquitur.

Quem verecundia non emollit, haud aliud id efficere poteſt.

7 Quam Caini maledictionem, cùm pręmanibus habeamus, ulteriùs inquirere non diſpliceat: cur Dauidi, qui & ipſe innocētē occidit, vt Caino maledictum nō ſit, ſed ſtatim translatũ eius peccatũ deſcribatur, dicēte Natan: *Dominus quoq; trāſtulit peccatũ tuum, non morieris*? 2. Reg. 12. *2. Reg. c. 2.* Cur quàm erga Cainum terribilem, tàm erga Dauid mitem ſe Deus oſtendere uoluit? Si iſtius peccatum nomen Domini blaſphemare fecerat, cur è cęlo non occurrit? cur non inclamat: maledictus tu Dauid de terra, quòd tamen in Cain pronũciat? An fortè quia ſanguis Vrię vocem non habuit, ut clamaret; aut ſi habuit, ſuos meatus claudente terra, nec foras clamor prodire, nec in altum inſonare potuit? *Ambroſ.* Ambroſij fuit iſta reſponſio, qui de Dauid loquens, hęc ait: *Operuit peccata ſua, eaq; texit operibus bonis.* Apol. de Dauid c. 7. optima equidem verba, quæ quidem ad rem noſtram non parũ faciunt. Verùm ſi quo tegumento peccatum ſuũ operuerit Dauid, inquires, audacter reſpondebit Ambroſius: rubore, pudore, verecundia, & confeſſione: nam peccatum, quod non ob inuidiam, fraudem, crudelitatem, aut odium commiſit; detegendo texit, aperiendo operuit; & confitendo abſcondit; quod

quia

quia facere renuit Cain, nec ſanguinis voces impedire, nec maledictionis ictus effugere valuit. Præſatum audi

*Ambroſ.* Ambroſium: *Meritò vox ſanguinis Abel iuſti clamauit ad Dominum, qui nullis Cain*

Clamante Abelis ſanguine, cur tacet ille Vriæ? *impij bonis operibus tegebatur, quia parricidalis erat, quia non confitebatur flagitiũ, ſed negabat. Dauid verò occiderat virum minimè reum, ſed occiderat non ſtudio crudelitatis impulſus, ſed vt obumbraret pudorem, tegeret verecundiam, concupiſcentiæ nocumento fecit affectu, ſed vt tentationis inflexus eſt, texit peccata ſua, cùm ipſe docuerit, quòd remittuntur iniquitates, & tegantur peccata per confeſſionem, per quam peccatum ſibi remiſſum eſſe dixit: Delictum meum ego cognoſco, & iniuſtitiam meam non operui. Dixi: pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.* pſal. 31. Fœlix peccator, qui tali operimento peccata tegere noſcit: nam dum ob commiſſa rubore perfunditur, emendationis aliquod oſtendit indiciũ, iux-

*Seneca* tà illud Senecæ. epiſt. 25. *Nec de altero quidem ſatis fiducia habeo, excepto eo, qui*

Pudor emẽdationis indicium *adhuc peccare erubeſcit. Nutriendus eſt hic pudor, qui quamdiù in animo eius durauerit, aliquis erit bonæ ſpei locus:* quem pudorem, quia abiecit Cain, nõ vt Dauid, qui inter peccata ipſa, eum ſemper ſeruauit, pietatem inuenit; ſed vt deploratæ ſalutis vir, maledictioni ſubiacuit.

8 Difficilis nunc non erit difficultatis ſolutio: cur à ſomno euigilans Noe, & quod erga ſe geſtum fuerat intelligens, non Cham, ſicuti Sem, & Iaphet benedixit, ſed ipſi in Chanaan

*Geneſ. c. 9.* filio maledixit: *Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius. Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitq; Chanaan ſeruus eius.* Gen. 9. quia quàm piè & reuerenter erga Patrem ſe geſſerant Sem, & Iaphet, tàm improbè & impudenter in illum egerat Cham: nam vt Patrem nudatum vidit, illum irridens, fratres vt Patris verenda aſpicerent, accerſiuit; quod illi pudore affecti ferre non valentes, ne patris nuditatem viderẽt, terga verterunt, & omni qua potuerunt reuerentia, ipſum operire ſtuduerunt.

*Ibidem* *At vero Sem, & Iaphet pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui: facieſq; eorum auerſæ erant, & Patris virilia non viderunt.* ibidem. Propterea, quàm ob reuerentiam, & verecundiam beneuolẽtia digni videbantur iſti, tàm ille amiſſo rubore, atque impudenter peccans, odibilis apparebat; propter quod de ipſo ait Carthuſianus. art. 4. *Carthuſ.*

*Porrò Cham Patrem ſuum ſic ſubſannando, peccauit mortaliter, & pœnam meruit infernalem, quam tamen pater eius ei imprecari non voluit, nec pronunciare: temporalem verò pœnam poſteritati prædixit; quoniã talis pœna eſt medicinalis.* Ecce tibi cur in Chanaã filio maledicitur Chã: quia prorsùs maledictione dignus cenſetur, qui peccando pudorẽ amittit.

V[illegible] deploratæ ſalutis [illegible] uerecundi[illegible] maledictionibus ſubeſſe ſolent.

9 Correptionis ſeriem à Domino traditam, modò adducere, ne quæſo

*Matt. c. 18.* exiſtimetur incongruum. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te non audierit,* Correptionis ſeries

*adhibe tecum vnum, vel duos. Quòd ſi non audierit, dic Eccleſiæ. Si autẽ Eccleſiã non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Matth. 18. quia in ea duo ſe mihi conſideranda offerunt: quorum primum eſt: cur nos in re tanti momenti ſic leniter, imò ſi dicere licet, tàm pedetentim procedere iuſſit, vt primò nullus omninò adhibeatur teſtis, poſteà verò durante pertinacia, duos ad ſummum aſtare iniunxit? quod ſi vt clàm fiat, paucos adeſſe præcepit: eſto: ſed cur poſtea Eccleſiæ diffamandus traditur? *Dic Eccleſiæ.* Secundum autem eſt: cur ſi Eccleſiam non audierit, alium corrigendi, retrahendi, atq; lucrandi modum non tradidit, quòd vt penitùs incorrigibilis, & excommunicatus a fidelium conſortio ſegregari iubetur, vt ſuper verba illa, *Sit tibi tamquam ethnicus, & publicanus,* aſſe-

*Carthuſ.* tit Carthuſianus? *Sit tibi tamquam ethnicus, id eſt, gentilis, & publicanus, vt qui incorrigibiliter peccat, & tunc omninò recede, & retrahe te ab eo, quaſi ab eo, qui per excommunicationem Eccleſiaſticamq; cenſuram ſeparari meretur à communione fideliũ.* art. 32. Quibus difficultatibus, etſi diuerſimodè diuerſos reſpondiſſe reperiam; Lucæ tamen Brugenſis mihi non parùm arri-

*Brugenſis.* det opinio dicentis: propterea primò blandè, atque ſecretè: deindè palàm

ab

ab Eccleſia peccatorem corripi iuſſiſſe, vt vtraq; adhibeatur medicina, lenis, & aſpera, prima eſt correptionis ſimpliciter, quæ cùm clàm fiat, ſaluti conſulit, ſed pudori parcit, ita ipſe: *Corripe inter te, & ipſum ſolum, ſtudens correptioni, parcens pudori, primum experitæ remedium quàm maximè blandum, quod ne pudoris quidem incommodo fratrem aſpergat*: Secunda autem quæ pet Eccleſiam fit, cùm ſine famæ iactura fieri nequeat, aſperior quidèm eſt, ſed cùm ſummum habeat annexum pudorem, ſumma vocanda eſt medicina, iuxtà illud Nazianzeni. Apolog. 1. *Pudor ad inflectendos, alliciendoſq; homines mirè efficax medicamentum eſt*: Vult itaque vt primò blandius, deindè aſperius adhibeatur medicamentum, vt nullum ad peccatoris ſalutem omittatur remedium. Præfatus Brugenſis. *Tertius itaque correptionis gradus à Christo præſcribitur omnium grauiſſimus, vt qui cùm iactura famæ, & ſumma pudefactione coniunctus ſit, publica Eccleſiæ reprehenſio, ad quem tum demum veniri vult, vbi priores modi tentati nihil profuerint*: Sic ipſe. Tu autē maturiùs quæſo verba perpende illa, *Cùm ſumma pudefactione coniunctus eſt, ad quem tum demū veniri vult, vbi priores modi tentati, nihil profuerint*: & videbis, quòd niſi neceſſitate coactus (ſi loqui ſic licet) piiſſimus hic Medicus, qui tàm blandè priùs procedebat, Eccleſiæ diffamandum tradit; quia vbi reliquæ medicinæ nihil efficiunt, ultimum verecundiæ experiendum eſt pharmacum; quo ſi tandem meliùs ſe habere non incipit, cùm ad eius ſalutem nulla alia nobis reſtet medicina, vt immedicabilis, & incorrigibilis relinquēdus eſt. Quod eximiè ſubdit citatus Brugenſis: *Quod ſi nihil profecerit, quia nulla alia tibi reſtat via procurandæ ſalutis eius, ſit tibi vt ethnicus, id eſt, vt incorrigibilis peccator*: Sanè vides vltimam peccatoris medicinā uerecundiā eſſe, dùm pòſt ipſam, ad eius ſalutem aliud efficere minimè teneamur.

*Nazianz.*

*Brugenſ.*

*Brugenſ.*

Incorrigibilis cenſendus eſt, qui à peccando pudore non frenatur.

10 Non igitur mirum, quòd ſtatim diuina ſuperueniat vltio, vbi peccandi amittitur verecundia. Quod videre eſt in Baltaſſar, qui cùm abſq; timore, & uerecundia in ſacris vaſis unà cum ſuis ſcortis biberet, illicò amiſſo pudore, ſcripta fuit ſententia: quā rem ſatis clarè expreſſit ſcriptura, dicens: *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum*: Dan. 5. quod idem erat, ac dicere: in eadem hora, in qua pudorem amiſit, inuenit ſententiā: quia ſi pudor eſt vltimū peccatoris remediū, eo amiſſo, ac ſi eſſet deſperatæ ſalutis æger, nil aliud reſtat, niſi vt contra eum mortis pronūcietur ſententia: ita Carthuſian. ibid. art. 6. *Nabuchodonoſor vaſa hæc aliqualitèr ſecundùm ſuam perfidiam honorauit, ea in domo Dei ſui ponendo; iſte verò ea totalitèr contempſit, dum ea non ſolùm vſui applicauit humano, quantùm ad ſe, ſed & ſeruis, & coniugibus, immò & ſcortis ea appoſuit ad vtendum, ideò ſtatim ſecuta eſt Dei vltio.*

*Daniel. c. 5.*

*Carthuſ.*

Damnationis expectet ſententiā, qui totaliter verecundiam amittit.

11 Et propterea, ni fallor, non in alio loco, quàm in fronte à Dauide percuſſus fuit Philiſtæus: *Infixus eſt lapis in fronte eius*. 1. Reg. 17. quia vbi impudentiæ ſedes erat, ibi pœna quoque reſidere debebat, ut mūdus agnoſceret totus, nihil ſic diuinam excitare indignationem, ut inuerecundiā, quæ ſtatim, ac in peccatore uidetur, cū ipſū penitùs incorrigibilē reddat, expectari nil aliud pōt, niſi ſētētia, mors, & dānatio. Meum nō eſt hoc, quod dico, ſed Auguſt. qui ſer. 198. de tempore rationem aſſignans, cur in fronte percuſſus ſit Philiſtæus, ſic dicit: *Infixus eſt lapis in fronte; quia omnis ſuperbia habet impudentiam frontis, in fronte Goliath lapide veniente deiectus eſt: euacuata eſt frons, quæ habebat impudentiam ſuperbiæ, & vicit frons, quæ habebat humilitatem Crucis Chriſti; propterea & nos ſignum Crucis in fronte portamus, quia illud intelligimus*: Seruemus itaque fratres pudorē, quia fieri uix poteſt, quòd Deum non quærat, qui pudorem nutrit, iuxtà illud: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum*. Pſal. 82. Secùs autem eo amiſſo, ut effrenos equos, nos à peccatis retinere nil poterit, dicente Chryſoſtomo: *Quid prohibet, vbi nihil verecundiæ, nihil pudoris admittitur, vt non in omnes perditionis foueas demergatur*. lib. 2. de compunctione cordis.

*1. Reg. c. 17*

*Auguſt.*

Effrontes in fronte percutiūtur

*Pſal. 82.*

*Chryſoſt.*

## Cùm venerit Dominus vineę, quid faciet agricolis illis? Matth. 21.

### §. IV.

*Tali beneuolentia, & amore ergà ſubditos flagrare debet, qui præeſt, quòd ipſorum Pater cenſeri debet non Dominus.*

Ouid.

1 NOn benè conueniunt, nec in vna ſede morantur *Maieſtas, & amor.* Ouid. Met.lib.2.fab.13.

Immò, dico ego, quòd tam benè conueniunt, & ſic in vna ſede morantur maieſtas, & amor, vt bonus Princeps prorsùs dici non debeat, niſi qui ob ſummam beneuolentiam, & amorem ſubditorum patrem ſe potiùs oſtendit, quàm Dominum. Quòd pręter quàm ab Ariſt. & Virgilio traditum eſt: quorum primus.8. Ethicor. principatum regalem, *principatum*, vocabat, *paternum:* & ſecundus non ducem, non principem, nec regem; ſed ſubditorum patrem vocabat Æneam, juxtà illud: *Inde thoro pater Æneas &c.* luculentiſſimè etiam in Epiſtola quadam de gubernando imperio ad Demetrium fratrem ſcripſit Soſipater ſequentibus verbis: *Quos autem priùs nō cognoſcebas, & nihil ad te pertinere putabas, ampliùs quàm quuis homo communē hominum naturā cōſiderās, illos iàm princeps factus reuereri debes, ceù iàm notos, & familiares, ac omnes tibi amicos eſſe videns, paterna beneuolentia complecti: Homero certè ſatis non fuit principem ſimpliciter patrem appellaſſe, quamuis haud aliud nomen inter homines benignius inueniri poſſet: ſed ad patris vocabulum adiunxit quoque manſuetum, & parentibus, & bonis Principibus huiuſmodi nomenclaturam conuenire ratus.* Et à Cyro optimè obſeruari aiebat Xenophon.lib. 8. de ped. Cyri quùm ait. *Verùm ego ò viri ſæpènumerò, & aliàs cogitaui bonum principem nihil differre à bono patre, nam & parentes filijs prouident, vt bona his numquam ſint defutura. Et Cyrus mihi videtur, nunc ea nobis conſulere, à quibus maximè in fœlicitate poſſimus ad vltimum vſq; vitæ perſeuerare.* Ac tandem in Conſtantino Magno obſeruauit Panegyriſt. eius, in ipſius laudem ſic dicēdo: *Patris pietatem ſic imitaris, ac ſequeris, vt omnibus ad te confugientibus, diuerſamq; opē, aut contra aliorum iniurias, aut pro ſuis commodis poſtulantibus, quaſi legata Patris videaris abſoluere:* quę omnia, multaq; alia, quę adducere poſſem, ſole clariùs oſtendunt, & quòd benè conueniant, & quòd in vna ſede morari debeant maieſtas, & amor, cū rectores, & principes ob nimiam beneuolentiam, ſolicitudinem, & curam, quam erga ſubditos oſtendere debent, nequaquàm domini, ſed patres ſint nuncupandi, quod præter præfatos, Saluatorem etiam docuiſſe reperio, dùm in præſenti parabola ſe Patrem vocat & Dominum, Patrem dùm dicit: *Homo erat paterfamilias.* Dominum autem dùm ſubdit: *Cùm ergo uenerit dominus uineæ:* quia qui poteſtate Dominus eſt, pietate, & amore ſe patrē cognoſcere debet. Cui expoſitioni aſtipulatur Imperfectus hom.40. in Matth. his verbis: *Paterfamilias eſt, cui cœlum, & terra, quaſi una ſunt domus, qui & Angelorum, & hominum natura Dominus eſt, beneuolentia Pater, qui ideò ſe Patrem omnium uoluit dici, ut omnes conſiderantes bonitatem eius, non ſub ſpecie ſimulata ei ſerniant, quaſi mali ſerui Domino, ſed in ueritate, quaſi boni filij genitori:* Ex qua Saluatoris doctrina fandi ſumpta materia, quàm verum ſit, non Dominos, ſed patres vocari debere, qui præſunt, oſtendam.

Ariſtot. Virgil. Soſipatr. Beneuolentia pollere debet qui præeſt. Xenodoph. princeps à patre differre nullatenus debet. Matt. c.21. Ibidem. Imperfect. Magis paternitatis, & poteſtatis titulo gloriatur Deus

2 Ad præſens facit inſtitutum, id quod in Ioſephi exaltatione accidiſſe ſacra narrat hiſtoria, nempè, pòſt ſomniorum interpretationem, ligatorum ſolutionem, famis præuiſionem, & conſiliorum traditionem, tanti beneficij vicem Pharaonem reddere uolentem, ipſum ſuper currum ſuum aſcendere feciſſe, & præconis uoce totius Ægypti Dominum prædicaſſe: *Fecit eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum*

Geneſ.c.41

poſitum

*poſitum eſſe ſcirent vniuerſa Terra Ægypti*. Gen. 41. & quidèm ſic fieri decebat, vt ab omnibus honoraretur, qui à Deo etiam ſomniorum reuelatione dignabatur. Verùm quod ad rem noſtram attinet: ubi noſtra Vulgata habet, quòd præconis voce Ægypti Dominus declarabatur Ioſeph: *Clamante pracone, ut omnes coràm eo genuflecterent*: ex traductionibus Hebraicis legit Hieronymus: *Clamauit praco Abrech*, quod idem ſonat, ac patrem tenerum; quæ Hieronymi lectio myſterium minimè intelligentibus, nó vulgaris dubitationis poſſet eſſe occaſio, quomodò ſimul & ſemel Pater & Dominus vocaretur Ioſeph, ſi Pater eſt, qui genuit, & Dominus qui regit; dũ regẽdi poteſtatẽ accipiebat, abſolutè Dominus vocari debebat nõ Pater, cur ergo ſimul & ſemel & Dñs vocatur & Pater? Verùm ex hoc nulla mihi ſpeculandi anſa occurrit, cùm ſciam bonum principem à bono patre nihil prorsùs differre; & quia optimus princeps eſſe debebat Ioſeph, nõ bonus Dominus, ſed beneuolus Pater appellatur. Audiendus nũc eſt Hieronymus, cuius fuit iſta ſubtilitas. *Clamauit praco Abrech, ideſt, patrem tenerum, Ab, quippè, dicitur pater, & Rech, delicatus, vel tener, ſignificante ſcriptura, quòd iuxta prudentiam omnium pater fuit, ſed iuxta ætatem tenerrimus, & delicatus puer*: Meritò itaque vbi noſtra vlgata eum Terræ prępoſitum uocat, alia lectio ipſum apertè patrem appellat; quia aptiùs paternitatis titulo, quàm dominationis inſigniri debet, qui præeſt.

Hieronym.

Idem.

Ioſeph Ægypto prçlatus: non Ægypti Dominus, ſed Pater præconis uoce clamatur

3 Pro cuius clariori probatione, quid fratribus ob inopinatam eius agnitionem perterritis, idem dixerit Ioſeph, perpendamus: *Non veſtro cõſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum: qui fecit me quaſi patrẽ Pharaonis, & Dominum vniuerſæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti*. Gen. 45. Quæ verba perfunctoriè, niſi percurres, aduertes, priùs ſe patrem Ioſeph uocaſſe, quàm dominum, vt intelligas, quòd principes, & prælati nõ ſe de poteſtatis titulo iactare, ſed de patris beneuolentia gloriari debent. Carthuſianus ibidem. art. 96. *Quaſi patrem Pharaonis Deus ità me reputari fecit, ac ſublimari à Pharaone, ac ſuis domeſticis prætulit me, ac toti regno ſuo me ità præpoſuit tamquàm principem*.

Gen. c. 45.

Carthuſ.

Se Pharaonis cæterorumque ei ſubditorum patrem appellat.

4 Quæſtionem nunc à Diuo Chryſoſtomo homil. 27. in Matth. motam adducere liceat, ſcilicèt: An de vno, & eodem Centurione Matthæus, & Lucas loquantur, an potiùs de diuerſis? *Occurrit dubitatio*, ait præfatus Chryſoſtomus, *an iſte Centurio, de quo meminit Lucas, ſit ille idem, quem refert Matth. cap.* 8. & dubitandi ex eo inſurgit occaſio; quia vbi primus pro filio eum rogaſſe dicere videtur: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur* cap. 8. Secundus pro ſeruo interpellaſſe deſcribit: *Centurionis autem cuiuſdam ſeruus malè habens, erat moriturus, qui erat illi pretioſus. Et cùm audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius*. cap. 7. Et licèt ex hoc duos fuiſſe Centuriones aſſerant nonnulli, tamen communior, veriorque opinio vnum eũdemq; fuiſſe aſſerit, de quo uterque loquitur Euangeliſta. Vndè prçfatus Chryſoſt. quæſtionem ſoluit, quàm dicit: *Non ignoro quoſdam, alium hunc, & alium illum opinatos fuiſſe. Nos autem & ſi hoc modo faciliùs uitare diſcrepantiam fatemur, de eodem tamen & hic, & ibi dici arbitramur*. Verùm ex eius quæſtionis ſolutione alia ſanè oritur, nempè, ſi æger ſeruus erat, cur ipſum non ſeruum, ſed filium vocat, dum dicit: *Puer meus iacet in domo Paralyticus*: ſi aptiùs dicere potuiſſet: famulus meus, ſeruus meus malè torquetur? nec dicere, quòd pueri nomine tàm filij, quàm ſerui uocentur, totalitèr difficultatem eneruat: quia ſi germaniùs ægri conditionem explicare potuiſſet, eum ſeruum uocando; cur puerum, quod non famuli tantùm, ſed filij etiam nomen eſt, nuncupare voluit? Sed ò magnam Centurionis pietatem! propterea ſeruum puerum vocabat, quia non ſerui Dominum; ſed per amorem patrem ſe eſſe agnoſcebat. Digna ſanè Carthuſiani ſententia dicentis: *Charitas Centurionis apparuit, quòd pro ſuo ſeruo tàm inſtanter rogauit, quẽ etiã puerũ nominat propter dilectionẽ ad eum. Vndè Lucas ſcribit: quòd fuerat ei pre-*

Chryſoſt.

Matt. c. 8.

Luc. c. 7.

Idem

Carthuſ.

Vera Dominorum norma Centurio.

*pretioſus,ideſt,charus. Sicque Centurio im-
pleuit illud ſapientis: ſerunt fidelis ſit tibi
quaſi filius*.ar.16.Ecce tibi,cur qui puer
à Matthæo vocatur,ſeruus à Luca dici-
tur, vt ſcias, quòd non natura, ſed be-
neuolentia; non propagatione, ſed
amore tanti Patris filius dicebatur.

5 Naaman Syri nunc reminiſcor,
qui cùm obtinendæ ſalutis cauſa ad
Eliſæum veniſſet, & ab eo accepiſſet,
quòd à lepra ſi curari cupiebat, ſep-
tiès in Iordane ſe lauare debebat; me-
dicinam ſpernens, & conſilium indi-
4.Reg.c.5. gnè ferens, dicere cœpit: *Putabam,
quòd egrederetur ad me, & ſtans inuoca-
ret nomen Domini Dei ſui, & tangeret ma-
nu ſua locum lepræ, & curaret me. Num-
quid non meliores ſunt Abana, & Phar-
phar, fluuij Damaſci, omnibus aquis Iſrael,
vt lauer in eis, & munder?* 4.Reg.5.Quas
querelas comites audientes, ſic eum
fuiſſe alloquutos, ſacra ſubdidit pagi-
na: *Pater, & ſi rem grandem dixiſſet tibi
Propheta, certè facere debueras: quantò
magis quia nunc dixit tibi: Lauare, & mun-
daberis*? proba equidèm opinio, op-
timum conſilium; ſed quinam fuerint
hi ſapientes conſiliarij, inquiramus:
ſi comites fuiſſe dices: eſto: Sed qui
erant iſti, conſanguinei, ad quos ægri
cura ſpectabat, an familiares atque
amici, qui eius valetudinem, vt pro-
priam exiſtimabant? Sed nec amicos,
nec conſanguineos fuiſſe, ſed ſeruos,
facer ait Textus. *Acceſſerunt ad eum
Ibidem. ſerui ſui, & locuti ſunt ei. Pater, & ſi rem
grandem &c.* Verùm ſi ſerui erant, bo-
ne Deus, quam ob cauſam eum Patrē
vocant, non Dominum? ſi inter filium,
& ſeruum non parua eſt differentia,
cur filiorum ſibi arrogant nomen, di-
cendo: *Pater, & ſi rem grandem &c.* &
non potiùs ſuæ conditionis memores,
dicunt Domine, ſi rem grandem &c.
Attamen optimè ſerui Naaman ipſum
Patrem vocant, non Dominum; quia
ſic blandè ergà famulos ſe gerebat, vt
Patris officio fungi videretur, non Do-
Carthuſ. mini: ſic Carthuſianus ibidem.art. 7.
*Habuit autem Naaman ſe tam maturè,
amoroſè, & piè ad ſeruos ſuos, quòd
eum Patrem magis, quàm Dominum ap-
pellabant*: nec aliter gerere ſe opta-
bat Naaman: nam ſi à Patris clemen-
tia diſceſſiſſet, Principatum minimè
meruiſſet.

Naaman beneuolentia ipſum Patrē à ſeruis vocari faciebat.

6 Apertiùs idipſum, quod modò
diximus, nempè ſic lepidè cum ſubdi-
tis Principes agere debere & Reges,
vt ab ipſis non Domini, ſed Patres
vocandi ſint, declarauit mitiſſimus ille
Dauid, quando vt egreſſo Sauli de ſpe-
lūca, in qua eū facillimè necare potuiſ-
ſet, indicaret quantam ergà eum reue-
rētiā haberet, & pietatē foueret, ſciſ-
ſam veſtis illius partē, veluti internæ vi-
ctoriæ vexillum, eleuando, pòſt eum
clamare cœpit, & dicere: *Domine mi* 1.Reg.c.24
*Rex. Ecce hodiè viderunt oculi tui, quòd
tradiderit te Dominus in manu mea in ſpe-
lunca: & cogitaui vt occiderem te, ſed
pepercit tibi oculus meus. dixi enim: Non
extendam manum meam in Dominum me-
um, quia Chriſtus Domini eſt. Quin potiùs
Pater mi, vide, & agnoſce oram clamy-
dis tuæ in manu mea*. 1. Reg. 24. Nàm ſi
benè aduertis: poſtquàm Saul Domi-
num appellauit: *Domine mi Rex*: ac
ſi impropriè locutus fuiſſet, ipſum Do-
minum nuncupando, illicò lo-
quendi improprietatem correxit, di-
cendo: *Quin potiùs Pater mi*, quod idē
erat ac dicere: quia Regem, Dominum
vocando, erraui, propterea te Patrem
dicendo, dictum corrigo. Toſtati fuit Toſtatus
iſta ſubtilitas, qui verba illa: *Quin po-
tiùs*, retractationem ſignificantia, con-
ſiderans, dicit: *Hic autem vocauit Da-
uid Saulem Patrem, ſuprà verò vocauerat
eū Regē; ratio eſt, quia Rex eſt nomen hono-
ris, & timoris; Pater autem eſt nomē dulce-
dinis: Dauid autem à Principio vocauit
Saulem Regem, ad exhibendam reuerentiā:
nunc autem vocat eum Patrem, ad ſignifi-
candam dulcedinem clementiæ, quam ha-
buerat erga eum*. quæſtione 20. Nec ſine
ratione ſubdit Saul. *Nūquid vox hæc tua
eſt fili mi Dauid?* ibidem. Quia ſi iuxtà
Ariſtot. ſententiam, Pater Filij Pater Ariſtot.
eſt, ſi ſeruus Dominum Patrem voca-
bat, Dominus ſeruum Filium nuncu-
pare debebat.

Errat qui Regem, Dominum vocat, non Patrem.

7 Nec prætereundum puto, quod
tandem concluſit Saul. *Et nunc quia
ſcio quòd certiſſimè regnaturus ſis, & habi-* 1.Reg.c.24
*turus in manu tua Regnum Iſrael: iura mi-
hi in Domino, ne deleas ſemen meum pòſt
me, neque auferas nomen meum de domo
Patris mei*. ibidem. Vndè autem Da-
uid eleuandum agnoſceret, & ipſum
certiſſimè regnaturum prænoſceret,

aſſi-

aſſignat Carthuſianus, dicendo: hoc non ex alio capite deducere, niſi ex Dauidis pietate, lenitate, & amore, quæ res non plebeium, ſed regalem animum oſtendunt, cùm Rex propter amoris magnitudinem, quo ſubditos proſequi debet, chariſſimus Pater, nõ terribilis Dominus apparere debeat: & quia Dauid Sauli ſibi infeſtiſſimo, mortemq; iugiter molienti pepercerat, maximũ oſtẽderat amoris exceſſũ: propterea certiſſimè regnaturus præ noſcebatur; quia fieri nõ poterat, quin ſubditos, vt filios amaret, qui vt Patrẽ ſæuiſſimum hoſtem venerabatur.

*Carthuſian.*

*Hoc enim Saul perpendit* (ait Carthuſianus art. 4.) *ex conſideratione virtutum Dauid, per quas cogitauit eum dignum eſſe impletione promiſſionis ei factæ de Regno obtinendo.*

Virtute prę diti regimine digni.

Nec multò pòſt, quàm blandè ergà ſubditos ſe gereret Dauid, rei probauit euentus; nàm cùm Angelum populum percutientem videret, ac ſi in proprios filios diuina ſe extenderet ira, clamare cœpit, & dicere: *Ego ſum qui peccaui, ego iniquè egi, iſti autẽ qui oues ſũt, quid fecerunt?* 2. Reg. c. 24. Quo ſermone ſubditos oues vocabat: quia ſi ouis à Paſtore vt filia quodãmodò exiſtimatur, iuxtà illud: *Pauper autem nihil habebat omninò, præter ouem vnam paruulã, quam emerat & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cũ filijs ſuis ſimul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens, eratque illi ſicut filia.* 2. Reg. 12. ipſe ſeruos pro filijs habebat. Quod eximiè dixit Chryſoſtom. *Vellicabantur viſcera ipſius, cadentibus illis, tanquàm ſi genuini necarentur filij.* Meritò igitur regnare debebat ille, qui inter regales honores Patris viſcera fouere debebat.

*3. Reg. c. 24*

*2. Reg. c. 12*

*Chryſoſt.*

Dauidis erga ſubditos pietas quãta.

8 Et quidèm iure optimo, poſthabito dominationis titulo, Patres ſe agnoſcere, & vocare debent terreni Principes, dùm ipſemet Deus, qui veriſſimus omnium Dominus eſt, Pater potiùs, quàm Dominus vocari cupit: quod videre eſt in Iſaia c. 9. In quo Redemptoris deſcripta natiuitate, eius nominis etiam deſcribuntur præconia, dùm dicitur: *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Nàm vt benè aduertit Lyranus: Priùs Pater vocatur, quàm Princeps: *Pater futuri ſæculi, Princeps pacis:* quia cùm Pater potiùs nuncupari cupiat, quàm Dominus, nos non in ſeruorum, ſed in filiorum locum ſuſcipere non dedignatur. Præfatus Lyranus: *Pater futuri ſæculi, quia filijs chariſſimis bona futuri ſæculi reſeruabit:* quam beatiſſimã filiationem agnoſcens Paulus, clamare non deſiſtebat. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba* (*Pater*) Ad Rom. 8. quæ verba nil aliud ſonant, niſi; Patrem ipſum vocemus, vt ad Patrem ad ipſum curramus, quia vt filios nos ipſe ſuſcipit, non vt ſeruos. Quod in perſona mulieris adulterę proprio ore peccatori dignatus eſt dicere, quùm ait: *Ergo ſaltem amodò voca me, Pater meus tu es, Dux Virginitatis meæ.* Ierem. 3. Quod piiſſimi Dei noſtri deſiderium conſiderans Theodoretus, initio ſui Comment. ſuper Cantic. ad ipſum hunc ait in modum: *Tu Patris appellatione magis, quàm Domini delectaris:* quæ Theodoret. ſententia adeò vera eſt, vt Zacchæus, qui Chriſtum, Dominum appellauerat: *Dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* Luc. 19. Ab ipſo non ſeruus, ſed filius appelletur, dùm ſubditur: *Hodie huic domui ſalus à Deo facta eſt, eò quòd & ipſe filius ſit Abrahæ.* ibidem. Vbi Chryſoſt. ſer. de Zach. *Fuit Zachæus Abrahæ filius fide, non genere: merito, non ſobole: deuotione, non ſtirpe: Zachæus videre Dominum concupiuit. Zachæum verò in filiorum Dominus tranſtulit numerum.* hactenùs ipſe.

*Iſai. c. 9.*

*Lyranus*

*Ad Ro. c. 8.*

*Ierem. c. 3.*

*Theodoret.*

*Luc. c. 19.*

*Chryſoſt.*

Paternitatis titulum quanti faciat Deus

9 Ego autem & Principes quidẽ, ſed magis Eccleſiaſticos Prælatos Patres uocari, conſiderans; iuxtà illud: *Si autem non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaueritis ſermones eius, erit manus Domini ſuper vos, & ſuper Patres veſtros.* 1. Reg. 12. non miror; quia amore potiùs, quàm poteſtate fulgere debent erga ſubditos, non duros Dominos, ſed beneuolos Patres ſe oſtendendo. Quod obſeruauit Toſtatus ſuper citatum ſcripturæ locum. quæſt. 14. quùm ait: *Hic per Patres Principes, & Prælati intelliguntur, qui ſunt Patres populi: quod maximè conuenit principatui reali, quandò rectus eſt: Nàm*

*1. Reg. c. 12*

*Toſtatus*

Summè Eccleſiaſticos prælatos arrogãtia dedecet.

*Ari-*

*Ariſtoteles* 8.*Ethic.Vocauit principatum realem, principatum paternum, allegans auctoritatem Homeri in Iliad. qui Agamemnonem patrem & paſtorem populorum appellauit, & ille erat Rex: & ſic eſt ſenſus, quòd tàm Iſraelitæ, quàm patres ſui perirent, ſcilicèt, Reges.* Sed heù quot clauſis pietatis viſceribus, non vt patres, ſed vt duros dominos, imò ut crudeles ſæuoſq; tyrannos erga ſubditos ſe gerere video; qui eò ſe glorioſiores exiſtimant, quò maiorem timorem afferunt & terrorem: ac neſciunt inſani, quòd etiam feræ, imò viliſſimi ſcorpiones terrorem incutiunt, nec propterea honore digni exiſtimantur. Vndè de talibus ſatis iuſtè dicere poſſum, quod de Magno Alexandro ait Seneca. lib.1.de beneficijs c.13. *At hic à pueritia latro, gentiū*

Seneca. *vaſtator, tàm hoſtium pernicies, quàm amicorum, qui ſummum bonum duceret,*

Auari regimine à Deo exiſtimantur indigni. *terrori eſſe cunctis mortalibus, oblitus, nō ferociſſima tantùm, ſed ignauiſſima quoq; animalia timeri, vt virus malum.* Quibus nedùm in iudicio, ſed in præſenti etiam vita omnium dicturus eſt Dominus: *Cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Et diſperſæ ſunt oues* Ezech.c.34

*meæ, eò quòd non eſſet paſtor: & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, vt vltrà non paſcant gregem, nec paſcant ampliùs paſtores ſemetipſos.* Ezech. 34. Quā iuſtam Dei indignationem ſi effugere cupiunt, relicta iactantia, auſteritate, atque imperio, beneuolos ſe erga ſubditos oſtendant et mites, ſcientes ſe illorum Patres conſtitutos eſſe, non Dominos. Quod eos docuit Claudianus. 4.Honor. quùm cecinit.

*Tu ciuem, patremque geras, tu conſule cunctis*
*Nec tibi, nec tua te moueant, ſed publica vota.* Claudian.

DO-

# DOMINICA TERTIA

## QVADRAGESIMAE.

**Erat IESVS eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.**

**Luc. 11.**

### §. I.

*Alienam ob felicitatem, & laudem inuidus quàm torqueatur infelix, oſtenditur.*

1 QVotquot de inuidia ſcripſiſſe percurri, oẽs inuidos miſeros vocaſſe inueni; quia aliena virtutum excæcantur luce, torquentur laude, macreſcunt pinguedine, & vnico vt dicam verbo, quia aliorum felicitate infelices redduntur ipſi.
*Ariſtot.* Vndè Ariſt. lib. 1. Topic. ait: *Inuidia eſt triſtitia in apparenti felicitate alicuius.* Et
Inuidiæ delineationes. Horatius lib. 1. Epiſt. ad Lol. 2. hunc cecinit in modum.

*Inuidus alterius macreſcit rebus opimis.*
*Horatius* *Inuidia Siculi non inuenere tyranni*
*Maius tormentum.*

Et Heſiod. in Oper. & Dieb.

*Odit faber fabrum: figuloque moleſtus*
*Eſt figulus: mendico protinùs inuidet alter*
*Mendicus: Cantor cantorem liuidus odit,*
*Inuidioſum præſtat eſſe quàm miſerabilem:*

Sed profanos hos vt omittam ſcriptores, Damaſcenus etiam dicere be-
*Damaſc.* nè nouit. *Inuidia eſt triſtitia de alienis bonis:* Et Auguſt. ſuper illud pſal. 104. *Cõ-*
*Auguſt.* *uertit cor eorum. Inuidia eſt dolor alienæ felicitatis:* hinc Dauid Inuidum Tigri aſſimilare conſueuit, quùm ait. *Peccator videbit, & iraſcetur: dentibus ſuis* *Pſal. 111.*
*fremet, & tabeſcet.* Pſalm. 111. quia ſi ex muſicali concentu in furorem, & rabiem vertitur hæc, ex aliorum virtutum laude tabeſcit ille: Vndè
Hieronymus. *Inuidus eſt inſtar Tigris: ſicut enim ipſa ex muſica tabeſcit; ſic peccator, ex proſpero iuſtorum euentu proprias dilacerat carnes.* *Hieronym.* Quod alitèr probari ſi minimè poſſet, ſatis commodè per id, quod Euangeliſta hic ſcribit, probaretur: nàm Saluatoris ſigna, virtutes, atque miracula videntes inuidi, nõ vt ſimplices turbæ portentorum mirabantur magnitudinem; ſed vt ſæuæ Tigres liuore tabeſcentes, cõceptum dolorem ex Saluatoris gloria verbis eructabant, dicendo: *In Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia:* *Luc. c. 11.* Luc. 11. quod obſeruauit Carthuſianus. art. 30. *Carthuſ.* *Ità Phariſæi fuerunt pleni inuidia contra Chriſtum, eo quòd Sanctitate, fama, eloquentia, ſapientia, & miraculis eos præceſſit, cùm ipſi humanæ laudis, & gloriæ cupidiſſimi eſſent.* Et Cyrillus in Catena citatus. *Alij verò ſtimulati liuoris aculeis, petebant ab eo cæleſte videre portentum.* *Cyrillus.* Ex quo clarè patet, aliorum felicitate, & laude inuidos non parùm torqueri, quod in ſequentibus videbitur magis.

2 Quàm zeli liuore incendatur inuidus, quùm alterius bonum proſpicit, declarauerunt proprio ore ſerui illi, qui conſeruos vltima hora ad vi-

neæ

Digitized by Google

neç culturam vocatos, integrum denarium accepiſſe videntes, de Domini liberalitate murmurare cœperunt, & dicere: *Hi nouiſſimi vna hora fecerunt: & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus.* Matth. 20. Clarum ſanè inuidorum exemplum, qui aliorum felicitatem propriam exiſtimantes miſeriam, & aliorum bonum propriam putantes iacturam, quod alijs conceditur, ſibi negari iudicant. Vndè quò ditior ſit proximus, eò ſemper pauperior propria æſtimatione ſit inuidus: ex quo optimè iſte paterfamilias reſpondit: *Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade: volo autem huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* quorum verborum ſi attendatur illatio, & præcipuè illorum: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* hunc ſonum edere poterunt: an fortè, quia ego bonus ſum, gratias largitèr, & pluſquàm ſperatur impertiens, oculus tuus nequam eſt, hoc eſt, zeli liuore torquetur? Ità prorsùs Domine, ait Chryſoſtomus. hom. 34. in cap. Matth. 19. quia quò te largiorem erga alios oſtendis, eò tenaciorem erga ſe oculus inuidi te iudicat: cuius verba ſunt hæc. *Ergo illi non dolebant, quaſi fraudati de mercede ſua: ſed quia illi ampliùs quàm merebantur, acceperant. Hoc eſt enim proprium inuidiæ, quando aliquid alteri additur, ſic dolent inuidi, quaſi illis ſit aliquid ſubductum, quod illi eſt additū; vtputà, ſi viderit aliquem fieri ditiorem, putat inuidus, ſe pauperem futurum.* Proh miſer oculus inuidi, qui quantò acutiùs Dei pietatem erga homines reſpicit, tantò infelicior, & nequior redditur!

Matt. c. 20. — Ibidem. — Chryſoſ. — Inuidiæ effectus.

3 Multum nunc minimè laboro, vt rationem percipiam, cur poſtquàm ab Abraham diuiſus eſt Lot, Deus multa Abrahæ promittere, & magna concedere voluit, non anteà? dicente Scriptura. *Dixit Dominus ad Abram, poſtquàm diuiſus eſt ab eo Lot: Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem. Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo & ſemini tuo vſque in ſempiternum.* Gen. 13. Certum cùm ſit, quòd tàm poſt Lot diuiſionem atque diſceſſum, quàm ante, quicquid Abram concedere diſpoſuerat, procul dubio largiri poterat. Vndè Oleaſter. *Quid eſt hoc, Domine Deus, quòd ad dandum terram Abram, expectas receſſum nepotis? Numquid non potes eo præſente donare?* Et tamen nō priùs hæc Abrahæ promiſit, atque conceſſit, quàm ab eo procul fieret Lot, nè illius promiſſiones, conceſſiones, & gratias videns, licèt iuſtus, iuſtiq; nepos, ex alterius felicitate aliquid humanum pateretur. Vt a præfato Oleaſtro, qui ad difficultatem ſic reſpondit, dicendo: *Sicut plus inuidiam, aut odium Nepotis timuit ipſi Abrahæ.* Magnus quippè zeli liuor, qui nec carni parcens, nec ſanguini, conſanguineos ipſos, infelices potiùs, quàm fęlices exoptat!

Geneſ. c. 13 — Etiam iuſti ipſam perimere debent. — Oleaſter. — Idem. — Inuido bona abſcondenda ſunt.

4 Hinc fit, vt muſcę comparari ſoleat inuidus; quia ſi illa in ſano corpore paruam aliquam proſpicit plagam, in illam celeri volatu ſe proijcit, ibiq; immorari, immò ſe figere deſiderat: ſic iſte, omiſſis virtuoſorum virtutibus, ſi quid minùs laudabilitèr geſtum proſpicit, hoc ſemper in oculis, & in ore habet, vt alios illaudabiles reddens, aliorum laudibus non torqueatur. Mirè hanc ſimilitudinem explicauit Diuus Leo ſerm. de liuore & inuidia ſequentibus verbis: *Sicut muſca omiſſo ſano corpore, ſicubi vulnus eſt, concitè præcipiteſq; conueniunt; ità & inuidi, ſi quid ab aliquo in hac vita benè geſtum eſt, ſi quid præclarum in actibus, in verbis probabile, in moribus admirandum eſt, nihil prorsùs vident, nihil aſpiciunt: ſicubi autem quid, aut improbabilitèr geſtum, aut incauto ſermone prolatum, vt accidere hominibus ſolet, hoc loquuntur, hoc proferunt, hoc in publicum ventilant, & notitiam viri, nō ex bonis geſtis dictiſque, ſed ex minùs probabilibus fieri volunt; quo malo quid nequius? quid tetrius? quid pernicioſius?* ſic ipſe.

D. Leo PP. — Muſcæ comparatur inuidus: quia nō in bono, ſed in malo proximi ingiter ſiſtit.

5 Huius ſimilitudinis miram probationem in Ioanne reperio, qui c. 5. refert, quòd cùm Saluator languidum ſanitati reſtituiſſet, ad maiorem euidentiam tanti miraculi, vt tolleret grabatum præcepit. *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula:* quod cùm vidiſſent Iudæi, inuidiæ flammis æſtuantes, dicere cęperunt. *Quis eſt ille homo, qui*

Ioan. c. 5.

*dixit tibi: tolle grabatum tuum?* Duo ſi benè attendatur fecerat, & longa vexatum ęgritudine ſanauerat, & ſanato, vt tolleret grabatum, pręceperat: at Iudæi omiſſa languidi curatione, nihil de tanto miraculo dicentes, de Sabbati ſolummodò, vt putabant, violatione loquuntur, dicentes: *Quis eſt ille homo, qui dixit tibi: tolle grabatum?* Infeſtę prorsùs muſcæ, quę inuidia tabeſcentes, omiſſis ſignis, atque virtutibus, tantùm in Sabbati, vt ſtultè exiſtimabant, violatione morantur, de hac loquuntur, hanc in medium proferunt, non miraculum. Quod & perpendit Theophylactus, qui dixit: *Iudæi non interrogant eum, quis eſt, qui tè ſanum fecit? ſed quis eſt, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum? ità ad bonum ſpontè excæcabantur, ſurſumque, ac deorſum rapiebant Sabbati violationem, vt ſibi videbatur.* Ecce quomodò optimo iure muſca vocari debēt inuidi, qui, omiſſis virtutibus, ſignis, atq; miraculis, quod inuidię excæcati liuore minus laudabilitèr geſtum exiſtimant, hoc vt omnium oculis pateat, ſemper in medium ſtatuunt.

Theophyl.

Malum ſemper intendit Inuidus.

6 Nec mirum, quòd aliorum virtutes, fęlicitates, & laudes ſemper inuidus nitatur abſcondere; quia ipſis, pluſquàm gehennalibus cruciatibus torquetur: quod mirè declarauit Saluator verbis illis contra reprobos prolatis. *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium; cùm videritis Abrahā, & Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras.* Lucę 13. Quæ verba conſiderans Caietanus, quęſtionem mouet: An inter electorum præmium, & reproborum pęnam, aliqua ſit connexio? Et reſpondet, quòd nulla prorsùs, cùm nec iuſtorum gloria à damnatorum ſupplicio, nec horum ſupplicium, ab illorum beatitudine pendeat; quod pluſquàm verum ſi eſt; cur Dominus iniquorum cruciatus deſcribere volens, iuſtorum ſimul gloriam & pręmium extollit? immò ſi verborum vis attendatur, ex iuſtorum fœlicitate, iniuſtorum infęlicitatem videtur inferre, quùm dicit: *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium: cùm videritis Abrahā, & Iſaac, & Iacob in Regno Cælorum, vos autem expelli foràs.* At quid diceret, benè nouit ille, qui inuidorum cruciatum declarare volens, prædictis verbis tacitè dicere voluit; quòd quùm inuidi ab ipſis gehēnę incēdijs iuſtos ad gloriā vocari, & aſſumi, Deo ſic permittēte, videbūt, tūc omnes infernales cruciatus paruipendentes, magis illorum fęlicitate, quàm propria infęlicitate incenſi, maximè dolebunt, & flebunt. Sic Caietanus ibidem. *Ad cumulum demum pœna adijcitur ſalus futura omniū nationum mundi; nihil enim ſic inuidum torquet, & diſcruciat, quàm ſi aliorum fœlicitatem videat:* proculdubio cernis, magis inuidiæ flammis, quàm gehennæ incendijs torqueri Inuidum, cùm *ad cumulum pœna adijciatur ſalus futura omnium nationum mundi.*

Luc. c. 13.

Caietanus

Ex fœlicitate aliorum creſcit inuidia.

7 Fortè Satan hoc non eſt expertus, qui, vt obſeruauit Diuus Gregorius lib. 2. mor. c. 5. non prius Iob calumnijs afficere ſtuduit, quàm à Domino laudatum audiret? nam cùm de via interrogaretur à Deo: *Vndè venis?* nihil contra Iob protulit, ſed abſolutè reſpondit: *Circuiui terram, & perambulaui eam* cap. 1. vt poſteà Iobi virtutes à Domino prædicari audiuit: *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* ſtatim magis zeli flammas ſentiens, quàm gehennę, impudentiſſimum os contrà iuſtum iniuſtè aperuit, dicens: *Numquid Iob fruſtra timet Deū? nonne tu vallaſti eum, ac domum eius, vniuerſamq; ſubſtantiam per circuitum? ſed extende paulùm manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi:* Vndè in citato loco Gregorius: *In hoc loco intuendum eſt, quia non priùs Diabolus beatum Iob à Domino petijt, ſed cùm Dominus in Diaboli deſpectū laudauit, ex Dei laudibus in tentatoris mēte inuidiæ fuerunt faces excitatæ.* Ecce quomodo acriùs Iobi laudibus, quàm ipſis Inferni flammis, cùm inuidus Satan incenderetur, quem verbis priùs non audebat attingere, calumnijs poſtea inficere conabatur.

Iob. c. 1.

Greg. Magn.

8 Vlteriùs ſi mihi dicere liceret, dicerem vtiquè, inuidum plus quodammodo aliena felicitate torqueri, quàm propria pœna Diabo-

 lum;

lum. Ad cuius dicti probationem adduco locum illum Lucæ 11. vbi habetur, quòd cùm ſaluator Diabolum à corpore cuiuſdam obſeſſi expelleret, querimonias, quas Dæmon expulſus non protulit, dicente Euangeliſta: *Erat Ieſus eijciens Dæmonium, & illud erat mutum, & cùm eieciſſet Dæmonium, loquutus eſt mutus;* Iudæi aſtantes continere non valuerunt, ſed ſacrilego ore in hanc maximam proruperũt blaſphemiam: *In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia.* Vndè autem, quod Diabolus dicere non eſt auſus, dicere non erubuerint Iudęi, aſſignat Chryſoſtomus hom. 41. in cap. Matthæi 12. quùm dicit, inuidos Iudæos Chriſti miraculis, gloria, & laudibus, adeò torqueri, vt quod Diabolus ſilenter eſt paſſus, id præ inuidia ipſi ferre non valentes, ſed zeli torſionibus inſanientes, in hanc proruperint blaſphemiam: *In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia.* Citati autem Chryſoſtomi verba ſunt, quę ſequuntur: *Nec quicquam eſt, quod eos ita eo dolore cruciet, ſicut inuidia. Quæ ex re Dæmone quoque ipſo magis dolebant: quippè Dæmon ab homine citò recedens, ac nihil dicens, fugam arripuit: illi verò modo interficiendi agitabant conſilia, modò quoniam illud ſibi non proceſſit, calumnijs exiſtimationem hominum de eo retundere conabantur.*

Luc. c. 11.

Chryſoſt.

Magis Chriſti gloria torquebantur Iudæi, quàm Chriſti iuſtitia dęmones.

9 Quem locum quia tetigimus, ſilentio prætereundum minimè puto, quòd inuidus proximi virtutem, & gloriam Diabolo potiùs aſcribere cupit, quàm proximo, ne illius fœlicitate, & bono torqueatur: quã rẽ ex modò citatis Lucæ verbis facilè colligo, dicente ipſo; quòd cùm Dæmonis eiectionem, obſeſſi liberationem, tantique miraculi euidentiam inuidi Iudæi negare non poſſent, dicere cęperunt. *In Beelzebub Principe Dęmoniorum eijcit Dæmonia:* ergo, & miraculum confitentur, & Dæmonis virtute illud factum aſſerunt: ita ſanè. Sed proh nefas, cùm inuidi tanti miraculi euidentiam negare non poſſent, potiùs Dæmoni, imò omnium Dæmonum Principi hoc aſcribere maluerunt, quàm Chriſto, dicentes: *In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia!* Quam nefandam malitiam inuidorum Toletus ex Athanaſio accepit, qui Comment. 34. ſuper cap. Lucæ 11. hæc ait: *Attende autem Athanaſium in decretis Nicænæ Synodi contra Arianam hæreſim ponderaſſe horum calumniatorum malitiam, qui non timuerunt, nec erubuerunt, tantum miraculum aſcribere dęmoni apud eos, qui per illud in opinionem venerant Chriſtum eſſe Meſſiam; cuius Athanaſij verba ſunt hæc: Malebant ſe potiùs impios haberi, dum Beelzebub operum Chriſti auctorem volunt, quàm repudiare ſuam ipſorum malitiam:* quibùs non parùm euidentèr inuidorum oſtenditur nequitia, dùm proximi laudem, & gloriam Diabolo potiùs tribuere ſtudent, quàm proximo.

Luc. c. 11.

In Beelzebub Chriſtũ dæmonia eijcere aſſerebant inuidi, & quare.

Toletus

In glorioſũ vt videant proximum inuidi, debitam ei gloriam Diabolo tribuere ſtudent.

10 Sed quid dico inuidos proximi gloriam Diabolo adiudicare? rem dicam omni prorſùs ſtupore dignam; eò inuidorum perueniſſe nequitiam, atque ſtultitiam, vt ſummi Dei gloriam, honorem, & laudem ſurripere ſi poſſent, Diabolo potiùs conniterentur tribuere, quàm Deo: quæ veritas facilè per id probari poteſt, quod Iudæi pòſt Vituli conflationẽ dixerũt, ſicuti ait ſacer textus, nã vt vxorũ, filiarumq; inaures in formam Vituli redactas viderunt, alter ad alterum dicere cępit: *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Exod. 33. Et tamen paulò ſuperiùs legiſſe me memini; quòd cùm inter marinos vortices Pharaonem, & exercitum, currus, & Equites extinctos viderent, quaſi ex vno ore cum Moyſe laudes Deo perſonare cęperunt, & dicere: *Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem: iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus Patris mei, & exaltabo eum.* etc. Exod. 15: ex quo cantico ſatis clarè colligitur, vnicum Deum, verumque liberatorem Hebraicum populũ benè nouiſſe: quod ſi pluſquam verum eſt, vndè poſtea tanta cæcitas, ac talis dementia, quòd vitulum Deum vocant? Et quod tunc conflatum videbant, hoc idem multò priùs extitiſſe affirmant, quùm dicunt: *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te* eduxe-

Exod. c. 32.

Exod. c. 15.

*eduxerunt de terra Ægypti*: attamen hæc aſſerere cęca inuidia nō erubeſcit; quæ Deo ipſi, ſi fas eſt dicere, inuidens, quod priùs inter bella, atq; timores ei cecinit conuenire, illud idem, in pace conſtituta, Diabolo potiùs, quã Deo aſcribere proculdubio ſtuderet, ſi poſſet. Meum non eſt hoc, quod dixi, ſed Carthuſiani, *O quanta amẽtia* (ob ſtuporem clamãtis, atq; dicẽtis) *quàm infinita ſtultitia opera ſummi omnipotentis Dei, tàm præclara, & antea nunquàm viſa aſcribere Idolo*: Sed, ne quæſo miretis, ſi hæc, aliaq; multa ab inuidia procedant, cum ipſa, vt Alanus ait, ſit *cæcitatis abyſſus, humanę mentis Infernus*.

*Carthuſ.*

Vt etiam Deo debitã diabolo aſcriberent, vitulum adorabant.

*Alanus.*

## Si in digito Dei eijcio Dæmonia, profectò peruenit in vos Regnum Dei. Lucæ 11.

### §. II.

*Inter maiora honorum culmina, laudumque præconia ſemper Chriſti Domini fulſit humilitas.*

1 VErbum illud, in quo Petrus retia mittendo: *In verbo autem tuo laxabo rete* Luc. c. 5. magnam piſciũ concluſit copiam. Quod Centurio in famuli ſalutem implorando: *Tantũ dic verbo, & ſanabitur puer meus*. Matt. 8. perfectæ reſtituit ſanitati. Quo & cęli firmati ſunt, iuxtà illud Dauidis. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt*. Pſal. 32. Et omnia tàm viſibilia, quàm inuiſibilia creata deſcribuntur, dicente Sap. cap. 9. *Feciſti omnia verbo tuo*. Et pòſt ipſam Ioanne: *Omnia per ipſum facta ſunt*: cap. 1. nunc Dæmonis expulſionem non ſibi, ſed Spiritui Sancto aſcribit, quùm dicit: *Porrò ſi in digito Dei eijcio dæmonia*. Quod idẽ ſonat iuxtà Carthuſian. expoſitionem, ac *Poteſtate, & operatione Spiritus Sancti eijcio Dæmonia*. artic. 30. Si Spiritus Sanctus ſine Verbo & Patre nihil ad extra

*Luc. ep. 5.*

*Matth. c. 8.*

*Pſal. 32.*

*Sap. c. 9.*

*Ioan. c. 1.*

*Charthuſ.*

operari poteſt, cùm in eis vna ſit Deitas, vna voluntas, ex quo originem ducit illa communis Theologorum aſſertio, quòd opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, quomodò operationis iſtius, quæ fieri nequibat, niſi à tribus, non totam beatiſſimam Triadem, ſed Spiritum Sanctum auctorem appellat? *Porrò ſi in digito Dei eijcio Dæmonia*: Si p hoc diuiniſſimum hunc digitum Patri ac Filio æqualem eiuſdemq́ue ſubſtantiæ, atque virtutis oſtendere intendebat: Vnde Cyrillus in Catena citatus. *Spiritus Sanctus dicitur digitus Dei, Filius enim manus, & brachium Patris dictus eſt, operatur cum Patre cuncta per eum, ſicut igitur digitus non eſt alienus à manu, ſed ei naturalitèr inſitus, ſic Spiritus Sãctus conſubſtantialitèr connexus eſt Filio, & per eum omnia Filius operatur*, Patri etiam & ſibi opus hoc tribuere debebat, non Spiritui Sancto ſolummodò, dicendo: *Porrò ſi in digito Dei eijcio Dæmonia*. Sed ò magnum myſterium, diuinum certè ſacramentum, vt inter honorum culmina humilitatis Magiſter humilitatẽ ſeruaret, atque doceret, ſerui formam obijciens ſecundùm eam Spiritu Sancto minorem ſe vocat! *Ad præſens autem* (ait D. Athanaſius in catena relatus) *non renuit Dominus gratia ſua humanitatis, dicere ſe minorem Spiritu Sancto, dicens ſe in eo Dæmones eijcere, quaſi non ſufficiente humana natura ad Dæmonum expulſionem, niſi virtute Spiritus Sancti*. Magnum planè humilitatis exemplũ, dùm nō brachij declaratur potentia, iuxtà illud Lucæ cap. 1. *Fecit potentiam in brachio ſuo*; qua digito æquale, ac cōſubſtantiale eſt brachium, ſed humanitatis obijcitur infirmitas, ſecundùm quam manus minor eſt digito. Vndè Carthuſianus ſuper prefatum locum. art. 30. *Filius Dei hic aſſerit ſe Spiritu Sancto minorem quòad ſuam humanitatẽ, quoniã Sãcti Spiritus poteſtate ſua humanitas operatur miracula*. Ex quo quãtã humilitatem inter honorum culmina ſeruaret hic Dominus, oſtendam.

*D. Cyrillus.*

Dæmonia cur in digito Dei eiicĩ dicantur.

*D. Athan.*

*Luc. c. 1.*

*Carthuſ.*

Chriſti humilitas maxima.

2 Quanta fuerit Chriſti Domini humilitas, agnouerunt Sancti Patres, qui pòſt multam verborum luculentiã, ſcriptorum varietatem, & temporis conſumptionem; tandem nihil ſe dixiſſe putantes, ſemper eam nouis car-

minibus declarare ſtuduerunt. Vndè Bernardinus Senēſis, cùm in varijs locis permulta de ea dixiſſet, locum cōſiderans illum: *Verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram:* Ioan. 1. hunc ait in modum *Chriſtus in vtero Virginis carnem aſſumpſit tanta breuitate circumamictus eſt, vt ſi iam conceptus in Virgine poſitus fuiſſet ſuper papirum, vel palmam manus, vix eum humanus oculus percepiſſet, licèt Diuinitùs, & anima, & corpore, atq; omnibus interioribus, & exterioribus membris, & lineamentis perfectè completus eſſet* 1 tom. 1. ſerm. 20. Fer. 3. poſt ſecundam Dominicam in quadrag. ar. 1. c. 7. Et Chryſoſtomus tanti Domini Matris paupertatem, & loci, in quo naſci voluit humilitatem perpendens, ait: *Propterea nec domum quidem poſſedit. Filius, inquit, hominis non habet vbi caput reclinet, & natus in præſepio collocatur, & in diuerſorio manet, & Matrem elegit pauperem, ab ipſis omnino principijs vniuerſam mundi pompam, omnem ſuperbiam, atque arrogantiam calcans ſolius nos ſectatores præcepit eſſe virtutis.* hom. 9. in cap. Matth. 2. et hom. 16. in cap. Matth. 5. propterea antè Lazari reſurrectionem ipſum oraſſe aſſerit, vt ſublimia humilibus miſceret. *Non igitur quaſi infirmus agit aliquid, aut quaſi quæ ipſe non poſſit, ſed excelſa humilibus, & rurſus excelſis humilia permiſcet.* Et hom. 69. ex cap. Ioan. 13. verba explicans illa: *Surgens à cœna, deponit veſtimenta ſua.* Ioa. 13. *Conſidera quomodo nō lauando tantùm, ſed & aliter humilitatem oſtendit. Non enim priuſquàm diſcumberent, ſed pòſt omnium diſcubitum ſurgit à cœna, indè non ſimpliciter lauat, ſed ponit veſtimenta, ac etiam linteo ſe præcinxit. Neq; his contentus, ipſe peluim impleuit, ipſe nemine iuſſo omnia fecit:* & ſuper cap. 12. ad Romanos. homil. 21. Saluatoris verba ad proditorem directa. *Iuda oſculo Filium hominis tradis,* per quæ non Dominum, nec Deum, ſed hominem ſe vocat, conſiderans ait: *Neque dixit Præceptorem tuum, nec Dominum tuum, ſed filium hominis:* & paucis interiectis: *Benedictus,* (proclamat) *ſis Domine, quātæ humilitatis, quantæ nobis patientię exemplum dediſti:* Prætermitto Bernardum multa de re hac dicentem, & præcipuè ſerm.

*Ioan. c. 1.*

*Bernardin. Senenſis.*

Ab ipſo in carnationis exordio humiliare ſe cæpit.

*Chryſoſt.*

*Idem*

Excelſis humilia per miſcet.

*Ioan. c. 13.*

11. in Cantica, vbi hæc habet: *Non enim ſimplex, aut modica illa exinanitio fuit, ſed ſemetipſum exinaniuit vſque ad carnem, ad mortem, ad crucem, quis dignè cogitare poterit quantæ fuerit humilitatis:* Nec immoror iis, quæ ſatis luculenter de hac humilitate pluribus in locis dixit Gregorius, & præcipuè lib. 34. moralium in caput Iob 41. cap. 18. & 3. parte paſtoralis cap. 1. admonit. 18. vbi Chriſti humilitatem contra Luciferi ſuperbiam pugnantē, eamq; confundētem his verbis extollit: *Occaſio perditionis noſtræ facta eſt ſuperbia Diaboli, & argumentum Redemptionis noſtrę inuenta eſt humilitas Dei. Hoſtis enim noſter inter omnia conditus, voluit videri ſupra omnia elatus: Redemptor autem noſter magnus manens ſuper omnia, fieri inter omnia dignatus eſt paruus.* Vndè iure optimo nunc nubeculæ paruæ comparari ſolet, iuxta illud 3. Reg. cap. 18. *Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de terra:* quia cùm in ſuis magnus eſſet, in noſtris paruus fieri non eſt dedignatus, vt benè notauit Richardus de S. Laurentio lib. 12. de laudibus Virginis his verbis: *In hoc autem quod caro Chriſti dicitur nubecula parua, notatur duplex humilitas exterior, & interior.* Nunc hyſſopo de pariete egredienti, de qua diſputauit vetus Salomon, incipiens à Cedro Diuinitatem figurante, & ad hyſſopum, hoc eſt, ad humanitatis humilitatem deſcēdēs, aſſimilari cōſueuit: Sic Angelom. Monach. verba interpretatur illa: *Diſputauit autē Salomon à cedro vſque ad hyſſopum,* 3. Reg. cap. 4. *Cedri nomine celſitudo glorię intellectus accipitur: Vndè Propheta teſtatur dicens: Iuſtus vt palma florebit, & ſicut Cedrus, quę in libano eſt, multiplicabitur: hyſſopus autem herba eſt humilis, ſaxo hęrens, qua ſignatur humilitas Chriſti: Redemptor quippè noſter à cedro vſque ad hyſſopum diſputauit, quia ab alta excellentia gloriæ cœleſtis vſq; ad carnis humilitatem deſcendendo, peruenit.* hactenus ipſe ſuper citatum locum 3. Reg.

*Bernardus*

Seipſum exinaniuit.

*Gregor.*

3. Reg. c. 18

*Richardus de S. Laur.*

*Angelomus Monacus*

3. Reg. c. 4. A Cedro vſque ad hyſſopū diſputauit quandò humanæ naturæ terminauit dependentiam

3 Nos autem locum illum: *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Ioann. 1. maturiùs trutinemus, nam ſicuti per teſtem hūc Ioannem Baptiſtam ſignificari nulli

*Ioan. c. 1.*

pror-

Digitized by Google

prorſùs dubium eſt, cùm ab Euangeliſta explicitè declaretur; ſic inter ſacros Scriptores modica non eſt controuerſia; quodnàm fuerit hoc teſtimonium, quod de luce reddidit Ioannes, ſi lux ſui ipſius manifeſtatiua eſt, nec indiget teſtimonio, quomodò de luce teſtari poterat lucerna? & quamuis multi aſſerant Ioannem de luce, hoc eſt, de Chriſto teſtimonium reddidiſſe, non quòd Chriſtus tali declaratione indigeret; ſed quia mundus cùm penitùs carnalis eſſet, cœleſtem Chriſti doctrinam difficilè capere poterat, iuxtà illud. *Animalis autem homo non percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei* 1. Chorinth. 2. propterea neceſse fuit, vt per Ioannis prædicationem, vitam, atq; doctrinam diſponerētur mūdani. Ità inter cęteros Carthuſian. ar. 4. in idem: *Miſſus eſt ergo Ioannes ante Chriſtū, vt homines ad Chriſti ſuſceptionem aptaret docēdo, baptizando, orando; erat enim teſtis idoneus propter vitæ ſanctitatē. Neceſſaria verò fuit Iudæis præparatio iſta; nam cùm rudes fuerint immediatè capaces non erant ſupernaturalium, atq; cœleſtium documentorum Chriſti, ſed pedetentim inducendi erāt, ad ſublimiora. Ioannes ergo inducendo eos ad peccatorum cōfeſſionem, baptiſmi receptionē, dicendo: Appropinquabit Regnum Cęlorū, cœpit eos à terrenis abſtrahere, ac ad ſupernorum amorem accendere, ac per hoc ad Chriſti legem, & fidem aptare.* Alios tamen ſenſiſſe nō ignoro Ioannem de Chriſti excellentia teſtimonium reddidiſſe, ſine quo haud facilè durę ceruicis populus eum recepiſſet. Sic Cardinalis Vgo: *Vt teſtimonium perhiberet de lumine, ideſt, de Chriſto nato de Virgine, ſicut radius naſcitur à Sole ſine aliqua eius corruptione, vel diminutione; teſtimonium igitur, non propter Chriſti indigentiā, ſed propter populi infirmitatem neceſſariū fuit, quia populus alitèr non recepiſſet Chriſtum.* Quæ fuit Auguſtini, Origenis, Lyrani, Alberti Magni, Gorrani, & aliorū ſententia: verùm, quod ego hac in re noto, eſt: quòd etſi Chriſtus propter ſe hominum teſtimonio non indigeret, iuxtà illud: *Ego autem nō ab homine teſtimonium accipio:* Ioann. 5. et paulò infra. *Ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne:* tamē ob populi duritiem hominum teſtimonio ſe ſubijcere voluit:

*1. Chorint. c. 2.*

*Carthuſ.* Idoneus incarnati Verbi teſtis Baptiſta.

*Vgo Card.*

*Auguſt. Origen. Lyran. Albert. Mag. Gorran. Ioan. c. 5.*

Sed cur bone Ieſu, quod per cauſam ſecundam efficis, à te ſolo non facis? Cur vocem illam paternam, quæ in monte intonuit: *Hic eſt filius meus dilectus.* Matth. 17. inter turbas perſonare non facis? Cur non à Spiritu Sancto, qui eſt teſtis fidelis, clarum accipis teſtimonium, quòd Ioannis vteris declaratione? An fortè in ordine ad populum humano potiùs, quàm Diuino te ſubijcis teſtimonio, vt ſic, vel ſaltem qua polleas humilitate declares? Ità Chryſoſtomus hom. 5. ex cap. Ioann. 1. in ipſius perſona, dùm dicit: *Deus ego ſum, ac Dei vnigenitus Filius, & ſupernæ, & immortalis ſubſtantiæ, nulliuſque indigeo teſtimonio, & quamuis nemo hoc profiteretur, nihil propterea natura mea ſit minor, nihil deterior: ſed cùm mortaliū ſalus mihi curæ eſſet, in hanc deſcendi humilitatem, vt hominis teſtimonio me ſubijcerem.* Optabat equidèm, optabat nō parùm Altiſſimus Dominus humilitatem oſtendere, propterea non à Patre, nec à Spiritu Sancto in ordine ad Hæbraicæ gentis pertinaciam, teſtimoniū deſumere voluit, ſed ab homine, ut nedùm hominem, ſed cunctorum hominum ſe minimum oſtenderet.

*Matt. c. 17.*

*Chryſoſt.* Cur nō Patris, nec Spiritus ſancti, ſed hominis vtitur teſtimonio ſaluator.

4 Quam humilitatem, non in terra tantùm ſemper ſeruauit, atq; oſtendit ſublimis hic Deus, vt ex parabola illa Regis dimittentis debitum, colligi poteſt, in qua non ſe adoratum, vt quidèm ſeruus fecerat; *Procidens autem ſeruus ille, adorabat eum.* Matth. 18. ſed vt humilitatem ſeruaret, rogatum aſſerit. *Nōne omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me:* ibi: *Vide autem:* ait Origenes hom. 7. in Matth. *humilitatem Regis, quoniam aliud quidem fecit debitor multorum talentorum, aliud autem nominatus Rex, debitor ille procidens adorauit eum, Dominus autem eius & Rex vocans eum, non dixit omne debitum dimiſi tibi, quoniam adoraſti me, ſed quoniam rogaſti me.* Et ex illo Ioannis. 7. *Vnum opus feci, & omnes miramini:* in quo, vt benè obſeruat Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem cap. 48. nedùm reliqua tacet miracula, ſed hoc etiā, opus vocat, non miraculum: præfatus Cyrillus. *Mirabilem enim Iudæis rem, quam in Sabbato fecerat, narrans, non dixit: curaui hominem; ſed ſummiſſiùs quid protulit, dicens: vnum*

*Matt. c. 18.*

*Origenes.*

*Ioan. c. 7.*

*Cyrillus.* Vnum opus feciſſe, quomodo intelligendum.

opus

Digitized by Google

*opus feci; humili ergo animum, mitique ſermone vtitur.* Et ex eo, quod ſummo Sacerdoti interroganti; *Tu es Chriſtus*

Marc.c.14.

*Filius Dei Benedicti?* Marc.14. reſpondit: *Videbitis Filium hominis ſedentem in dextris virtutis Dei:* ibi. quia, vt humilitatem præferret, non ſublimia, ſed infima, non æterna, ſed temporalia, nõ Deitatem, ſed humanitatem obiecit:

Gorranus. Inferiores noſtri generis haud dedignari debemus.

Ita Gorranus. *Hoc fecit ad informandam humilitatem noſtram, vt non erubeſcamus inferiores noſtri generis, ipſe enim cùm duplex genus haberet, vnum ex parte Patris, aliud ex parte Matris, vtpotè inferioris, Filium hominis ſe vocauit:* ſed in Cęlis etiã vbi enim Angeli adorant, Aſtra matutina laudant, & Filij Dei iubilant, ibi magna humilitatis oſtendere argumẽta minimè eſt dedignatus: pro qua re quæſtionem illam à Sanctis Patribus motam: quiſnam paruulus ille fuerit, quem Saluator in medio Diſcipulorũ altercãtium ſtatuit, dicente Matthęo.

Matt.c.18.

cap.18. *Aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eorum*, adduco: & licèt Toſtatus, qui quæſt.11. ſuper idem hanc mouet quæſtionem contra Chryſoſtomum, & Hieronymum, paruulum iſtũ ipſum Chriſtum fuiſſe aſſerentes: quorum primus homil.59. in Matth. dicit:

D.Chryſoſt.

*Mihi videtur valdè paruulum in medio ſtatuere à paſſionibus omnibus erutum, & ſpecialitèr vocatur Paruulus propter humili-*

D. Hieron.

*tatem.* Secundus verò; *Vel certè paruulum ſtatuit in medio eorum ſe ipſum, qui non miniſtrari venerat, ſed miniſtrare, vt eis humilitatis tribueret exemplum:* alium paruulum fuiſſe multis rationibus probare nitatur. Mihi tamen opiniones ſi conciliare liceret, vtramq; veram eſſe aſſererem, & quòd paruulus iſte Chriſtus eſſet, & quod Chriſtus non eſſet: in perſona Chriſtus non erat: tùm quia

Matt.c.18.

de paruulo iſto dicitur: *Aduocans Ieſus paruulum;* & ipſe ſe vocare nõ poterat, ſed alium: tùm etiam, quia ſi puerum iſtum ſtatuit, id eſt, poſuit in medio illorum, hoc ad ſeipſum pertinere non poterat, ſed diſtinctionem ſignificat: in perſona ergo Chriſtus non erat, vt benè etiam ex Marco. *Accipiens puerum,*

Toſtatus.

*ſtatuit eum in medio eorum, quem cùm complexus eſſet.* cap.9. colligit præfatus Toſtatus; cum hæc dicendo Saluator ſeipſum minimè amplexaretur. Vndè Carthuſianus in idem ar.32.

Carthuſ.

*Quidam per paruulum iſtum, quem Ieſus ſtatuit inter Diſcipulos, intelligunt ipſummet Chriſtum. Sed hoc ad literam ſtare nõ poteſt, cùm de paruulo iſto ſcriptũ ſit apud Marcum, quem cùm amplexus eſſet Ieſus. Certum eſt autem, quòd non amplexabatur ſeipſum.* Et tamen Chriſtus erat in figura; quia ſi iſte à Matthæo paruulus vocatus, à Marco, & Luca puer deſcribitur. *Accipiẽs puerum.* cap.9. Chriſtus

Luc.c.9.

& puer, & puer paruulus vocari voluit, qui homines belluas ob peccatum effectos, ad verum ſtabulum ſpiritualis refectionis ducere debebat, iuxtà illud

Iſai.c.11.

Iſaiæ. *Habitabit lupus cum agno: et pardus cum hædo accubabit: vitulus & Leo & ouis, ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* cap.11. Itaq; iſte paruulus puer, & ſi in perſona Chriſtus non eſſet, in figura tamen Chriſtus erat. Vlteriùs poſteà ſi quæratur: quo peculiari tempore Chriſtũ figurabat? Reſpondet Bernardus, quòd in Natiuitate quidem; quando & ætate puerum, & humilitate paruulum ſe oſtendere voluit, vt cecinit Iſaias cap.9. *Paruulus*

Iſai.c.9.

*enim natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis.* Sed valdè paruulum ſe in Cœlis declarauit, quando in creationis exordio futuram incarnationem Angelis reuelauit, tunc Pater Æternus in medio Angelorum paruulum ſtatuit, eumq; vt humilitatis exemplum Angelis tùc viatoribus oſtendit; quam ſummæ humilitatis normã, quia ſequi renuerunt nonnulli, fortè dictum eſt eis: quia vos ad paruuli iſtius ſimilitudinem humiliari noluiſtis, non intrabitis in Regnũ cœlorum. Dictis aſtipulatur præfatus

Bernard. Paruulus in diſcipulorũ medio cõſtitutus, Chriſtum inter Angelos figurabat.

Bernardus homil.3. ſuper miſſus eſt. *Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. Nobis, inquam, non ſibi, qui vtiq; ante tempora multò nobiliùs natus ex Patre, naſci temporalitèr non indigebat ex Matre. Non Angelis quoq; qui cùm magnum haberent, paruulum nõ requirebant. Nobis ergo natus, nobis datus, qui nobis neceſſarius:* & paulò infrà: *Ecce paruulus in medio ſtatuitur. O paruulus paruulis deſideratus:* hæc Bernardus. cuius præcipuè ſi notabis illa: *Non Angelis quoq; qui cùm magnum haberent, paruulum non requirebant:* ſatis apertè videbis, quòd Altiſſimus hic Dominus, priùs in Cœlis, quã

in

in terris humiliare ſe voluit, quam Chriſti humilitatem clariùs declarat

*Bernard. de Senis.*

Bernardinus Senenſis verbis illis. *Quã primùm Deus creauit Angelos, ipſis tunc exiſtentibus viatoribus, & in libera volũtate, fecit primam legem, quæ eſt: quòd qui ſe exaltabit humiliabitur, & qui ſe humiliabit, exaltabitur: & voluit ſeipſum humiliare dicendo: O Angeli ego propter meam humilitatem profundam carnem ſumere volo, qui poſteà cùm Dauid dicam; ego ſum vermis, & non homo:* ſic ipſe tom. 3. ſerm. 37. fer. 5. pòſt quintam Dominicam Quadrageſimæ 1. par. principali: Nos autem quid de hac humilitate dicemus, quæ magis in cęlis, quàm in terris, priùs inter Angelos, quàm inter homines claruit, nil aliud ſanè, niſi quòd nedùm paruulum, ſed valdè paruulum ſe ſemper oſtendit.

Humillimus Dominus & in Cęlis ſũmam oſtendit humilitatem.

5 Modò pręfata, nempè nõ in terra tantùm, ſed in cœlo etiam humilitatem oſtendiſſe Saluatorem, mirè fulcit illud, quod ſeruis vigilantibus ipſemet promiſit, cùm ait: *Beati ſerui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes: Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Lucæ 12. quia his verbis ſi benè aduertis, quamuis ſe Dominum vocet, diſcumbentibus tamen ſe miniſtraturum promittit: *Tranſiens miniſtrabit illis:* Sed vbi, ò Domine, conuiuium hoc parabitur? Vbi ſerui iſti diſcumbent, in terrane, an in cœlis? Si in cęlis dicis, cùm in terris ieiunandum iniungas, non conuiuandum; ergo ibi etiam ſeruis ſeruies, et humilibus miniſtrabis? Ità ſanè ait Chryſologus ſer. 24. vt in ipſa etiam cęleſti beatitudine humilitatem pręferat, non tantùm in terra miniſtrare voluit, non miniſtrari; ſed in Paradiſo etiã id ipſum facere nõ dedignabitur: citatus Chryſologus. *Diſcumbenti homini Deus aſtat, & aſtat in cœleſtibus, epulanti ſeruo ſeruit Dominus, & ſeruit accinctus: pueris ſuis, miniſtris ſuis miniſterium facit Chriſtus: & facit in Patris iam gloria conſtitutus. Qui in terra lauando pedes, extremum repræſentauit obſequium, & repromittit in cœleſtibus nouiſſim in ſeruitutem.* Magnus planè humilitatis exceſſus, quem nec creatus intellectus capere, nec lingua exprimere valet.

*Luc. c. 12.*

*Chryſol.*

Angelorum ſtipatus agminibus ſeruire non dedignabitur.

6 Compertum itaquè maneat ex his, quæ adhuc diſſeruimus; Chriſti humilitatem omnem humanam ſuperare intelligentiam: at cur tot, tantoſq́; humilitatis exceſſus oſtendere vellet, proprio explanat ore, dùm dicit: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & benè dicitis: ſum etenim. Si ergo ego laui pedes veſtros, Dominus, & Magiſter: & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Ioann. 3. vt inferioribus miniſtrare, ſubditis ſeruire, & minorum minores nos oſtẽdere percipiamus, talia humilitatis tradidit magiſteria. Huius opinionis fuit Rupertus Holchot, cùm in prologo ſuper ſapientiam, dixit: *Oportet, quod ſiuè doctor, ſiuè diſcipulus humilitèr ſentiat de ſeipſo, iuxtà principalis Magiſtri exemplũ. Vos uocatis, &c. Exemplum enim dedit Magiſter in ſeipſo, reprimens inflationem, & ad alios indignationem; eò quòd ſcientia inflat, ſi charitas non aſſiſtat. Vndè Bernardus ſuper Cant. ſerm. 41. Væ qui benè de Deo loqui acceperunt; ſi conuertant ad inanem gloriam, quod ad lucrum Dei acceperunt erogandum, ſi alta ſapientes humilibus non conſentiant. Paueant illud, quod in Propheta legitur, dicente Domino: Dedi eis aurum, & argentum, ipſi autem de auro meo operati ſunt Baal.* Audiant paruuli, intelligant ſimul & magni; ſi ille, cui trementes aſſiſtunt Angeli, reuerentèr miniſtrant cęleſtes Spiritus, & antè cuius pedes primi ſupernæ Curię Principes ſe proijciunt, inſtar ſerui, linteo præcinctus pauperum Diſcipulorum pedes tergit, & lauat, ſuperbire quomodò poterit vilis homũcio? Iure optimo concluſit ipſe Magiſter. *Si ergo ego laui pedes ueſtros Dominus, & Magiſter: & uos debetis alter alterius lauare pedes.* Sectentur Magiſtri doctrinã Diſcipuli, & quod facit Dominus, efficere non dedignentur famuli.

*Ioan. c. 13.*

*Rupertus Holchot.*

Humilitatis Magiſter.

*Ioan. c. 13.*

6 Ex his, alijſq́; humilitatis exemplis, quę clàm, atq; palàm oſtendit ſemper cœleſtis Magiſter, edocti diſcipuli in vita, & in morte: in mundo, & in cœlo faſtum fugere, tumorem reprimere, & humilitatem ſectari nouerunt: de qua re, reliquos vt omittam, de quodam viro Conſtantio dicto, refert

fert Gregorius in lib. dialog. qui cùm ab omnibus, vt Sanctus veneraretur, ex eo quia olei loco aquam lampadibus infundendo, ipſas ardere fecerat, & ſplendeſcere, cùm à quodam ruſtico, qui ad eius opinionis famam de longinquo cucurrerat, deſpiceretur, & nec Sanctus, nec homo vocaretur, eum ſtrictis brachijs amplexando, pluſquã veridicum appellauit; dùm quòd alij non agnouerant, agnoſcebat. Rem diſtinctè deſcribit Bernardinus ſen. tom. 3. ſer. 5. pòſt Primam Dominicam Quadrageſimæ ſer. 9. his verbis *Gregorius in libro Dialog. narrat quendam fuiſſe Ancona, nomine Cõſtantiũ, qui in Eccleſia Sancti Stephani eiuſdem Ciuitatis menſionary functus officio ſeruiebat: cuius Sanctitatis opinio ſe ſe ad notitiam hominum dilatauerat: nam quadam die cùm in lampadibus oleum deeſſet, ipſas lampades impleuit aqua, quæ arſit vt oleum: magna ſanctitas mutat naturam elementorum, ſed maior fuit ex humilitate; nam cùm quidã ruſticus de longinquo ad eum veniſſet cauſa videndi, inuenit eum lampades reficere, erat autem pauper, & deſpectus: at ille interrogando quis eſſet, didicit eum eſſe, qui lampades reficeret, qui deſpiciens eum dixit: ego grandem hominem credidi, iſte autem de homine nihil habet, quem vt Conſtantius audiuit, mox lampades deſerens, in amplexum eius venit, & deoſculans eum dixit: tu ſolus in me oculos apertos habuiſti;* Ecce quomodo ab illo, qui dicere ſolebat: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Matth. 11. edocti iuſti inter honorum culmina ima petunt. Nec vacat miſterio, quod virgulæ aſcendenti comparari ſoleant, iuxta illud: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut virgula fumi.* Cant. 3. Quia etiam corpore ſoluti, etiam dùm cœleſtia petunt, immò in ipſo etiam cœlo, virgulę & puluer, ob humilitatem comparari deſiderant. Vnde Cardinalis Vgo. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris Pigmentarij, ideſt, perfectę, & integrę humilitatis Christi; qui dicitur Pigmentarius perfectæ humilitatis, quia docuit nos omnem gradum humilitatis, & exemplo, & verbo.* De qua cùm alij alia dicant, allata ſufficiant.

*Greg. Mag.*

*Bernard. Senenſ. ex Gregor.*

Ab ipſo multi edocti; & in terra, & in Cœlo ſe humiliare didicerunt.

*Matt. c. 11.*

*Cantic. c. 3.*

*Vgo Card.*

Sancti etiam pòſt mortẽ, imò in ipſa cœleſti beatitudine humillimi

## Cùm immundus Spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa quærens requiẽ. Luc. 11.

### §. III.

*Fœda adeò, & horrenda peccati eſt facies, quòd Deo nedùm deteſtabilis eſt; verùm etiam ipſimet Diabolo faſtidium quandoq; parit, & nauſeam.*

1 QVisquis Diaboli cogitationes noſcit & vota, non poteſt non mirari, cur ille, qui extrà hominem exulare ſe putat (vt benè nouit Brugenſis ſuper illud. *Quærens requiem, & non inueniens*, quùm ait: *quocunque pergat, omnis illi extra hominem habitatio ingrata eſt, & tanquã triſte exilium, ac ſqualido deſerto ſimile;* Ex quo laboribus non parcit, vt in illũ ingredi poſſit, ſicut idem obſeruauit Brugenſis, explanans verba illa ipſius Dæmonis: *Reuertar in domum meam, vndè exiui:* Vbi ſic habet: *Ingenium, ſtudiumque Satanæ nobis deſcribitur, quòd numquàm ceſſet à noxis, nunquàm quieſcere, aut à malo inferendo queat abſtinere, ſed aſſiduè ſatagat, ſeque huc atq; illuc verſet, denique ſuos omnes intendat conatus, & ſenſus exciter, vt domicilium recuperet, quo pulſus eſt)* de domo illa, quã tantis ſtudijs, tantiſque acquiſierat laboribus, vltrò, nulloque cogente egrediatur quandoque. *Cùm immundus ſpiritus exierit de homine.* Matth. 12. & licèt ſit communis Sanctorum Patrum opinio, quòd per hunc exitum expulſio intelligi debeat. Vndè inter cæteros Euthymius: *Domum ſuam vocat hominem*

*Matt. c. 12.*
*Brugenſ.*

*Ibidem.*

Immundus ſpiritus cur ab homine exit.

*Matt. c. 12.*

*Euthymius.*

*minem à quo egreſſus eſt, nolens, ſed iuſſu diuino*. Crediderim tamen adeò fœdam & horrendam peccati faciem eſſe, iuxtà illud, quod de Præcurſoris oculis, & de Herodis luxuria Diuus obſeruauit Ambroſius lib. 3. de Virginibus,

*Ambr.*

quùm ait: *Claudantur lumina, non tàm mortis neceſſitate, quàm horrore luxuriæ*: vt ipſemet Diabolus, qui noſtris ſummopetè recreatur ruinis, illam diutiùs ſuſtinere non valens, domum, quam ſuam vocabat, quam ſtudiis laboribuſque acquiſierat non paruis, nauſea affectus quandòq; vt fœtidã cloacã reliquerit, quod aliquantulùm Calliſtus tetigit Placentinus. ſer. 4. quatuor temporum, enarratione decima hiſcè verbis: *Nec ipſe in ſe impiiſſimo quieſcet vnquam, nec in turpiſſimo corde ſibi ſubiecto*:

Peccator diabolo etiã inuiſus quandoque

quod de Diabolo dicere, ſi licèt, de Deo ſufficientèr dicere quis poterit, quàm ei odioſus, & execrabilis ſit peccati aſpectus? Expreſſit tamen aliqualitèr hoc ipſe per Iſaiam cap. 1. quùm

*Iſai.c.1.*

ait: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarũ ab oculis meis*;

Peccati fœditatẽ Deus odit.

ac ſi diceret: peccati turpitudinem tãto proſequor odio, peccati fœditas tàm odioſa eſt mihi & moleſta, vt cùm illam ſuſtinere non valeam, vſquequò è meo non auferatur conſpectu, clamare non ceſſo: *Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis*. Ad cuius argumenti probationem nõ parùm faciunt, quæ ſequuntur.

2 Non ex paucis Sacræ Scripturæ locis, quàm Deo ſit inuiſum peccatũ, quàmq; eius aſpectus odioſus ſit illi, oſtendi facilè poteſt: & præcipuè ex illo Pſalm. 118.

*Pſal. 118.*

*Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum*. Et Pſal. 35. *Inueniatur iniquitas eius ad odium*,

*Pſal. 35.*

Et ibidem. *Omnem viam iniquam odio habui*. Et Eccleſ. 11.

*Eccleſ. 11.*

*Odio eſt Deo Impius, & impietas eius*. Et Iſaiæ 1. *Neomeniam, & ſabbatum, & feſtiuitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri: calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea: factæ ſunt mihi moleſtæ, laborans ſuſtinens*.

*Ioan.c.1.*

Maximè tamen hoc demonſtrari poteſt per ea, quæ iuſtus Iudex in ſupremo Iudicii die reprobis dicturus eſt:

*Matt.c.25.*

*Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ*. Matth. 25. Ex quibus verbis duæ mihi difficultates occurrunt, ex quarum ſolutionibus ſatis probatum remanebit, quod intendimus: eſt autem prima: ſi peccatum eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturas, ſi inſtar parietis creaturam à Deo diſiungit, iuxtà illud Iſaię 59. *Peccata veſtra diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum*; Si per ipſum

*Iſai.c.59.*

deniquè à Deo elongatur peccator, dicente Dauide. Pſal. 72. *Ecce: qui elongant ſe à te, peribunt*. Quòd in filio pro-

*Pſal. 72.*

digo figuratum videmus, qui à Patre diſcedens, abiit in regionem longinquam: ad quid reprobis à Deo dicetur:

*Matt.c.25.*

*Diſcedite à me maledicti*, ſi iàm per peccatum à Deo ſe multùm elongauerit?

Cur Iudex in iudicio prius iniquos abijciet, quam iuſtos uocabit

Secunda verò eſt: cur non priùs eis crimina obijciet, quàm criminoſos à ſe reiiciat? cur priùs non dicet: *eſuriui, et non dediſtis mihi manducare* &c. & poſteà: *diſcedite à me maledicti*, quòd ſententiam priùs pronunciare determinat, quàm notificare delicta? At difficultatum iſtarum ſolutionem attulit Imperfectus. homil. 54. in Matth. cùm ait: tam Deo execrabile eſſe peccatum, quòd vt in iudicio peccatores aſtantes intuebitur, ſtatim à ſe etiã corpore, quos mẽte, & ſpiritu abalienatos agnoſcet, diſcedere præcipiet: & tanta erit illos repellendi voluntas, ne illorum intueatur ſcelera, quòd primum verbum, quod prolaturus eſt, vt illos videbit, erit: *Diſcedite*: ac ſi nauſeans iàm illorum aſpectum tandiù ferre non poſſet, quandiù de commiſſis ſceleribus arguãtur.

*Imperf.*

Egregiè rem iſtam confirmat præfatus Imperfectus. *Deus qui in ſanctitate delectatur animarum, peccatrices animas aſpiciens, quaſi grauatus, non ſuffert. Tanquam ſi dicat eis: quaſi putredo, & ſpurcitia eſtis, nec tandiù vos ſuſtineo, quandiù ſtatis in iudicio meo*.

Peccatum Deus ferre non poteſt,

3 Verùm perſiſtendo in Iudicis verbis, vlteriùs quæro; cur iniquos redarguendo, omiſſa tantùm exprobrabit, non cõmmiſſa? cur apertè non dicet: diſcedite à me maledicti, qui tot adulteria, homicidia, furta, & ſacrilegia perpetraſtis, quòd omiſſa tantũ eis obijcere ſatis eſſe putabit? *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare &c.*

*Matt.c.25.*

Cui difficultati ſatisfacit Auguſtinus, cùm dicit: tàm Deo odioſum eſſe peccatum, quòd non ſolùm illius aſpe-

ctum ferre non valet; ſed nec nomen quidèm ſine nauſea pronunciare quodammodò poteſt: ex quo in iudicio, grauioribus omiſſis criminibus, omiſſiones tantùm, & has etiam (dicere ſi licet) inuitè obiicier, dicendo: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare?* Quæ præcitati Auguſtini ſubtilitas his verbis declaratur. *Ex his conſiderate fratres, non enim illis dicendum eſt: quia homicidia feciſtis, quia alienam ſubſtantiam rapuiſtis: ſed hoc ſolùm audituri ſunt: Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare. &c.* ſerm. 38. de Sanctis, ac ſi diceret: quàm Deo ſit execrabilis culpa, ex eo colligite, quia nè ſcelera nominare teneatur, maiora ſub ſilentio præterit, minora autem, alitèr cùm fieri nequeat, nominabit quidèm, ſed vt grauatus; ab iſtis etiam quò citiùs poterit, ſe expedier, dicendo: *Diſcedite à me maledicti, eſuriui, & non dediſtis mihi manducare.*

*Auguſt.*

Imó nec proferre

*Matt. c. 25.*

4 Se nunquid tantùm maiora crimina Deo eſſe inuiſa dicemus? nequaquàm ſanè: ſed ipſas etiam minimas labes ſine faſtidio (dicere ſi licet) videre non poteſt. Quod Petro pedum lotionem neganti ſignificare voluit, cùm ait: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Ioan. 13. Apertè, ni fallor, dicere volens: & ſi grauioribus criminibus pollutus non ſis ò Petre, ex quo te totum mundum appello, tamē mentis affectus per pedes ſignificatos; cùm in hac mortali vita ſemper aliquali puluere inficiantur, lauare debeo, ne minimas quidèm maculas intuear; quod ſi permittere nolueris, te potiùs è meo conſpectu proiiciam, quàm tuos defectus, & ſi non magnos, aſpiciam. Vndè Auctor de operibus Cardinalibus, ſub nomine Cypriani. ſerm. 2. in hunc modum loquutus eſt: *Paulatim myſterij huius declaratur neceſſitas, quam eruditio propoſita incuitabilem reddit, ſi cum Chriſto alitèr partem habere non poſſumus, niſi ipſe pedes noſtros abluat, lauet, tergat, & mundet:* ergo nec minimas ſordes, nec minimas labes, nec quantuncunq; patuos defectus aſpicere poteſt ille mundiſſimus, qui vt mundanos affectus purgaret, omnimodè diſcipulorum pedes lauare voluit.

*Ioan. c. 13.*

*Cyprian.*

Pedum lotio neceſſaria ei, qui cū Chriſto partem habere deſiderat.

5 Cauſa, ob quam tàm inſtantèr à Domino petebat Petrus, ut à ſe diſcederet, cùm antè eum flexis genibus in hunc modum loquebatur: *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine.* Lucæ 5. percipi haùd difficilè poteſt; nam etſi diuerſi diuerſas petitionis huius rationes aſſignent, dùm pręcipuè maximæ reuerentiæ Petri hoc aſcribunt nonnulli, qui aſſerunt; quòd ſicut ob magnam reuerentiam Domini acceſſum recuſabat Centurio, ſic ob eandē Petrus à ſe receſſum poſcebat. Cuius ſententiæ inter cęteros fuit Euthymius, qui dixit: *Magna illius reuerentia, ſuique correptione repreſſus, indignum ſe ſeducebat.* Alij autem propter humilitatem hoc autumant dictum: ſed (vt reliquos omittam) præſertim Ambroſius, lib. 3. de Virginibus hiſce verbis: *Vir ſapiens & grauis, in quo eſſet Eccleſiæ fundamentum, & magiſterium diſciplinæ, nihil vtilius eſſe proſpexit, quā nè ſecundantis operis extolleretur euentu; & ideò exi, inquit, à me Domine: non rogat, vt deſeratur; ſed ne infletur.* Quidam tandèm (nè in longum de re hac ſermonem protraham) nec ob reuerentiam, nec ob humilitatem primò hoc aſſerunt dictum, ſed ob timorem: quod colligunt ex verbis Saluatoris ad talem petitionem reſpōdentis: *Noli timere, ex hoc enim eris homines capiēs.* Vndè Toletus. annotat. 11. *Re vera negari non poteſt, quin ex reuerentia quadam agnoſcentis Chriſti dignitatem, & ex humilitate propriam ſentientis indigentiā, hac proceſſerit ſententia: tamen, nec reuerentia, nec humilitas cauſa proxima fuere, ſed timor & metus. Quod verba Saluatoris apertè indicant, cùm Simoni dixit: ne timeas.* Quid autem ex Chriſti præſentia timere poſſet Petrus, explicat idem Toletus, cùm ait: *Reſpondent quidam recentiores, timuiſſe Sanctiſſimi Chriſti præſentiam, nè ex eo, quod indignus homo, digniſſimum ſuſceperat hoſpitem, aliquid mali pateretur.* Nihilominùs ego ob timorem quidèm principalitèr à Petro hoc dictum agnoſco: ſed non tàm ob pœnę, quàm ob aliqualis culpæ timorem hæc ab ipſo dicta fuiſſe aſſerere cogor: quia, quàm Deo ſit infenſum peccatum, ſciebat Petrus; et propterea vt Dominum agnouit, ſuæ naturæ memor, clamare

*Luc. 5.*

*Euthymius.*

*Ambroſ.*

*Luc. c. 3.*

*Toletus.*

Petrus propriè naturæ memor à ſe Chriſtū exire rogabat

*Idem.*

cępit

cępit, et dicere: *exi à me, quia homo peccator ſum, Domine*. Nàm ſi in conſpectu tuo nullus viuens iuſtificatur, Luna etiam non ſplendet, & ſtellæ nō ſunt mundæ: immò ſi cęli ipſi non ſunt mundi in conſpectu tuo, quamuis diſcipulus, diſcipulorumq; primus, formido tamen, & paueo, ne mundiſſimis oculis aliqualitèr immūdus appareā. hoc Cyrillus, qui hanc mihi ſubtilitatem ſuggeſſit. *Timet Petrus, & trepidat, quia velut immundus, mundum non credit ſe poſſe ſuſcipere; acceperat enim à lege, diſtinguendum eſſe inter maculatum & ſanctum*: ſic ipſe in Catena citatus. Ex quo Petri timore, cui non colligere licebit, quàm Deo infenſa ſit peccati facies, cùm Petrus ipſe propriæ non oblitus naturæ, diuinis oculis moleſtū ſe putans, timeat, & dicat: *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine*.

*Cyrillus*

Deus immūdos apud mūdum manere non patitur.

*Luc.c.5.*

7 Nec ſolummodò peccati aſpectum ferre non poteſt Deus, ſed ipſam peccati vmbram videre nullatenùs poteſt: quod infructuoſę ficulneæ maledicendo oſtendere voluit, cùm ait: *Numquàm ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et areſacta eſt continuò ficulnea*. Matt. 21. quia vt Iſidorus Peluſiota in Gloſſa citatus ait: vetita arbor fici fuit; quod & multi alij antè ipſum ſenſerunt: & ideò Chriſtus illam videns, ei maledixit, & fructus ex ea vlteriùs naſci prohibuit: quia per illam Adæ ei repræſentabatur peccatum, & per illius fructus diuini præcepti figurabatur tranſgreſſio; propterea, vt peccati figuram, & vmbram vidit, illam ferre non valens, maledictionibus ſiccā reddit, ne eam, eiuſque fructus vlteriùs videret. Citatus Iſidorus. *A ſenioribus, atq; maioribus noſtris traditum eſt, arborem tranſgreſſionis Adæ ficum fuiſſe, ex cuius etiam folijs ſe ſe operuerunt, illi Chriſtus maledixit, ne ampliùs fructum peccati ex ſe proferret*. Ecce quomodò nec peccati vmbram videre poteſt ille, qui ſemper virtutem ſpectare deſiderat.

*Matt.c.21.*

Fici arbori cur à Chriſto maledictum ſit.

*Iſidorus Paluſiota.*

8 Cæterùm nec tantùm Deo eſt execrabilis culpa, ſed etiam ipſis peccatoribus tàm odioſa, vt eius turpitudinem, & fœditatem agnoſcentes, illam ampliùs nominare quacūque ex cauſa non audeant: quod viſum eſt in Petro, qui vt peccatum agnouit, pœnitentiæ ſe dedit, fleuit multùm; ſed peccatum non dixit, culpam non eſt confeſſus; Iſaiæ conſiliis: *Enarra, ſi quid habes, vt iuſtificeris*. cap. 43. non acquieuit; ſed ſatis eſſe putauit, quòd *egreſſus foras* (vt ait Lucas cap. 22.) *fleuit amarè*: at benè narrauit, qui fleuit, benè expreſſit, qui planxit, & optimè ſuam culpam confeſſus eſt, qui lacrymarum imbribus negationis maculas abluere ſtuduit: nec mirum, ſi oculis potiùs, quàm ore ſuum peccatum cōfiteri voluerit; quia iàm culpę agnoſcebat turpitudinem, & peccati intelligebat horrorem; ideò quod propter fœditatem, atq; horrorem proferre non audebat, lacrymis, vt potuit, ſtuduit emundare. Meum non eſt hoc, quod dico; ſed Ambroſij ſic aientis: *Petrus doluit, & fleuit, quia errauit, vt homo. Lacrymas eius lego, ſatisfactionem non lego. Lauant lacrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Et veniæ fletus conſulunt, & verecundiæ*. lib. 10. ſuper c. 22. Lucæ: aurea prorsùs verba, quæ quàm horrenda ſit peccati facies oſtendunt, & præcipuè illa: *Lauant lacrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Et veniæ fletus conſulunt, & verecūdiæ*. dùm peccator ipſe ob pudorem, atque horrorem peccatum nominare nō audebat: vndè oculis potiùs illud voluit confiteri, quàm ore; & lacrymis magis illius maculas expiare, quàm verbis.

Etiam peccatores peccati faciem horrent.

*Iſa.c.43.*

*Luc.22.*

*Ambroſ.*

Peccatum ob fœditatē pudor eſt nominare.

9 At quid de inſenſibilibus dicam? An fortè quia ipſa ratione carēt, quod contra rationem agitur, ſuſtinere facilè queunt, & quia peccati non agnoſcunt horrorem, peccatoris non horrent præſentiam? minimè quidem: nā ipſamet inſenſibilia, etſi peccatum non intelligant, & ſi culpæ fęditatem agnoſcere non poſſint, nihilominùs (dicere ſi liceret) dicerem quidèm, ipſa etiā ob peccati horrorem, eo modo quo poſſunt, peccatores à ſe expellere niti. Quæ veritas ſatis clarè explicatur à Matthæo cap. 27. vbi ait; in Saluatoris morte inter cętera ſigna, atque portenta, quæ tunc temporis acciderunt, etiam terram proprię ſtabilitatis oblitā, acritèr motam fuiſſe. *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt*: Cuius motionis, etſi à Sanctis Patribus mul-

Terra cur quandoque moueatur.

*Matt.c.27.*

multas noſcam aſſignari rationes: vna tamen Oleaſtri mihi ſupra modum arridet, & eſt: quòd ideò terra motibus quatiebatur inſolitis, quia inſolito crimine, et inaudito ſcelere fœdatos (ſi fas eſt dicere) horrens, à ſe repellere, eo modo quo poterat, conabatur: eius autem verba ex 3. cap. Numer. deſumpta, ſunt hæc: *Mirum non eſt, ſi Deus indignos euomat, quando & inſenſibile elementum impios ſuſtinere recuſat, & veluti ſordidos ex ſe repellit.* Quis nunc culpæ nō agnoſcet turpitudinem? quis peccati non confitebitur horrorem, cùm ipſa inſenſibilia peccatores à ſe repellere videat?

*Oleaſtr.*

Inſenſibilia peccatum odierunt.

9 Quod tandem in hac materia credi vix poteſt, eſt: Diabolum ipſum, qui omnium ſcelerum pater extitit, et inuentor, qui vitiis adeò delectatur, vt dicere conſueuerit Imperfectus. *Luxuria, fornicatio, voluptas, ſuperbia, auaritia, diſcordia, ornamenta Diaboli ſunt*, nauſeantem quandoquè vitia videre renuere: quod ſi quis mihi credere noluerit, Matthæo fidem præbeat, dicenti: *Simile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo: cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superſeminauit zizania in medio tritici, & abijt.* cap. 13. Quia ſi per agrum ſignificatur Eccleſia; per triticum, boni; per ſemen, prædicatio euangelica; per zizania, vitia: per inimicum hæc vltima ſuperſeminantem, Diabolus intelligi debet. Vndè inter multos alios Beda: *Diabolus fœditatem vitiorum ſuper ſemen bonæ voluntatis ſpargit.* Sed ſi benè aduertatur, ſparſo ſemine, illicò iniquus ſator diſcedit; quia Diabolus ipſe peccati faciem cōſiderans, horrens quandoque pòſt ſuggeſtionum ſemina, nè germinantia vitia inſpiciat, diſcedit, et fugit. Quod obſeruauit Chyſolog. ſerm. 96. conſiderans verbum illud, *Abijt*, quùm dicit: *Abijt: quia Diabolus impellit quidem viribus ad ruinam; ſed poſtquam proſtrauerit, derelinquit.* Ecce quomodò Diabolus ipſe peccati, ſi fas eſt dicere, quandoquè faciem horret, quam ex ſparſis tentationum ſeminibus oriri nè videat, omni qua poteſt celeritate, recedit.

*Imperfect.*

*Matt. c. 13.*

Diabolus ad peccatum inſtigat, & peccatum quandoque videre non audet

*Beda*

*Chryſoſt.*

Tentat, & deſerit

10 Facilè nunc intelligo, cur Diabolus non claris, et apertis verbis, ſed fucatis, tranſgreſſionem Euę ſuggerere voluerit. Cur non dixerit: ſumite, comedite, nequaquàm moriemini, quòd dicere maluit. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi? nequaquàm morte moriemini. Scit enim Deus &c.* Gen. 3. quia, vt ait Vgo à Sancto Vict. tantæ eſt turpitudinis culpa, tanti horroris nequitia, vt ipſemet Diabolus ſcelerum omnium Pater eam nominare ſolummodò, nonnunquàm erubeſcat. Vndè primi præcepti tranſgreſſionem, non apertis, ſed opertis verbis ſuggerere voluit, nè ipſam nominando pudore afficeretur non paruo. Citatus Vgo Annotat. in Gen. *Vide quanta eſt confuſio nequitiæ, ſtans coràm fœmina hoſtis ſuperbus ex ſola malitia cogitata, non dicta, confunditur.*

*Geneſ. c. 3*

*Vgo de S. Victore*

Dæmō ob fœditatem peccatū nominare non audet.

11 Tandèm mirabili dicto concludam, ſcilicèt, Infernum ipſum, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, in aliquorum ſceleſtorum aduentu, ob ſceleris magnitudinem, turpitudinem, atque horrorem, horrere aliquandò (vt ità dicam) et vlulare. Quod explicare voluit Iſaias, quùm ait: *Infernus ſubtùs conturbatus eſt in occurſum aduentus tui*. cap. 14. de cuius aduentu hic loquatur Propheta, nō multum immoror; cùm ſciam Nicolaum de Lyra de ſacrilego Baltaſſar hęc eſſe dicta teſtari, *Dicendum eſt, quòd referuntur ad Baltaſſar, qui in contemptum Dei fecit aſportari vaſa conſecrata Diuino cultui, & in eis bibit ipſe, Principes eius, vxores, & concubinæ.* Quod autem ſubtiliori indiget inquiſitione, eſt: quę ſit iſta conturbatio, de qua Propheta loquitur, quùm dicit: *Infernus ſubtùs conturbatus eſt in occurſum aduentus tui*: ſi turbari idem eſt, ac ex inopinato malo, atq; euentu triſtari, quid mali nouitèr accidere poterat illis, qui iàm omnibus ſuperabundant malis? quam nouam triſtitiam in infernalibus clauſtris incluſos ſacrilegus Rex afferre poterat, ſi Infernus omnibus triſtitijs repletus eſt? ſi, vt concludam, ſic Infernus aduētu malorum lætatur, vt neſciat dicere: ſufficit: quomodò in aduentu magni Regis triſtatur? Sed proh magna ſceleris turpitudo! quæ

*Iſai. c. 14.*

*Lyranus.*

talis

talis eſt, quòd nedùm Deo execrabilis, hominibus inuiſa, inſenſibilibus (vt ità dicam) odioſa ſed ipſi Diabolo, immò Inferno ipſi (ſi fas eſt dicere) moleſta quandoquè eſt, & horrenda! vt dixit Vgo Cardinalis ſuper citata verba Iſaiæ. *Infernus ſubtùs, ideſt, Diabolus, qui præeſt Inferis, vel habitatores eius: conturbatus eſt, ideſt, in amaritudinem verſus eſt, in occurſum aduentus tui ad eos*, ex quibus omnibus, quàm fœda, & horrenda peccati ſit facies, colligi haùd difficilè poteſt.

*Vgo Card.*

Infernum etiam peccatum conturbat.

## Reuertar in domum meã vndè exiui. Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios Spiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Luc. 11.

### §. IV.

*Acerrimus virtutum hoſtis Diabolus eſt.*

1 QVùm immundus ille ſpiritus, qui à domo ſua non exploſus deſcribitur, ſed ex ſe narratur egreſſus, dũ dicitur, *Cùm immũdus ſpiritus exierit ab homine*, Lucæ 11. nunc iterùm ipſum ingredi exoptet, & ſtudeat, quis non mirabitur? ſi, vt in antecedentibus diſſeruimus, ob fœditatẽ atq; horrorem (ſi ſic dicere licet) nauſea affectus quandoque eam deſerit, & egreditur: cur nunc regredi conatur, & ingredi? An fortaſsè, quia ſicuti ob immunditiam, ac fęditatem, eam dereliquerat; ſic nunc mundatam videns, & ornatã, reuertitur? Ità in præſentiarum indicare videtur Euãgeliſta, dùm dicit: *Inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptẽ alios ſpiritus ſecũ, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi*: ibidem. At ſi ipſe eſt ille, qui in terra miſeriæ, & tenebrarum vitam ducit, ipſe eſt ille, qui vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, ibi viuit: ſi ipſe eſt ille, qui moratur vbi pro ſuaui odore eſt fętor, & pro delicijs horrore concutiuntur incolæ, & pro ſuaui concentu fletus auditur, & ſtridor dentiũ, quomodò nunc mundatum locum, ornatam domum, & expolitum quærit cubiculum: *Inuenit eam ſcopis mundatã & ornatam: Tunc vadit, & aſſumit ſeptẽ alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi:* Verùm ſi tantæ difficultatis carpere ſolutionem optamus, quid per domum, & quid per ſcopas domum iſtam verrentes ſignificetur, inquiramus; & facilè reperiemus; quòd ſicuti communis eſt Sanctorum Patrum opinio, per domum hanc, quam Diabolus ſuam vocat, peccatoris figurari animam, quæ per peccatum tyrannicum experitur dominium, vt ſuper locum illum Ioann. 13. *Cùm Diabolus miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas*, dixit Gregorius: *Reprobi quidem corda ſua non habẽt, quia ea Diabolus poſſidet*. lib. 2. mor. c. 1. ſic multorum fuit opinio, per ſcopas domum mundantes, atq; verrentes contritionem, & pęnitentiã indicari. Vndè inter alios, Bernardus ſerm. 1. de Aſſumpt. Beatæ Virginis: *Abſit enim, vt proprię quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuiſſe dicatur, vt in ea proindè ſcopa Lazari quæreretur*. Nunc myſterium audi, ſi libet, domum ſordidam videns Diabolus, egreditur, vt ſcopis mundatam intelligit, reuertitur: quia etſi peccatorum fętore, & horrore, quaſi nauſeans (vt in ſuperiori diſcurſu probauimus) animam deſpicit, & relinquit; ſic cùm ipſam pęnitentiæ ſcopis mundatam, & virtutum aulæis ornatam intelligit, ſtatim regredi cupit, vt ipſam inficiat, & virtutes deſtruat: immò ſpiritus nequiores aſſumit, vt fiant hominis illius nouiſſima peiora prioribus. Quod dicere videtur Rabanus in Catena citatus his verbis. *Loca arida ſunt corda fidelium, quæ à mollitie fluxæ cogitationis expurgata, callidus inſidiator explorat, ſi quos greſſus ibi infigere*

*Luc. cap. 11*

*Ibidem.*

Diabolus ſemper grauioribus ſordibus contaminare animam ſeſtinat.

*Ioan. c. 13.*

*Gregorius.*

Reproborũ corda diabolus poſſidet.

*Bernard.*

*Rabanus*

*gere poſſit:* Ex quibus omnibus, quàm ei ſit inmiſa virtus, oſtenditur, dùm nè ſemina quidē virtutum videat, peccati turpitudinem, fœditatem, atq; horrorem, quem priùs ferre quodammodò non valebat; poſtea pluſquàm libentèr perperi deſiderat. Quàm Dæmonis peruerſitatem ex aduerbio illo, *tunc, Tunc vadit,* quod aliud non ſignificat, niſi ſtatim, ac animam per pœnitentiā contritam, & virtutibus incumbentem videt, ad illam reuertitur, illam aggreditur, & in ipſam ingredi conatur et ſtudet, colligit Brugenſis, dùm ſic fatur: *tunc dicit: ingenium, Studiumq; Satanæ nobis deſcribitur, quòd nūquàm ceſſat à noxijs.* Ex quo diſcurſu quàm acerrimus virtutum hoſtis Diabolus ſit, colligere, atque diſcernere non erit incongruum.

*Brugenſis*

Cur in animam ſe reſerre volēs, ſeptem ſecū, nec plures, nec pauciores aſſumit.

2 Pro cuius veritatis probatione, in huius Dæmonis, de quo fari iàm cępimus, deſcriptione ſiſtamus quæſo paulíſpèr, et reperiemus; quòd ſicuti veſana preſumptione, animam quæ Spiritus Sancti templum eſſe debebat, domum ſuam vocabat; *Reuertar in domum meam:* ſic infernali ductus malitia ſocios acceſſit, et in ea ad habitandum inuitat. *Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus: & ingreſſi habitant ibi.* Qua in re aptiſſima moueri poteſt quęſtio: cur tantùm ſeptem, & non plures, nec pauciores commilitones aſſumat? ſi de alio Dæmoniaco refert Lucas cap. 8. non à ſeptem, ſed à multis Dæmonibus poſſeſſum fuiſſe: nam de nomine interrogatus Diabolus: *quod tibi nomen?* ipſum reſpondiſſe, teſtatur Euangeliſta: *nomen mihi legio,* & rationem quare tali nomine vocaretur, ſtatim ſubdidit ipſemet Lucas, quùm ait: *Quia intrauerant Dæmonia multa in eum:* Cur ergo immundus ſpiritus, qui in hominem reuerti decreuerat, plures non vocauit, vt fecit Diabolus iſte, qui ob ſociorum multitudinem legio vocabatur? Sed ſi propterea pauciores ſocios habuit ille, quia fortaſſis inferioris ordinis erat; cur nō decem, quòd ſeptem præcisè, nec omninò plures, nec pauciores vocare decreuit? Cui difficultati reſpondet Hieronymus, quòd animę erat iſta obſeſſio, non corporis; ideò non multi, vt in Dæmoniaco à Luca deſcripto, ſed ſeptem tantùm, nec plures, nec pauciores eſſe voluerunt; quia ſciebat verſutus virtutum inimicus (ait Hieronymus) quòd licèt generalitèr ſumpta, vna ſit virtus, tamen Sancti Spiritus ſeptem ſunt dona, dicente Iſaia. c. 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus cōſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis: & replebit eum ſpiritus timoris Domini:* ideò ſeptem aſſumit ſocios, vt contra omnia Spiritus Sancti dona, & aduerſùs omnes virtutum ſpecies, (ſi ità dicere licèt, peculiare aſſumeretur certamen: ſic præfatus Sanctus ſuper citatum Matthæi locum. *Septenarium autem numerum adiunctum Diabolo, propter dona Spiritus Sancti: ut quomodo in Iſaia ſuper virgam de radice Ieſſe, & florem, qui de radice conſcendit, ſeptem ſpiritus uirtutum deſcendiſſe, narrantur; ità è contrario uitiorum numerus in Diabolo conſecratus ſit.* Proh nefas! ut omnium virtutum aboleret nomen ſceleſtiſſimus iſte, non ſolus, ſed cum ſeptem ſpiritibus ingredi cupit, vt à ſingulis contra ſingulas virtutes aſſumatur certamen.

*Matt. c. 12.*

*Luc. 8.*

*Iſai. c. 11.*

*Hieronym.*

Septem Dęmonia contra ſeptem Spiritus ſācti dona pugnant.

3 Nec ſimplicitèr ſeptem alios ſpiritus contra ſeptem Spiritus ſancti dona vocarè contentus eſt, ſed ſocios peiores ſe aſſumere cupit, dicente Euangeliſta loco proximè citato: *Aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe:* Vbi per nequiores, ſuperiores, aliqui intelligunt, vt ſit ſenſus: aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſuperiores ſe. In qua re non modica mihi oritur difficultas, ſi Dęmon ſuperbiſſimus eſt, multùq; de hominis victoria iactatur; ſicuti bonus Angelus de ſalute præcipuè illius, cuius cuſtodiæ in hac palæſtra delegatus fuit, cur ſocios ſuperioris ordinis vocat, quibus victoria nō ſibi aſcribi facilè poterit? An quia ſic ei exoſa eſt virtus, quòd facilè, ppriā parupendat gloriam, vt radicitùs omnē virtutem euellat? Ità certè, vt uirtutem funditùs euertat, honoris iacturam pati pro nihilo exiſtimat. Subtilitas fuit iſta Euſebij Emiſſeni, quùm quæſiuit: cur nequiores aſſumat ſocios. *Non*

*Luc. c. 11.*

*Euſ. Emiſſ.*

*ſufficit*

Diabolus ad peiora ſemper homi. num mẽtem inclinat.

ſufficit ei, vt ſolus talem domum inhabitet, ſocios quærit: ſed quare nequiores? ſtatimq; reſpondet: *Iſti enim quodammodò nequiores illo ſunt, qui eos conduxit, quia plus nocent iſti, quàm ille*: nihil aliud cogitat (dicit Emiſſenus) nihil cupit, nihil aliud quærit Diabolus, niſi virtutem expellere, & animam grauioribus ſordibus contaminare; ideò ſocios nequiores aſſumit, vt magis nocere poſſit; vndè meritò hos nequiores, *Sceleſtiores*, vocat Euthym. hoc eſt, *Fortiores ad malefaciendum*.

Euthym.

4 Viſa eſt in terminis res iſta, (immundũ ſpiritum ſeptem ſocios nequiores ſe aſſumere, vt omnia Spiritus Sancti dona, omnemque virtutem ab anima eradicare poſſit) in Magdalena, de qua ſeptem Dæmonia eiecta fuiſſe Diuus Marcus, & Lucas teſtantur: quorum primus. c. 16. loquens de apparitione Saluatoris pòſt reſurrectionem, ſic ait: *Apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem Dæmonia*. Secundus autem inter cæteras mulieres è dæmonum poteſtate ereptas, Magdalenam præciſè nominat, dicens: *Et duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem Dæmonia exierant*: ſic ipſe cap. 8. vbi, etſi dæmoniorum nomine vitia ab aliquibus intelligantur, dicente Greg. hom. 33. in Euang. *Quid per ſeptem Dæmonia, niſi vniuerſa vitia deſignantur? ſeptem ergo Dæmonia habuit, quia vniuerſis vitijs plena fuit*. Quod etiam Beda, Diuus Bonauentura, Vgo Card. alijque ſenſerunt. Ambroſius tamen ab hac muliere verè Dæmonia eiecta fuiſſe declarat, lib. de Salomone cap. 5. cùm ait: *Largum in ſanguine fluxum ſiccat in Martha, Dæmones expellit ex Maria*. Eius etiam opinionis eſt Carthuſianus, Brugenſis, Toletus, aliiq; non pauci: quorũ ſententia, ſi (vt opinor) uera eſt; cur tantùm ſeptem Dæmonia in hanc mulierem ingredi voluerint, & non plura, nec pauciora, dicente Brugenſe: *Hic numerum exprimit malignorum ſpirituum, qui miſeram hanc occuparant: vti etiam Marcus dicit* cap. 16. Toletus verò ad not. 6. iuxtà aliquorum ſententiam, ſeptem tantùm, & non plura, nec pauciora fuiſſe aſſerit, quàm dicit. *Cùm apud Marcum cap. 16. idem ſeptenarius numerus poſitus ſit, non videtur eum ad incertam multitudinem recurrẽdum ſit, ſed ad certum potiùs ſeptenariũ numerũ; ſi enim multitudo tantùm ſignificata eſſet, vtiq; vnus ſaltem Euangeliſta eam indicaſſet, vt vnus per alterum explicaretur*; inſurgere poſſet difficultas, niſi de immundo ſpiritu dixiſſet Hieronymus: ideò non plures ſocios, quàm ſeptem vocare, vt contra ſingula Spiritus Sancti dona à ſingulis, ſpeciali aſſumpto certamine, contra uirtutem validiùs pugnari poſſit; quod, vt contra Magdalenam callidius obſeruaret hoſtis, ſeptem non plures, nec paciores, vt in eam ingrederentur, vocauit. Vndè Theophylactus de prædicto immundo ſpiritu ſocios vocante ſic ait: *Conuertitur autem cum ſeptem ſpiritibus; ſicut enim ſeptem ſunt dona ſpiritus: ità è conuerſo ſeptem ſunt malitiæ ſpiritus*.

Marc. c. 16.

Luc. c. 8.

Greg. Mag.

De Magdalena ſeptem eiecta fuiſſe Dæmonia, quid ſignificet.

Beda.

Bonauent.

Vgo Card.

Ambroſ.

Carthuſ.

Toletus.

Brugenſ.

Toletus.

Theophyl.

Nec virtutis veſtigium relinquere vellet Diabolus.

5 Nec mirum, ſi mulier iſta peccatrix per antonomaſiam vocetur. Lucæ cap. 7. *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*, quæ verba conſiderans Chryſologus ſer. 65. ſic fatur: *In ciuitate peccatrix, quia fama ſua famam totius tetigerat Ciuitatis: Sicque iàm non peccatrix ſolùm, ſed ipſius Ciuitatis facta fuerat ipſa peccatum*. Magnum certè mulieris iſtius peccatum, dùm ſola ipſa inter multos concines vocatur peccatrix: ſed, vt dixi, non eſt mirum, quòd mulier hæc inter totvitia volutaretur, ſi à ſeptẽ iniquis ſpiritibus obſidebatur: & cùm vnuſquiſque contra vnumquodque Spiritus Sancti donum belligeraret, in vitiorum omnium fæcibus miſera mulier relinquebatur. Vndè Cardinalis Vgo conſiderans ſeptem Dæmonia Magdalenæ, dicere non dubitauit. *Septem inficiebatur criminalibus vitijs, quæ ſeptem nominibus Dæmonum repertis in Sacra Scriptura conueniũt, quæ ſunt: Diabolus, Beemoth, Leuiathan, Aſmodeus, Satanas, Exterminator, & Dæmon*. Prorsùs infelix ſtatus talis mulieris, miſera certè tunc peccatricis iſtius conditio, cùm omni priuaretur virtute: ſed dùm vitia, quibus inficiebatur, Dæmonum nominibus reſpondebant; quam ipſi acerrimi virtutum hoſtes ſint, intellige.

Luc. cap. 7.

Chryſolog.

Vgo Card.

Septem dæmonia quæ ſint.

6 Nec

6 Nec tãtũ Spiritus Sãcti dona, virtutumq́; culmina demoliri conatur Diabolus, ſed ſemper ipſa virtutum fundamenta ſubuertere nititur: quod proprio ore declarauit, quando Dominũ in deſerto aggreſſus, & de gula tentare volens, oblatos lapides in panes conuerti popoſcit, dicens: *Dic, vt lapides iſti panes fiant.*

*Matth. c. 4.*

Matth. 4. Quem tentãdi modum conſiderans Chryſologus

*Chryſolog.*

ſerm. 11. ad eum ſic dicit. *Miſer, malus vis eſſe, ſed non potes: cupis tentare, ſed neſcis, eſurienti tenera offerre, non dura debuiſti: famem non aſperis, palpare, ſed blandis, inediam non horridis vrgere debueras, ſed guloſis.* ac ſi diceret: Si itaque, panes aliundè ſublatos proponere potes, ſi applicando actiua paſſiuis, ipſos efficere dedignaris, cur duros, aſperoſque lapides proponis? An quia virtutum fundamenta, non culmina tantùm ſubuertere niteris? Ità ſenſit Antonius Paduanus ſerm. 3. in Domin. 1. Quadr. quia ſciebat ſceleſtus inimicus, ait ipſe, quòd perfectio virtutum quędam ſtructura eſt, cuius fundamentales lapides in corde humilitas, in corpore autem abſtinentiæ rigor eſt; quos lapides quia videbat in Chriſto, eos omni ſtudio conabatur ſubuertere: ideò lapides obtulit dicendo: *dic, vt lapides iſti panes fiant;* fortè clariùs dicere volens: ſi inter cũctos mortales magnus es, ſi maxima miracula patrare vales, ſi es ſplendidiſſimus ſol, cur te vilitatis nebulis tegere quæris? Fulgeãt modò virtutes, videantur miracula: ſi poſtea caro illecebris non laxat habenas, cur eam ſic longa inedia vexas? Dic nunc, vt iſti aſperi lapides in refectionis, publicæq́; cognitionis panes vertantur.

Dæmon ſtultus tentator.

*S. Anton. de Padua.*

Præfatus Antonius loco citato. *Auſteritas pœnitentiæ lapidum nomine deſignatur: Vndè per Iſaiam. 62. Eligite lapides, & leuate in ſignum ad populum, quia per pœnitentiam homo redditur exemplaris: de his ergo lapidibus loquitur in propoſito inimicus tentator, diſſuadens homini vacanti pœnitentiæ auſteritatis rigorem, dicens: Dic, vt lapides iſti panes fiant, id eſt, fac, vt durities pœnitentiæ conuertatur in mollitiem, & ſuauitatem conſolationis:* hæc ipſe: ex quibus tibi nunc cõſiderandum relinquo, acerrimus quid dixiſſet, & quid egiſſet hic virtutum hoſtis, ſi ad ſtructuræ culmen oculos leuaſſet, ſi fundamenta ipſa tanto ſtudio ſubuertere conabatur.

Pœnitentiæ auſteritatem in deliciarũ mollitiem vertere nititur.

Cur ante omnia in Iobi oues deſæuit Satan

7 Quis ampliùs dubitare poterit, cur Satan contra mitiſſimas Iobi oues immiſericorditer ſe gerere voluerit; nã vix obtenta feriendi licẽtia, in eas priùs, quàm in Iobi filios deſæuire decreuit, ſic ſacra narrat hiſtoria, in eius lib. c. 1. quùm dicit: *Ignis de Cœlo cecidit & tactas oues, pueroſq́; conſumpſit*, cùm ex modo dictis iàm ſciatur, quòd uirtutũ inimicus ſemper virtutum fundamenta ſubuertere ſtudet, quòd quia in Iob tentare voluit, ideò cœleſti igne oues priùs conſumere, quàm viuos filios inter ruinas tumulare decreuit: quam rẽ vt faciliùs percipias, Iobi perfectionis quodnàm præcipuum fundamentum fuerit, tibi neceſſariò obſeruandum duco: in qua re ne multùm labores, audi ipſum. cap. 31. apertè dicentem: *Ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & ex vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.*

*Iob. c. 1.*

*Iob. c. 31.*

ac ſi manifeſtè diceret: ab ipſis primis diebus, ut vitam ducere cæpi, pietatẽ ergà pauperes pro fundamentali lapide in totius uirtutis meæ ædificium aſſumpſi: undè ab infantia mea mecum pietatẽ creuiſſe, immò cum materno lacte eam me bibiſſe aſſerere nõ dubito; cùm ex utero matris meæ egreſſa ſit mecum. Tamen ſi ulteriùs aduertes, ex tot bonis, quibus Iob affluebat, quid præcipuè ad inopum utilitatem applicaret, uidebis ouibus præſertim ad hãc pietatem uſum fuiſſe. Vndè pòſt prædicta proprio ore immediatè ſubdidit: *Si deſpexi percuntem, eò quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem: Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt.*

*Ibidem*

Ergo præcipuè ouium uelleribus non minùs ſuam fouebat pietatem, quàm inopum calefaciebat humeros. Audi nunc rationem cur Satan in mitiſſimas oues deſæuiat; quia videbat iniquus pietatem pro fundamentali lapide in virtutum ſtructura Iob iecisſe, videbat itidem oues præcipuè ad inopum utilitatem applicaſſe: ideò, ut hoc pietatis, miſericordiæq́; fundamentum ſubuerteret, in oues præcipuè ſæuire decreuit. Eximiè hanc ſubtilitatem tetigit Chryſoſtomus hom. 1. in Iob, quùm

dixit:

*Chryſoſt.*

dixit: *Manifeſtum itaque, quòd ex diuerſis diteſcebat theſaurus ſuus, & eleemoſyna, & aſſiſtentia pauperum, & ſubueutione indigentium. Sed vide quid Diabolus facit, omniũ primò ab eo ſubſtantiã vniuersã diripit, poſtremò liberos auſert.* O ſæuitiam, immò ò malitiam, vt non tantùm largitatem erga pauperes impediret; verùm vt ipſa virtutum fundamenta ſubuerteret, in oues ſic ſæuire decreuit!

Meritorum fundamenta quærit Dæmon, eaque fũditus euertere ſtudet.

8 Eò vſque inimici iſtius peruenit malitia, vt non tantùm virtutum fundamenta deſtruere nitatur, ſed in virtutis itinere primum greſſum, primumq; ueſtigium impedire non erubeſcat; immò ſtudeat ſemper, & quærat. Quod fortè ab ipſo creationis die declarare voluit Deus, cùm ad ſerpentem ait: *Tu inſidiaberis calcaneo eius.* Gen. 3. ſuper quæ verba ait Moyſes Barceſa; quòd non ab re calcaneo magis, quàm alij corporis parti iſte Infernalis ſerpens inſidiari conatur; quia per virtutum greſſus à viatoribus ad cœleſtem patriam perueniri non ignorat, vt poſtea ait Dauid. Pſal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion*: Et Paulus ad Epheſios 5. *Ambulate in dilectione*: quæ verba exponens Bernardinus Senenſis tom. 2. Dom. in oct. Reſurrect. ſer. 55. ait: *Hæc ambulatio fit paſſibus affectuum, loquutionum, & operationum, quibus per viam dilectionis ad Deum ambulamus*: ideò calcaneo inſidiari ſtudet, vt uenenoſo ſuggeſtionis morſu viatorem penitùs claudum efficiens, à cępto perfectionis itinere deſiſtere faciat: ſic citatus Barcepha in Dei perſona ad ſerpentem loquitur. *Homines dùm per virtutes vitam agitant, obſeruabis illorum calcem, vt ipſos ſubuertere, atque in peccata præcipitare poſſis.*

Verborum illorum *Tu inſidiaberis calcaneo eius.* qui nam ſit ſenſus

*Geneſ. c. 3.*

*Pſal. 83.*

*Ad Epheſ. cap. 5.*

*Bernardin. Senenſ.*

Initia virtutum obſeruat ſerpens *Moyſes Barceſa.*

9 Qua de cauſa fortè diſcipulis dicere dignatus eſt Christus: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuprà ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* Lucæ 10. ni fallor dicere volens: veſtros greſſus procul dubio, ò diſcipuli, numerabunt Dæmones, inſidiabuntur ſerpentes, & impedire nitentur ſcorpiones; ſed vos omni abiecto timore, confidentèr procedite; immò ſemper validiùs currite: quia venenoſorum ſerpentium quaſſatis capitibus, nihil erit, quod vos à cœpto itinere retardare poſſit; cùm uobis ambulandi ſuper ſerpentes libera ſit cõceſſa facultas. Vndè Sanctus Thomas in Catena ſuper citata Lucæ verba, ait: *Dedi uobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, ideſt, ſuper Dæmones, qui inchoandis virtutibus uenena praua perſuaſionis obijciunt.* Quæ ſi notabis verba, & præcipuè illa: *Inchoandis uirtutibus uenena praua perſuaſionis obijciunt*; clarè videbis, uirtutum hoſtem, non longo virtutis itineri, ſed primo perfectionis greſſui inſidiari: qui non immeritò in ſacris paginis ſerpentis nomine toties nuncupatur; quia ſi iuſtitia atque uirtus rectitudo vocari conſueuit, ipſe propterea tortuoſus ſerpens uocatur, ut quàm rectitudini, virtutiq; contrarius ſemper exiſtat, agnoſcatur. Vndè Diuus Bonauentura in breuiloq. conſiderans uerba illa Euæ: *Serpens decepit me.* Gen. 3. ait: Quod Eua, ut Diabolum acerrimum rectitudinis inimicum oſtenderet, ſerpentem nõ Dæmonem nuncupare uoluit. *Vt eius uerſutia in tentando cunctis filijs Adæ nota eſſet, dicere uoluit: Serpens decepit me.* Quod ſi noſcis meritò ab ipſo, vt tentatore, uirtutumq; hoſte tibi cauere debes.

*Luc. c. 10.*

*D. Thom. in*

*Gen. c. 3.*

*D. Bonau.*

Tortuoſus ſerpens vocatur Satan quia ſemper rectitudini opponitur

# FERIA SECVNDA
## POST
# DOMINICAM TERTIAM
## QVADRAGESIMAE.

Quanta audiuimns facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in Patria ſua:
Lucæ cap. 4.

### §. I.

*Nunquàm honoris eſt expers, qui Deum honorat: quia ſi Deus ſui contemptores contemnit, ſui Cultores honore proſequitur.*

1 SI miraculorum, ac prodigiorum Chriſti ſonus ſic vndiq; percrebruerat, vt non ampliùs ex infantium ore eorũ fama perfici poſſet, nec Cæli ipſi eorum gloriã ſufficiẽtèr enarrare valerent; ſed nec manuum Chriſti opera firmamentum ampliùs annunciare ſufficeret, vt benè teſtantur iſti, qui dicunt: *Quanta audiuimus facta*. Lucæ 4. quid eſt quòd ſola Nazareth uirtutibus, ac ſignis exiſtimatur indigna? *Amen dico vobis, nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua*. ibidem. Et licèt inuidiæ hoc aſcribat Ambroſius, infidelitati Gloſſa interlinealis, & incredulitati Euangeliſta Matthæus: mihi tamen Ericij, atq; Brugenſis non diſplicet opinio; qui dicunt: propterea Chriſtum miraculorum gratijs ciues minimè honorare voluiſſe, quia ab ipſis, non honore, ſed ignominia affici ſolebat: & Deus ſicuti huiuſmodi impudentes ſpernere ſolet, ſic quos erga ſe reuerentes agnoſcit, honorat. Præfatus Ericius: *Refert ſuperiùs Euangeliſta: quia cùm veniſſet Dominus Nazareth, & in Synagoga lectoris fungeretur officio, ab omnibus ſtudioſa intentione auditus fuit, omneſq; mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius; cæperunt Scribæ, & Phariſæi inuidentes dicere, nonne hic eſt filius Ioſeph fabri?* & ſubdit: *Amabat quidèm Chriſtus ciues, ſed ipſi deſpicientes Chriſtum, quaſi mutua ſe charitate priuabant*. Et clariùs Brugenſis, dùm Saluatorem ciuibus reſpondentem introducit: *Ego contemnor à vobis, ac proindè non mirum ſi Prophetarum more pauciora miracula edam apud vos ciues meos, quàm apud alios, vobis imputanda eſt cauſa, eò quòd me contemnitis: habetis ergo iuſtam contemptus veſtri mercedem, quòd vobis præteritis, alios potiùs miraculis honorem*: quam veritatem; quòd ſcilicèt ſicut ſui contẽptores Deus ſpernit, ſic ſui cultores honorat, ipſemet declarauit, quàm ait: *Quicumq; honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. 1. Reg. c. 2. quæ verba explicans Rupertus de Trinitate, & operibus eius. cap. 9. dicit: *Quacunque ex domo, quacunque ex gente ſit, qui honorificauerit me, glorificabo eum glorioſo Regno, glorioſo Sacerdotio; faciamque omnes Regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri meo: Qui me contemnit, erit ignobilis, neq; Rex, neque Sacerdos eſſe poterit: hac mihi conditio, hæc mihi ſeruanda viciſſitudo eſt*. Ex quo ſatis conſultò Iuſtinus iuuenis Imperator

*Luc. c. 4.*

*Ibidem.*

*Ambroſ.*

*Gloſ. Interl.*

*Ericius*

Quem alii honore proſequuntur raró ciues honorant.

*Brugenſ.*

*1. Reg. c. 2.*

*Ruper. Ab.*

Sui cultorẽ Deus honorat.

Digitized by Google

tor morti propinquus, cùm Tiberium ſucceſſorem declarare vellet, & in ſucceſſionis ſignum Imperiali veſte eum indueret coràm Ioanne Patriarcha, ſic
Iuſtini Imperat. dictū. eum monuiſſe dicitur: *Non eleuet te habitus, quemadmodùm me: Ecce Deus, qui benefecit tibi, hunc habitum dedit tibi, non ego: honora illum, vt tu quoque honoreris ab illo.* Quia ſi iure optimo ſpernitur, qui Deo reuerentiam nō exhibet, multùm honoratur ille, qui Deum honore proſequitur.

2 Et primò, quòd Deum honorās, nunquàm honoris ſit expers, oſtendit
*Matt. c.23.* locus ille Matthæi. 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia quæcunq; dixerint vobis, ſeruate, et facite: sm̄ opera verò eorum nolite facere:* quia ſi per hæc, vt Toſtatus quæſt. 18. ait: Scribas, & Phariſæos vehementèr arguere
*Toſtatus.* intendebat, cuius verba ſunt. *Chriſtus intendebat grauitèr increpare Scribas, & Phariſæos, ſicuti ex ſequentibus manifeſtatur,* veſtigandi inſurgit occaſio: cur ipſos non apertè arguit, ac clarè incre-
*Matt. ibid.* pat, quòd tantùm dicit: *Omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere:* & quàmuis ob Sacerdotij honorem hoc
*Hieronym.* factum aſſerat Hieronymus. lib. 4. coment. in cap. Matth. 23. dùm dicit: *Propter Sacerdotij, & nominis dignitatē hortatur populos, vt ſubijciantur eis, non opera, ſed doctrinam conſiderantes.* Chryſoſtomus tamen ſentit, non tàm propter Sacerdotij, quàm ob Moyſi reuerētiam eos tacitè reprehendiſſe: quā
*Matt. ibid.* ſententiam ex verbis illis, *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi,* colligit ipſe: nam ſecundùm eum, hanc efficiunt cauſalem: quia ſuper Moyſi cathedram ſedent, ideò quæcunq; dicunt ſeruate; & facite: hoc eſt, propter Moyſi reuerentiam ipſos honorate, ipſos audite, ipſorum dicta ſeruate, & præcepta implete. Præfatus Chryſoſto-
*Chryſoſt.* mus. hom. 73. in Matth. *Tu autem conſidera quantum Moyſi deferat honorem, vt illos propter legem Moyſi venerandos autumet. In Moyſi enim, inquit, cathedra ſedent: ità qui à moribus eorum non potuit ipſos dignos eſſe teſtari, à ſede, ac eius doctrina id facit:* Sed vndè tanta Moyſi reuerentia, ob quam etiam honore afficiuntur indigni, originem duceret, colligi poteſt ex eo, quod Regius ait

Deus honore maximo iuſtos proſequitur, propter quorum etiā honorē indignos honorat.

Vates. Pſal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei;* nàm hæc verba, ſecundùm D. Brunonis expoſitionem, legi ſic poſſunt: ſacrificium laudis honorificabit me: illic iter, ideſt, me laudare iter eſt ad laudem: quia ſi Deus ſui cultores honorat, Deū laudare via erit ad laudem: *Sacrificium laudis,* ait præfatus Bruno, *honorificabit me: illic iter, ac ſi dicat: inſiſtere debet vnuſquiſq; ad ſacrificiū laudis, quod erit iter, ideſt, via, per quam ille qui inſtiterit, videbit ſalutationem, quam Deus dabit ſeruis ſuis:* Et ſi Moyſes cunctis vitæ ſuæ diebus Deum laudauit, pro cuius etiam honore Pharaoni reſiſtens, mortem quotidiè ſubire non timuit, ad talem honorem peruenit, quòd nedùm ipſe, ſed eius doctrinam docētes, licèt indigni, propter ipſam honorari debebant. Vndè Gregor. in 1. Reg. cap. 2. *Glorificantem ſe ergo Dominus glorificat; quia eos à quibus deuotas laudes accipit, ad vniuerſi Orbis honorem ſuſtollit.*

*Pſal. 49.*

*Bruno.*

*1. Reg. c. 2.*

3 Tertullianum huc adduco quærentem: cùr Chriſtus, qui inſtantèr rogatus, domum Reguli ire contempſit, in illam Cēturionis etiam non rogatus, ſe vltrò iturum promiſit: *Ego veniam, & curabo eum.* Matth. cap. 8. Et *Matt. c. 8.*
quamuis ob fidei, virtutumq; magnitudinem hoc Centurioni præſtitum aſſerat Hieronymus, cùm dicit: *Videns* *Hieronym.*
*autem Dominus Centurionis fidem, humilitatem, & prouidentiam, ſtatim ſe iturum, & ſanaturum promittit; vndè ſequitur: Ego veniā, & curabo eum.* Quæ etiā multorū aliorū fuit opinio, & præcisè Chryſoſt. in catena relati, cuius uerba ſunt. *Quod* *Chryſoſt.*
*numquàm fecit, hic facit Ieſus; vbiq; enim ſequitur voluntatem ſupplicantium, hic autē proſilit: & nō ſolùm curare promittit, ſed ire ad domū. Facit autē hoc, ut diſcamus Centurionis uirtutem.* Tamen præfatus Tertullianus in lib. de Idololatria, ad honoris viciſſitudinem id Centurioni conceſſum putat: quod nè gratis dictū exiſtimes, ex cunctis mundi nobilibus quinàm primi ad Chriſtum venerint, perpende, & reperies, quòd quæ Principes Sacerdotum, & Scribæ facere renuerunt, ſummo ſtudio, pietate, & reuerentia, efficere ſtuduerunt Magi. Nā quem illi propinquum cōtempſerunt,

ipſi de longinquo venientes, vt Deum, et Dominum adorauerunt: itaque ex mundi Principibus, qui primi omnium ad Chriſtũ venerũt, eumq́; (vt fas erat) venerati ſunt, Magi fuerũt: ità prorſùs. Honoris nũc audi viciſſitudinem: quia Magi gentiles erant, gentilitatis oſtendebant reuerentiam, quam vt conſiderauit Diuinus Puer, erga ipſam beneuolus effectus, ſtatim ſe ei honoris vices redditurum promiſit: ex quo poſteà gentilem Centurionem eximijs virtutibus præditum pro ſeruo intercedentem audiuit, ſtatim eius domum ſe iturum obtulit, ac ſi Magorum Aduentum in Centurionis perſona honorare voluiſſet: *Primi igitur ſtellarum interpretes* (ait citatus Tertullianus) *natum Chriſtum annunciauerunt, primi munerauerunt. Hoc nomine Chriſtum, opinor, ſibi obligauerunt.* hæc ipſe: Cuius ſi eſſet amplectenda ſententia, quod quidem non aſſero, cùm Deus non ſit perſonarum acceptor, dicere cogeremur; ideò non domum Reguli, ſed ad illam Cẽturionis ſe iturum obtuliſſe, quia non Synagogę, ſed Gentilitatis Principes ad eum venerant, eumque humilitèr adorauerãt, ex quo honore, honor eis impendi debebat.

*Tertullian.* Quià ſegnes ad Chriſtũ adorandum Hebræi, tam ſeduli gentiles.

4 Ad Petrum nunc oculos vertamus, & videbimus, quòd ipſe ex vili nobilis, ex humili ſublimis, ex ſubdito Dominus, ex vltimo primus, et ex Piſcatore Summus Pontifex, Summique Dei in terris Vicarius fuit effectus; ſed vltrà immenſam Dei pietatem, miſericordiam, ac bonitatem, vocãtem, atq; eligentem: vndè tanta honoris celſitudo procederet, ſi noſcere cupis, cap. 16. Matthæi lege, et quàm Deum honorantes, ab ipſo honorentur, videbis: nàm ibi habetur, quòd nedùm Petrum fœlicem, atq; beatum vocauit Saluator, ſed Eccleſiæ Prælatum, ac Principem, et ſui ſucceſſorem declarauit. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues Regni Cælorum. Et quodcumq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Magna certè laus, magnus honor: ſed cur non alijs Apoſtolis fuit impenſus, ſed tantùm Petro?

*Matt. c. 16.* Petri exaltatio vndè.

Audi ſi libet: interrogauerat Diſcipulos Chriſtus, quam de ipſo opinionem haberẽt: *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* Petrus, cęteris acutiùs intuens, omniũ præcucurrit reſpõſa, dicẽdo: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Ergo ſuprà cæteros Chriſtum confeſſus, ipſumq́; honore proſequutus eſt Petrus: ità certè. Audi nunc myſterium, cùr Petrus, non alij ad tantam euectus ſit dignitatem: quia nullus vt ipſe, Chriſti magnitudinem, atq; Diuinitatem prædicauerat, nullus vt ipſe laudari, prædicari, atq; eleuari debebat à Chriſto, ſubtilitèr nimis ex illa coniunctione, *&*, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c.* colligit Hieronymus, qui dicit, ly, *&*, nihil aliud, niſi viciſſitudinẽ importare, vt ſit ſenſus: tu me Filium Dei dicis & ego dico tibi, quia tu es Eccleſię caput & Princeps. *Teſtimonio de ſe Apoſtoli reddidit vicem. Petrus dixerat: Tu es Chriſtus Filius Dei viui: mercedem recepit vera confeſſio: Beatus es Simon Bar-Iona:* ac infra. *Et ego dico tibi: quid eſt, quod ait, & ego dico tibi? Quia tu mihi dixiſti: Tu es Chriſtus Filius Dei viui: & ego dico tibi, nõ ſermone caſſo, & nullum habente opus, ſed dico tibi: quia meum dixiſſe, feciſſe eſt. Tu es Petrus, &c.* Ecce quomodo Chriſtum honorando, ad maximos honores iter fecit Petrus: Vndè Gregorius in 1. Reg. cap. 2. *An non glorificati gloria eſt, in terra manere, & cælum claudere, glorificabat quippè Dominũ, qui dicebat: Tu es Chriſtus Filius Dei viui, ſed glorificantem ſe, Dñus glorificauit, quia ei reſpondit dicẽs: tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumq; ligaueris, &c.*

*Hieronym.* Cur ipſe, nõ alius poſt Chriſtum Eccleſię cõſtitutus eſt Princeps.

*Gregor.*

5 Quis poſteà ſine multa admiratione, immò abſque multo ſtupore Magdalenæ exaltationem, ac magnitudinem explicare poterit? nàm hæc cùm Magiſtra eſſet erroris, Diſcipula facta eſt veritatis: hæc ſexum vincens, & vitium, à Chriſto Apoſtolorum Apoſtola fuit effecta, cùm ad eam ait: *Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deũ meum, & Deum veſtrum.* Ioannis 20. Sed cùr, bone Deus, mulierem iterùm docere permittis, ſi ſemel docendo omnia ſubuertit? ſi ſerpentem in aſtutia ſua vt comprehendas, hoc efficis, ſi (vt clariùs dicam) ſerpentis venena per mulierem tranſmiſſa, per ipſam extinguere

*Ioan. c. 20.* Magdalena Apoſtolorũ Apoſtola.

gnere cupis, vt quæ viro mortis fuerat origo, nūc diſcipulis vitam annunciet: ſicuti ait Gregorius in Catena relatus:

*Gregor.*

*Quia cùm in Paradiſo mulier viro propinauit mortem, à ſepulchro mulier viris annunciauit vitam, & dicta ſui viuificatoris narrat, quæ mortiferi ſerpentis verba narrauerat:* Eſto. Sed cùr Magdalenam ad hoc, non alteram eligis; ſi ipſam paulò ante peccatricem per antonomaſiam vocatam agnoſcis? quis ei fidem præſtare: quis eius dictis poterit aſſentiri? At certè hęc potiùs, quàm alia ad Euāgelizandum Apoſtolis deſtinari debebat, tùm quia ſanctitate, & perfectione (Virgine Matre excepta) fortè reliquas ſuperabat mulieres, tùm etiam (quod magis ad rem noſtrā facit) quia ſi præ cęteris Chriſto reuerentiam impendebat, præ cęteris ab eo honorari debebat: quod faciliùs vt percipias, quo tempore hæc ei fuerit iniuncta legatio, perpende, & videbis, quòd qn̄ in horto iuxtà ſepulchrum Hortulanum vidit, et eum non agricolam, ſed Magiſtrum vocauit.

*Ioan. c. 20.*

*Conuerſa illa, dicit ei: Rabboni, (quod dicitur Magiſter.)* Ioannis ibidem: tunc vt audiuit ille, qui munificentia & pietate non vincitur, ipſam diſcipulorum (vt ità dicam) Magiſtram, & Apoſtolorum Apoſtolam deſtinauit. *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, &c.* Ac ſi diceret: ſi mei cultores nunquàm inhonoros relinquo, te quomodo non honore afficiam? Tu me Magiſtrum vocas, & ego te Magiſtrā appello. Moriar, niſi hoc præ oculis habebat Cyrillus Alexandrinus, cū ait:

*Cyrillus.*

Chriſtum Magiſtrum vocādo Magiſtra ab ipſo effecta eſt.

*Illa verò ſtatim apertis oculis ſuis cognouit eum, & Magiſtri vocabulo (vt conſueuerat) ipſum honorat,* c. 29. & c. 51. ſubdit. *Ad honorē igitur, et gloriā Magdalenæ à Saluatore cōceſſum eſt, vt hæc poſſet ad Diſcipulos Euangelium deferre, quia Chriſtus ſurrexit, & ad Patrem, ac Deum ſuum, & Diſcipulorum aſcendat.* Magna certè Magdalenæ laus, magnus honor: ſed nil mirum, quia ſi ſuper Dei cultorem retorquetur honor, meritò, quæ honoris cauſa Magiſtrum vocauerat, doctrix efficitur et Magiſtra.

Mariæ nominis præconia.

6 Lucem nunc facio celebri difficultati: cùr Magdalena nunquàm à Chriſto Maria vocata ſit, niſi in horto, quando ipſum hortulanum putabat? *Dicit ei Ieſus: Maria.* Ioannis 20. Quia ſi hoc eſt illud nomen, de quo illud Iſaiæ cap. 62. dici pōt: *Os Domini nominauit:* ꝙ ex Diuinitatis theſauro ſumptum eſt, vt benè inquit Petrus Damianus ſer. de annunciatione Beatæ Marię Virginis.

*Ioan. c. 62.*

*Petr. Dam.*

*De theſauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur:* quo pòſt diuiniſſimū Ieſu nomen aliud ſublimius, cui omne genu flecti debet, iuxtà illud Idiotæ de Virgine Maria. cap. 5.

*Idiota.*

*Dedit enim tibi Virgini Mariæ tota ſuper Sancta Trinitas, nomen, ꝙ pòſt nomen ſuper benedicti Filij tui eſt ſuper omne nomen, vt in nomine tuo omne genuflectatur:* nō reperitur. Si deniq́ue hoc eſt illud nomen, ꝙ primi cęleſtis patrię Ciues ob reuerētiā nominare non audent; ſicuti eximiè ſuper verba illa, *Aue gratia plena.* Lucę 1.

*Luc. c. 1.*

Obſeruauit Caſſian. lib. 2. de Virgine Maria cap. 4. vbi ait: propterea Angelum Virginem ſalutando, Marię nomen pretermiſiſſe, quia ſe illud proferre indignum putabat.

*Simon de Caſſia.*

Nec Angeli illud præ reuerentia nominare audent.

*Velut eam altè dignam ipſe indignior nominare veritus eſt:* nequaquàm Magdalena eo decorari debebat, niſi in horto, quia nunquàm tàm latam uiam ſibi fecerat ad honores, quàm tunc. Quod ſi tibi magnum uidetur prefatum Euangeliſtę locum maturiùs perpende, et uidebis, non priùs Magdalenam, Mariā uocatā fuiſſe, quàm ipſa Hortulanū Dominum uocaret.

*Ioan. c. 20.*

*Dicit ei Ieſus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans, quia Hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, & eum tollam. Dicit ei Ieſus: Maria.* Itaque, quę immediatè antè mulier nuncupata fuerat: *Mulier quid ploras?* poſtquàm alloquentem, Dominum appellauit. *Domine, ſi tu ſuſtiliſti, &c.* ſtatim Marię nomine eſt decorata. *Dicit ei Ieſus: Maria:* quia, ut maximè Dominum honorauit, maximè ab eo meruit honorari. Meum non eſt hoc, quod dico; ſed Lucę Brugēſis, qui in hunc modum dixit.

*Luc. Brug.*

Nuſquam à Chriſto Maria appellatur Magdalena, niſi in horto, & quarè.

*Magdalena Dominum uocat, eum honorare volens, & Chriſtus expreſſo proprio nomine, præbet ſe ei cognoſcendum, quaſi dicat: ecce ego quem quæris.* Fœlix mulier, et plus quàm beata pœnitens, quę dū Dominum uocat, Marię nomine decorati ſe audit.

7 Inſuper, ſi magni Ioannis expē-

demus

demus præconia, ipſum veritatis ore ſupra cunctos laudatum reperiemus; nam, ut Matthæus ait, & magnum pęnitentem, & accenſam ſuper Candelabrum lucernam, & Prophetam, & Eliam, & omnibus de mulieribus natis maiorem, & deniq; (ut concludam) adhuc uiuentem terreſtrem Angelum, ſimulq; cęleſtem Ciuem ipſum appel-

*Matt. c. 11.*

lare ſatis congruum exiſtimauit Saluator. *Illis autem abeuntibus, cępit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum uidere? Arundinem uento agitatam? Sed quid exiſtis uidere? Hominē mollibus ueſtitum? ſed quid exiſtis uidere? Prophetā? Etiam dico uobis pluſquam Prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum antè faciē tuam &c. Amen dico uobis, non ſurrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptiſta.* cap. 11. ſic ſupra cæteros Ioannē extulit Christus, ſed quod multotiès mihi ſpeculandi anſam tribuit, eſt uerbum illud, *Cæpit. Cæpit Ieſus dicere de Ioanne*, nam videtur inferri, quòd, uel ipſum nunquàm antea laudauerat, uel ſaltē, nō ſic palàm, ſicuti nunc, de Ioannis magnitudine eſſet loquutus: quod ſi verùm eſt, vt inter cæteros ſentit Io-

Supra cunctos de mulieribus ortos erigitur Ioannes.

*Ioan. Fer.*

annes Ferus: *Nunc Chriſtus Ioannem incipit commendare*, non facilè ſolui poſſet difficultas, cur nunc præcisè ipſum laudare cępit, niſi inmediatè antè di-

*Matt. c. 11.*

xiſſet Matthæus. *Ioannes autem cùm audiſſet in uinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui uenturus es, an alium expectamus?* quod ſecundùm communem opinionem, nil aliud erat, niſi verum Redemptorem, ſupremum Magiſtrum, Doctorem, ac Dominum, Chriſtum prædicare. Vndè

*Chryſoſt.*

Chryſoſtomus in Catena relatus. *Donec igitur Ioannes erat cum ipſis, ſuadebat eis continuò de Chriſto: quia autem iam erat obiturus, ampliùs ſtudium fecit*: igitur, etſi ſemper Chriſtum prædicaſſet Ioānes, tunc maximè hoc efficere ſtuduit: certè nil alitèr. Audi nunc, cur tūc præcisè cępit Chriſtus Ioannis canere laudes: quia tunc præſertim à Ioanne ſe prædicatum audiebat, ne ſine honore

*Imperf.*

remaneret honor, pleno ore Ioannem extollere cæpit, *Ioannes quidem* (ait Imperfectus. hom. 27. in Matth.) *erat teſtificatus de Chriſto: Ecce Agnus Dei, ſed am-*

Chriſtum laudando, laudatur.

*pliùs recepit à Chriſto, quàm præſtitit: Ioannes enim Chriſtum glorificans, humanam illi contulit laudem; Chriſtus autem Ioanni diuinam contulit gloriam: nam iſte illum Agnum oſtendit, ille autem iſtum Angelum prædicauit, iſte minus laudauit in Chriſto, quàm erat, ille autem iſtum, ſuprà quàm uidebatur, crexit, ut qui homo erat, Angelus diceretur.* Sic extollitur, qui Deo reuerentiam exhibet, vt ſemper magis laudetur, quàm laudat.

8 Rem nunc, in hac materia de qua loquimur ſi dicere fas eſſet, quam quidem non audeo, dicerem, quòd ſcilicèt tali honore ſui cultores proſequi ſolet Altiſſimus, vt reuerentiam, quam ſibi quandoque ab hominibus impendi non curat, illis exhiberi præcipiat. Quæ res ne gratis dicta appareat, Exodum lege, & in capite 3. Deum Moyſi apparentē, eique ſe declarantem, atque dicentem, repe- *Exod. c. 3.*
ties: *Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, Iſaac, & Iacob*: In quibus uerbis, & ſi mirabile uideatur, quòd Deus, qui eſt ante ſecula, qui aperiens manum omnia implet bonitate, qui bonorum noſtrorum non indiget, & antè cuius conſpectum tamquàm nihilum factæ ſunt omnes creaturæ, ex ipſis cognomen aſſumat, ſe Deum Abraham, Iſaac, & Iacob appellando; tamen me magis in ſtuporem adducunt uerba illa; *Solue calceamentum de pedibus tuis*; quia ſi ob ſui nominis reuerentiam fieri ſic oportebat, cur, hac uice excepta, nunquàm prætere a calceamenta abiicere præcepit, ſi plures tam Moyſi, quàm alijs & apparere, & loqui, & ſe nominare non eſt dedignatus? cur tātùm nunc hoc fieri iniunxit? Verùm pòſt multū laborē inquirēdo: Rupertū tādē ſuper præfatū Exodi locū lib. 1. de Trinit. & operibus eius cap. 14. inueni dicentē, quod nunc, quia nō tantùm ſe Deū, ſed Deū Abraham, Iſaac, & Iacob uocabat; ideò ob illorum etiam reuerentiam calceamenta abijcere pręcepit, quod nuſquàm alteri iniunxit: Præfati autem Ruperti uerba ſunt. *Duo,*

*Rupertus Abbas*

*inquā, nomina ſua deprōpſit, quorū alterū, ſcilicèt, ego ſum qui ſum naturæ eſt; alterū uerò gratiæ, uel dignationis, uidelicet (Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob) Et hoc quia gratiæ eſt ideircò tam ſupra nō inter-*

Quanto honore iuſtos affici cupiat Deus, verbis illis *Solue*.

*calceamentũ de pedibus ſuis* declarauit.

*interrogatus ultrò protulerat, dicendo: ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. Propter dignè ergo nominandam fidem illorum, uel obedientiam illorum; ideò (inquit Apoſtolus) nõ cõfunditur Deus eorũ uocari Deus.* Quæ omnia, & ſi ponderibus plena ſint, illa tamen, *Propter dignè nominandam fidem illorum, uel obedientiam*: quam reuerentiam ſuis cultoribus impendi iubeat, oſtendunt.

9 Quàm poſtea contemptores ſui contemnat Deus, declarat locus ille Matthæi. 8. ubi habetur, quòd cuidam

*Matth. c. 8.* Scribæ dicenti: *Magiſter, ſequar te, quocũque ieris*: reſpondit Saluator: *Vulpes foueas habent, & uolucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*: quêdam uerò Patrem ſepelire petentem: *Domine, permitte me primùm ire, & ſepelire Patrem meum*, non ut priorem reiecit, ſed pòſt ſe traxit, dicendo: *ſequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*: qua in re non potui non mirari multotiès, quòd diſcipulatus honore, non primus, ſed ſecundus ſit inſignitus, cùm nõ tàm iſte, quàm ille Chriſtum ſemper ſe ſequuturum promitteret: *Sequar te, quocunq; ieris*: Tandem Toſtatum percurrens, ipſum rem enucleaſſe reperi, nam quæſt. 56. ait; quòd ſi erga Saluatorem, ſe irreuerentèr oſtenderat primus, Magiſtrum tantùm ipſum uocando, *Magiſter, ſequar te &c.* reuerentem ſe exhibuit ſecundus, ipſum Dominum appellando, *Domine, permitte me primùm*, &c. propterea, quantùm ob impenſum honorem honorari debebat iſte, tãtùm propter irreuerentiam flocci pendi debebat ille: adamuſſim de vtroque

*Toſtatus*

Toſtatus loco proximè citato. *Ideò repulit illum; quia Chriſtum non honorauit quantum debuit, non reputans eum Deum & Dominum, ſed tamquàm vnum de legis doctoribus, uocauit eum Magiſtrum: & ſic dicit Hieronymus ſuper Matthæum: quia iſte dixit, Magiſter, & alius qui ſequitur dixit, Domine: & illum Chriſtus tenuit in diſcipulatu*: quis nunc verificatum non videbit illud:

Contemnuntur à Deo, qui ipſum contemnunt

*1. Reg. c. 2.* *Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles?* 1. Reg. 2. Si ruſticus & inciuilis reiicitur, vrbanus autem, atque ciuilis ad diſcipulatum erigitur.

10 Modò haud difficilis erit difficultatis ſolutio: cur hæbraicus populus omni amiſſo imperio, poteſtate, ac regimine, in vilem redactus ſit ſeruitutem? nam deſtructis Ciuitatibus eius, funditusq; euerſis Templis, ſic à filia Sion egreſſus eſt omnis decor eius, ut verificatum iam videamus. Quod nõ ſine dolore, ac lacrymis prædixit Ieremias. *Omnes, qui glorificabant eam, ſpreuerunt illam, quia uiderunt ignominiam eius.* Thren. 1. undè flens, dicere ſolebat *Thren. c. 1.*

Matathias: *Væ mihi, ut quid natus ſũ uidere cõtritionẽ populi mei, & cõtritionem Ciuitatis ſãctæ? Sãcta in manu extraneorũ facta ſunt: Tẽplum eius ſicut homo ignobilis. Vaſa gloriæ eius captiua abducta ſunt: trucidati ſunt ſenes eius in plateis, & iuuenes eius ceciderunt in gladio inimicorum. Quæ gens non hæreditauit regnum eius, & non obtinuit ſpolia eius? Quæ erat libera, facta eſt ancilla.* 1. Machab. 2. Quia ſi Deus ſui contemptores contemnit, quomodò non vilipendi debebat populus ille, qui Chriſtum ſpernendo, nunc filium Fabri, nunc ſeductorem, & nunc Regni uſurpatorem vocabat, & , vnico ut concludam uerbo, quonam pacto regnare poterat populus ille, qui ſuper ſe Chriſtum regnare renuerat? vt in quadam parabola prædixit ipſe Saluator: *Ciues autem eius oderant eum; & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Luc. 19. & id rei poſtea probauit euentus; nam dicente Pilato: *Regem ueſtrum crucifigam?* Vna voce clamauerunt omnes: *Nõ habemus Regem, niſi Cæſarem.* Ioan. c. 19. Vndè Gregorius in expoſitione ſuper 1. Reg. c. 2. *Ciues autem eius oderant eum, & miſerunt legationem pòſt eum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos: ſed eorum nobilitatem iam cernimus, quia amiſſa libertate, & Regno perpetua gentium ſeruitute deprimuntur.* Sic regimine priuatus, & Regno in miſeram ſeruitutem redigitur populus ille, qui Chriſtum paruiſaciendo, ſuper ſe regnare contempſit.

*1: Machab. c. 2.*

*Luc. c. 19.*

*Gregor.*

*1. Reg. c. 2.*

Regno priuatur, qui ſuper ſe Deũ regnare non patitur.

11 Prætetea quis Nabuchodonoſor magis depreſſus, ac humiliatus reperiri poterit vnquam? proculdubio nullus: nam ipſe non de magno paruus, nec de Domino ſeruus; ſed de ſuperbo Rege, vt vilis bellua effectus, ex hominibus

nibus

nibus abiectus, cum beſtijs, ac feris dies duxit non paucos: quod & prædixit Daniel: *Eijcient te ab hominibus, & cum beſtijs, feriſq; erit habitatio tua, & fænum ut bos comedes.* cap. 4. & paulò pòſt compleri viſum fuit, ſubdente ſacra pagina. *Cumq; ſermo adhuc eſſet in ore Regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex: Regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum beſtijs & feris erit habitatio tua: fænum quaſi bos comedes &c. Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt, & fænum, ut bos comedit, & rore cæli corpus eius infectū eſt.* ibidē. magna ſanè humiliatio, magna depreſſio; ſed inquire, ſi libet, quodnam verbum eſſet illud, de quo dicitur, *Cùm ſermo adhuc eſſet in ore Regis, vox de cælo ruit*, & tantæ humiliationis cauſam reperies; nam immediatè dicit ſcriptura, quòd cùm gloriā, honorem, magnitudinem, & imperiū non ſine Dei contemptu ſibi arrogaret Nabuchodonoſor, dicendo: *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* ſtatim vox de cælo Dei contemptorem cōtempſit. *Cumq; ſermo adhuc eſſet in ore Regis &c.* Pereximiè Theodoretus orat. 4. *Intuere mentis faſtum, inſpice arrogantiæ exuperantiam: ego, inquit, regiam vrbem feci in honorem gloriæ meæ, & Dominus Deus ſtatim ſupplicium intulit: cum beſtijs &c. quia non ſatis ei fuere ædes Regiæ in terris deorſùm, ſed ſimul etiam Superiores dementèr appetijt, ijs etiam priuatur, quas deorſùm obtinebat, & qui cælum rapere voluerat, è terra quoque expellitur.*

*Daniel. c. 4.*

Deus cōtra ſuperbiam ſpeciale aſſumit certamē

*Theodoret.*

Propriam amittit gloriam, qui diuinam ſibi arrogare præſumit.

12 Verùm, quam ob irreuerentiā contemptibilis fuerat effectus, tàm propter reuerentiam Deo exhibitam honoribus affluit, nam ſubdit Sacer textus, quòd, vt in ſe reuerſus Deum laudare cœpit, ſtatim maiori regimine & gloria à Deo decoratus fuit. *Igitur pòſt finem dierum, ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi: & Altiſſimo benedixi, & viuentem in ſempiternum laudaui, & glorificaui. In ipſo tempore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorē Regni mei decorēq; perueni: & figura mea reuerſa eſt ad me: & Optimates mei, & Magiſtratus mei requiſierunt me, & in Regno meo reſtitutus ſum: & magnificentia amplior addita eſt mihi.* ibidem. Vbi Theodoretus loco proximè citato, *Hæc, inquit, cùm agnouiſſem, & confeſſus eſſem, & gloriam Altiſſimo tribuiſſem, ad me ipſum redij, & priſtinum recepi cum poteſtate Regnum*; quia ſi Deum ſpernendo, ſpernebatur, ſic ipſum honore afficiendo, honorabatur. Quæ omnia cùm ſole ſint clariora, mirùm non eſt ſi ſola Nazareth, quæ Christum paruipendebat, miraculorum gloria exiſtimaretur indigna.

Daniel. c. 4

*Theodoret.*

## Multæ Viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex: cùm facta eſſet fames magna in omni terra: & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. Lucæ cap. 4.

### §. II.

*Ad quam erga pauperes largitatem tàm iuſtus teneatur, quàm pauper, expenditur.*

1 VTinàm audire potiùs mihi liceret, quàm dicere: cur creſcente fame, inualeſcente inopia, & egeſtate laborantibus multis, nō ad magnos, nec ad diuites pro uitæ ſubſidio, ſed ad pauperem viduam, quæ vix vnico die ſe, ſuumq; filium farinæ pugillo ſuſtentare poterat, vt habetur ex 3. Reg. 17. *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululū olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo, vt comedamus,*

*Reg. 17.*

Elias nō ad diuitem, ſed ad pauperculam pro vitæ ſubſidijs miſſus

*mus, & moriamur*, miſſus ſit Elias: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ: & ad nullam illarũ miſsus eſt Elias, niſi in Sarepta*
Luc. c. 4. *Sidoniæ, ad mulierem viduam*. Lucæ 4.
Nam licèt, non tàm ad Eliæ, quàm ad viduæ vtilitatem hoc factum aſſerant multi, vt videlicèr per Prophetæ receptionem viduæ leuaretur paupertas, dùm creſcente oleo, & multiplicata farina, mulieris conſultum eſt egeſta-
Brugenſ. ti. Irà, ceteros vt omittam, Brugenſis. *Miſſus eſt à Deo: non enim propria authoritate id fecit, vt ſcilicèt edito miraculo, farinæ, oleiq; non deficientis ſubleuaret inopiam eius, ac famem*: & paulò infrà. *Hanc prætulit Deus omnibus viduis Iſraeliticis, ad hanc potiùs, quàm ad vllam illarum miſſus eſt Elias, vt edito miraculo iuuaret illam, atq; honoraret*. Tamen; cur ad iſtã potiùs, quàm ad aliã miſſus ſit, adhuc mihi dubitandi reſtat occaſio; quia ſi tunc temporis multæ & viduæ, & egeſtate laborantes reperiebantur, cur, relictis alijs, huic tãtùm prouideri debebat? Cuius tãdèm difficultatis ab allato Brugenſe ſolutionem accepi; ideò fortè ad iſtam præcisè miſſum fuiſſe Eliã, quia omnium erat pauperrima, dùm vix vnius diei alimenta habebat; & tamen à largiendo nõ excuſabatur: vt intelligant pauperes, non tantùm diuites, ſed etiam ipſos pro modulo ſuo egentibus prouidere teneri, inſtar
Brugenſ. viduæ iſtius: de qua citatus Brugenſis.
Nec pauperes à benefaciẽdo excuſantur. *Certè magni Prophetam fecit, quia mox vt ille petiuit, expendit in eius cibum, ac potum quicquid habebat aquæ, olei, farinæ, mortis periculo ſe, ſuumq; filium de cætero exponens*: magna equidèm liberalitas, magna pietas, quæ ſui oblita, alijs conſulere ſtuduit. Verũ, hac pro nũc omiſſa, ad quam tàm diuites, quàm pauperes largitatem teneantur, oſtendo.

2 Pluriès dubitaui, quid per iuſtitiæ nomen intelligere vellet Saluator,
Matth. c. 6. cùm ait. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis, &c.* Matth. 6. & quamuis communis ſit Sanctorum Patrum opinio, per iuſtitiam hic eleemoſynam Saluatorem intelligere. Sic Chryſoſtom.
Chriſoſt. Auguſt. Imperfect. Aymon Druthmar. Euthym. hom. 19. in Matth. Auguſtin. ſer. 60. de tempore. Imperfectus ho. 13. in Matth. Aymon, Chriſtianus Druthmarus, & Euthymius, qui omnes, multique alii pro iuſtitia hic eleemoſynam vertunt, dicendo: *Attendite nè eleemoſynam veſtram faciatis coràm hominibus*. Cui expoſitioni concordat illud Iſaiæ 58. Iſaiæ c. 58.
*Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſq; induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum, & anteibit faciem tuam iuſtitia* Eleemoſyna, cur iuſtitia appellari ſolet.
*tua*. Et illud Dauidis pſal. 111. *Diſperſit,* pſal. 111.
*dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*. Nihilominùs communis, vulgariſq; non eſt difficultas: cùr iuſtitiæ nomine eleemoſyna nuncupetur, vt ſic abſolutè de ea dicatur: *Attendite ne iuſtiam veſtram faciatis*. Si ipſa miſericordiæ opus eſt, iuſtitia qua de cauſa vocatur? An quia tali nomine ad quam pietatem quilibet teneatur, cæleſtis voluit declarare Magiſter? Proculdubio ità ait Paduanus Antonius. ſer. 6. in cap. ieiunij: quia ſicut iuſtitia, ait ipſe, quod ſuum eſt, vnicuique tribuit; ſic eleemoſyna, quod non diuitis, ſed pauperis eſt, à diuite tamen conſeruatum, pauperi tribuit. Perbel-
lè præfatus Sanctus his verbis. *Eſt autẽ* Ant. Pad.
*iuſtitia, qua redditur vnicuique, quod ſuum eſt; & ideò nomine iuſtitiæ poteſt intelligi omnis actus virtutis, maximè qui ſe extendit ad alterum, & præcipuè eleemoſyna eſt actus iuſtitiæ, quia imploranti eſt debitum ſubuenire*: quod etiam nõ obſcuris ver-
bis declarauit Cardinalis Vgo, expo- Vgo. Card.
nens ſuprà citatum locum Dauidis: *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*: his verbis. *Non dixit miſericordia, ſed iuſtitia; quia eleemoſynam erogare pauperi potiùs eſt reddere ſuum, quàm dare alienum: vndè per Habacuc 2. Væ, qui multiplicat non ſua, & congregat contra ſe denſum lutum*. Quid ergo Ex debito diuites eam dare tenentur.
mirum, ſi eleemoſyna iuſtitiæ proponatur nomine, vt ex ipſa eleemoſynæ nomenclatura, ad quam erga pauperes largitatẽ quilibet teneatur, agno-
ſcat. Vndè concludit præfatus Anto- Ant. Pad.
nius. *Specialitèr autem de iuſtitia dùm loquitur, mentionem de eleemoſyna facit, ad quam faciendam, nedùm Diuinum præceptum, verùm etiam naturalis ratio nos inducit*: hæc ipſe.

3 Quod quàm verum ſit, humaniſſimus Abraham inhumano diuiti declarauit, quando inter cæteros ſermones cum eo habitos, ſic eum eſſe affatũ

Mm teſta-

Digitized by Google

Luc.c.16. teſtatur Diuus Lucas cap. 16. *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua:* vbi, vt reliquas omittam difficultates, hæc vna mihi non parua videtur: cùr dicere noluit: recordare, quia habuiſti bona in vita tua; ſic de ſe alio ſceleſto diuite dicente: Luc.c.12. *Anima mea, habes multa bona poſita in annos plurimos*. Lucæ 12. vel ſi dicere poterat: poſſediſti bona in vita tua, dicente Dauide. Pſal.104. *Labores populorum poſſederunt*. Pſal. 104. cur non dixit? Et tādèm ſi incongruum nō erat dicere: accepiſti, ſuſcepiſti, dicente etiam & Iob. Iob c.2. *Si bona ſuſcepimus de manu Domini*. cap. 2. cur potiùs dicere voluit, recepiſti? *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua:* Ex qua difficultate me extraxit Titus Boſtrorum Epiſcopus, quando ait; quòd recipere debitum denotat: vndè res, quæ recipiuntur, ad conſeruandum potiùs, vt opportuno tempore reſtituantur, quàm ad poſſidendum accipiuntur: & quia quod acceperat diues, ad conſeruandum potius, quàm ad poſſidendum acceperat, ut opportuno tempore reſtitueret; ideò dictum eſt ei: recepiſti, non accepiſti. Vlteriùs tamen ſi quæratur: cui talia bona cōſeruare debebat, quibus tantarum diuitiarum erat facienda reſtitutio? Lazaro, cæteriſq; pauperibus reſpondet præfatus Titus: nàm quæ recepit diues, pauperis erant, non diuitis; quia ſi opulentorum facultates pauperum cenſus ſunt, opportuno tēpore reſtitui debent, non retineri: Sic citatus Titus. *Cur Patriarcha non potius dixit ſi: l accepiſti bona in uita tua, quàm recepiſti? recipere enim denotat, & inſinuat debitum; recipiuntur enim, quæ iuſto aliquo titulo debentur*. Quæ inhumanus diues, quia egenti Lazaro reſtituere noluit, meritò infernali igne, ut latro torquetur. Vndè Chryſologus ſer. 66. in Abrahę perſona ad eum ſic ait: *Crudelis fili, quam miſericordiam petis, quam tibi negando, pauperi tu negaſti? Si Lazarus ad tuam menſam ueniſſet, tu ad iſtum diſcubitum non ueniſſes*. Dicatur ergo, & meritò: recepiſti bona, ut ad quam erga Lazarum largitatē teneretur, agnoſceret, & ſe furem & latronē nō ignoraret; dùm pauperi, quod ſuū erat, denegauit.

Tit. Boſtr. Quæ à diuite poſſidentur, nō eius, ſed pauperis ſunt.

Chryſolog.

4 Quam etiam ueritatem, uidelicèt, non ſine magna nota egenti ſubſidium denegari poſſe, cùm ad conſeruandum, atq; reſtituendum potiùs, quàm ad poſſidendum à diuitibus recipiantur bona, obſeruauit Rupertus Holchot lect. 39. ſuper cap. 4. Eccleſiaſtici, Eccleſ. c.4. uerba illa cōſiderans: *Fili eleemoſynam pauperis nè defraudes*: ſi eleemoſyna, dicit ipſe, opus miſericordiæ eſt, ſi gratis ac ſpontè conceditur, cur ſine fraudis, furtiq; nota inopū petitiones fraudari non poſſunt? ipſū audi Rupertum dicentem. *Qui multa bona recipit, & nulla, uel modica indigentibus erogat, fraudem facit: & hoc eſt, quod docet decretum diſt. 47. Sicut hi. Neq; inquit, minus eſt habenti criminis tollere, quàm cùm tu poſſis, & abundans ſis, pauperibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu denegas: nudorum ueſtimentum eſt, quod tu occludis. Tantorū ergo te ſcias inuadere bona, quātis poſſis præſtare, & non velis. Vndè ſcriptū eſt, Fili eleemoſynā pauperis nè defraudes:* hæc ipſe. Ex quibus quàm neceſſarium ſit receptas quandoq; erogare diuitias, colligi facilè poteſt.

Rupertus Holchot. Eleemoſynam denegare indigēti eſt fraudē, & furtū committere.

5 Ad diuitem autem, de quo modò egimus, ſi noſter reuerteretur ſermo, poſſet abſq; dubio queri: cur ſine proprio nomine deſcribatur, de eo dicente Luca: *Erat quidam diues, qui induebatur purpura, & byſſo, &c*. cap. 16. Luc.c.16. Cùm tamen oppoſitum de paupere videatur, de cuius nomine Euangeliſtam, diſtinctè ſic ſubdidiſſe reperimus: *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus*: de diuite ergò cur non ſic loquitur, ſicut immediatè de paupere ſcribere diſpoſuerat, quòd de illo ſatis dicere ſe putabat, ſi diuitem vocaret? *Homo quidam erat diues*. Cuius difficultatis & ſi multæ ſolutiones à Patribus, Sacræq; Scripturæ expoſitoribus afferantur; quarū precipuè illa eſt: quia in iuſtorum libro iniuſtorum nomina deſcribi minimè debent, dicente Dauide: Pſal.68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur*. Pſal. 68. vndè cum iuſto Lazaro iniuſtiſſimi Epulonis nomē deſcribi certè minimè debebat: Tamen aliam rationem aſſignat Titus Boſtrenſis, & eſt iſta: quia cùm hic crudelis & inhumanus eſſet erga pauperes, inopum bonorum

Digitized by Google

norum retentor, iuſtè fur, immò & latro vocari poterat: ideò ſufficiebat inhumanus diues vocari, vt eum furē, latronemq́; intelligeremus. Citatus

*Titus Boſtr.* Lazari deſcripto nomine, cur illud Epulonis reticetur?

Titus. *Hunc tanquàm durum, & in pauperes inhumanum Dominus anonimum, nominiſue expertem inducit, vt exemplo cōfirmet, quod per Prophetam de ijs aliquādo pronunciauerat: Non memor ero nominum eorum per labia mea.*

6 Id ipſum, quod intendimus, quā videlicèt neceſſaria ſit bonorum largitio, non parùm probat homo ille, qui iuxtà Matthæi deſcriptionem, aridam

*Matt. c. 12.*

manum habebat. *Et cùm indè tranſiſſet, uenit in ſynagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam.* cap. 12. Quam infirmitatis ſpeciem conſiderans Bernardinus Senenſis, ait: quæ infirmitas, bone Deus, eſſe poterat iſta, quæ tantùm manum reddebat aridam, & non brachium, nec perſonæ medietatem, vt ſolet apoplexia? Sed non miror, ait ipſe, aridam euaſiſſe manū, quę inopi eleemoſynam nō dedit. Quod fortè indicare volens Saluator, priùs quàm eam ſanitati reſtitueret, ſic ait: *Extende manum tuam*; ac ſi diceret: eleemoſynam largiri, pauperibus benefacere, ad inopes manus, vt mulier illa, de qua

*Prou. c. 31.*

Salomon ait. Prou. 31. *Manum ſuam aperuit inopi, et palmas ſuas extendit ad pauperem*, extendere debes, ſi ariditatem times: vndè extenſa poſteà, quòd ſtatim ſanata ſit, teſtatur Matthæus his

*Matt. ibid.*

verbis. *Extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera.* Nimis acutè hoc myſteriū cōfirmauit citat. Bernardin. to. 4. Dominica 1. pòſt Pentecoſt. de fructibus

*Bernardin. ibid.* Manus arida, ſi ad eleemoſinas extendatur vireſcit.

eleemoſynæ ſerm. 6. art. 2. cap. 2. *Myſticè homini habenti manum aridam Dominus ait: Extēde manum tuam, ideſt, pauperibus eleemoſynas diſtribue, et extendit, ideſt, eleemoſynam diſpenſauit, & reſtituta eſt ſanitati, ſicut altera.* Magna prorſùs infirmitas ariditas eſt iſta, vniuerſalis penè diuitum omnium morbus eſt, manus ad ſe cōtrahere, atq; ad pauperes nō extēdere: mirum propterea nō eſt, ſi arida aliquando deueniat manus illa, quæ iuſtitiā facere ſemper renuit.

7 Nec paupertatis titulo ſe quis apud Deum vnquàm excuſare valebit, quòd eleemoſynam non fecerit, cū quantuncunque pauper de modico modicum quandoq; erogare teneatur. Quod non obſcuris verbis declarauit Iſaias. cap. 58. immò Dominus ipſe per Iſaiam quando præcepit, dicens:

*Iſai. c. 58.*

*Frange eſurienti panem tuum.* Sed (ſalua omni reuerentia) dicere cogor, ò Domine, quòd pietas erga pauperes cōmendetur, certè dignum eſt, quòd indigentibus ſubueniendum ſit, optimè quidèm: ſed panem cur frangi iubes? meliùs nonne eſſet, ſi integer daretur? cur ergo fragmen tantùm dari præcipis dicens: *Frange eſurienti panem tuum?* Cui difficultati ſatisfacit Cęſarius Arelatenſis, cùm ait; quòd pręceptum quidèm de eleemoſyna his verbis continetur: ſed ſermo iſte ad pauperes pręcipuè eſt, non ad diuites, ne quis paupertatis titulo vnicum habens panem, ad eleemoſynam ſe fortè non teneri exiſtimaret; ideò ſic præcipitur: *Frange eſurienti panem tuum.* Manifeſtiùs ac ſi diceret: pauperrimus etiam ſi fueris, licèt tibi vnicus ſit panis; tamen ab inopis ſubſidio minimè excuſaris; cùm ex modico modicū, & ex pane vno fragmen ſaltem erogare poſſis. Pulchrè nimis pręfatus Cæſarius hom. 2. de eleemoſyna his verbis. *Non dixit, ut integrū daret, cùm fortè pauper ille alium non haberet: ſed frange inquit: hoc eſt dicere, etiā ſi tanta tibi paupertas eſt, ut non habeas, niſi unum panem, ex ipſo tamen frange, & pauperi tribue.* Vide nūc, an quis ab hac pietate paupertatis titulo ſe excuſare poſſit, ſi vnici tantùm panis pars inopi negari nō debet? Quod etiam ſalubritèr Tobiæ filio Tobias pater morti

*Cæſarius Arelatenſ.* Etiam pauperes tenētur facere eleemoſynam.

propinquus præcepit, dicens: *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab ullo paupere. Si multū tibi fuerit, abundantèr tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libentèr impertiri ſtude.* cap. 4.

*Tob. cap. 4.*

8 Nunc reminiſcor alteriùs Scripturæ loci à proximè dicto non multū diſtantis. Matth. 10. *Quicumq; potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli: amen dico uobis, non perdet mercedem ſuam.* Quæ verba quotiès priùs conſiderabā, non poteram non mirari, cur de frigiditate fieret mentio? quòd ſitienti potum eſſet tribuendum, non mirabar, cùm ſit charitatis opus, nec quòd Ca-

*Matt. c. 10.*

lix aquę, non vini dicatur; quia fortè in vini defectu aquam tribuere ſatis erit: ſed cur aquæ frigidæ dicatur, non calidæ, difficultatem mihi ingerebat non paruam: nunc autem legens Cæſarium Arelatenſem loco proximè citato, ampliùs non miror, cùm ipſe difficultatē eneruet, dicendo; quòd nè quis ob lignorum inopiam, vel ob vaſculi carentiam, ſe excuſare poſſe putaret, dicitur aquæ, & aquæ frigidæ; vt nullo paupertatis titulo, quòd eleemoſynam non fecerit, excuſationem reddere poſſit: audi ipſum: *Sed quis erit, qui ſe poſſit excuſare, cùm pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe Dominus redditurum promiſerit? Et quarè frigidam dixit? nè fortè poſſit aliquis pauper de lignorum inopia excuſare, aut certè dicere, ſe uaſculum vbi aquā calefaceret, non habere.* Vidiſti quomodo nec ipſe pauperrimus à pauperis ſubſidio excuſare ſe poſſit.

*Cæſarius Arelatenſ.* Etiam pauperrimi eleemoſynas debent erogare.

9 Sed nimis parua pro hac materia ſunt, quæ vſq; modò dixi, maiora dicam, & à vero non deuiare me puto; quòd licèt ipſe pauperrimus tali laboret inopia, vt tantùm panis fragmen, non integrum panem habeat: adhuc tamen priùs inopi, ſaluo ſemper naturali iure, quàm ſibi ſuccurrere deberet, ſi poſſet. Dicat hoc Elias ille, de quo paulò ſuperiùs ſari idm eœpimus, qui ad viduam, vt ſuſtentaretur miſſus, & ab ea cùm panis fragmen petiſſet, reſpondente illa: *Viuit Dominus Deus tuus, quia nō habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* 3. Reg. 17. ſubiunxit ipſe. *Noli timere, ſed vade, & fac ſicut dixiſti: verūtamen mihi primū fac de ipſa farinula ſubcinericium panem paruulū: tibi autē et filio tuo facies poſteà.* Quę conſiderans verba, non poſſum non dicere, vtinàm mihi ad Eliam ſermonem habere liceret: quia proculdubio dicerem, quòd non ad inhumanos diuites, ſed ad pauperculam miſſus ſis; eſto: quia per hoc, non diuites ſolummodò, ſed etiam pauperes, vt paulò ſuperiùs dixiſſe me memini, ad eleemoſynam teneri oſtenditur: ſed ſi ſummā, extremamq; audis egeſtatem, cur tibi priùs prouidendum iniungis? *Fac ſicut dixiſti, verumtamen mihi primùm: tibi autem & filio tuo facies poſteà.* An naturæ leges non percipis, quòd ſic præcipis? At cùm Elias Diuino duceretur ſpiritu, & naturæ leges, & qnid diceret, benè nouit: nam his verbis, taliq; pietatis actu, nedùm viduæ inopiam ſubleuare ſatagebat, cùm nimis quæſtuoſa res ſit eleemoſyna: verùm etiam ad quā pietatem inopes ipſi teneantur, oſtendere voluit, ac tacitè dicere: etiam ſi pauperrimus fueris, vt vidua hæc, licèt extrema paupertate labores, ſi tantùm fragmen panis habebis, ad pietatem adhuc teneris, & ſi fieri poſſet (ſaluo ſemper naturali iure) alteri priùs, quàm tibi conſulere deberes. Mea non eſt hæc cogitatio: ſed Diui Cypriani de opere, & eleemoſynis: ſic dicentis. *Vidua illa, in 3. Reg. libro, cùm in ſiccitate, & fame conſumptis omnibus de modico farre, & oleo, quod ſuperfuerat, fecisſet ſubcinericium panem, quo aſſumpto moritura cum liberis eſſet: ſuperuenit Elias, & petijt ſibi priùs ad edendum dari, tunc quod ſuperfuiſſet, indè illam cum filijs ſuis veſci, nec obtemperare illa dubitauit, aut Eliæ filios mater in fame, & egeſtate præpoſuit.* cuius vltima ſi notabis verba: *Nec obtemperare illa dubitauit, aut Eliæ filios mater in fame, et egeſtate præpoſuit:* ad quā pietatem erga pauperes, inopes ipſi teneantur, ex hoc magno charitatis argumento intelliges.

*3. Reg. c. 17.*

*D. Cyprian.* Pauperes ipſis liberis præponēdi.

10 Atquid ipſum pauperrimum ad eleemoſynam teneri dico, cùm etiā qui nihil prorſùs poſſidet, ab hac pietate erga inopes minimè exemptus dicatur à Diuo Cæſario: quæ res primo intuitu ridicula fortè tibi videbitur, ad eleemoſynam teneri, qui nihil prorſùs habet: nàm qui omninm laborat inopia, dare quid poterit, quòd ad eleemoſynam teneri dicatur? Cui difficultati Cęſarius ipſe reſpondet: ad corporalem largitatē certè teneri non poſſe, qui nihil habet; ad ſpiritualem autem maximè obligari: quod vt clarè videas, ipſum Dominum audi de iniuriarum remiſſione dicentem. *Dimitte, & dimittemini: date, & dabitur vobis.* Lucę 6. per quę verba, ſi notabis, bis iniuriarum remiſſionem præcipi videbis: primò, cùm dicit: *Dimitte, & dimittemini:* ſecundò immediatè, cùm ſub-

*Luc. c. 6.*

ſubdit: *Date, & dabitur vobis:* ſic dicit Cæſarius Arelatenſis: & ſi non deſit, qui dicat, primis verbis inimicorum mandari dilectionem; eleemoſynam uerò ſequentibus: qua de re, quicquid ſit, ſi primam ſequemur opinionem, iniuriarum remiſſionem, cur putas his verbis explicari, *Date, & dabitur vobis*, niſi vt intelligas iniurias remittere maximum eſſe eleemoſynæ genus, à quo etiam qui nihil omninò poſſidet, excuſari certè non poteſt: nec immeritò vtrunque ſimul iniuriarum, videlicèt, remiſſionem, & erga pauperes pietatem iuxta ſecundam opinionem ponit: vt intelligas, quòd ſi temporalia erogare non vales, ſaltē à ſpirituali eleemoſyna excuſari nō poteris: Præfatus Sanctus hom. 9. de eleemoſyna. *Si aliquis ità ſit pauper, vt nec aurum habeat, nec frumētum, nec vinū, nec oleū, vnde corporalem eleemoſynā faciat: quia non poteſt fieri, vt ab aliquibus hominibus non patiatur iniuriam, toto corde omnibus inimicis indulgeat, & implebitur illud, quod Chriſtus in Euangelio dixit: Date, & dabitur vobis. Videte fratres chariſſimi, quòd in hac eleemoſyna nullus ſe poteſt excuſare, nec aliquam rationem reddere poterit, quòd eam implere non poſſit.* Audiat hæc diues, audiat & pauper: ille vt ad inopes manus extendat, non modica largiendo, tùm vt diuinis iuſſionibus ſatisfaciat, tùm vt temporales diuitias in æternas vertat: dicente Chryſologo ſerm. 8. *Theſaurus Cæli eſt manus pauperis, quod ſuſcipit, nè in terra pereat, reponit in Cælum. Da nummum, vt accipias Regnum. Da micam, vt accipias totum. Da pauperi, ut des tibi:* iſte verò cordis manus, vt ita dicam, ne contrahat, inimicum ſemper amando, iniuriaſq; remittendo, vt & ſibi à Deo remitti intelligat: & Cæſarij Arelatenſis monita ad ipsū præcipuè data. *Vnuſquiſq; ergo ſecundùm uires ſtudeat, ne ad Eccleſiam uacuus ueniat, debet enim aliquid exhibere, qui optat accipere ipſe, cùm dicat. Date & dabitur uobis, ut cautionis uinculum teneamus*, audire ſtudeat ſemper, & exequi.

*Cæſarius Arelatenſ.*

Etiam qui nihil habet, eleemoſynā facere tenetur

*Chryſolog.*

Manus pauperis eſt Cœli theſaurus.

*Cæſarius Arelatenſ.*

Per eleemoſynam Cœli aliquam cautionē tenemus.

## Repleti ſunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes.

## Lucæ 4.

### §. III.

*Iurè optimo norma cēſeri poteſt principum vita, cùm eam adamuſſim ſectari ſtudeant ciues.*

1 PRincipes populi, qui ob Chriſti virtutem, & gloriam inuidiæ tabeſcebant liuore, redarguebat Saluator: legis doctores, ac Synagogæ magiſtros, qui tā ob cæleſtis Præceptoris doctrinā, quā ob miraculorū magnitudinē cōfuſi, atque perterriti, quid ampliùs dicerent, non habebant, vehementèr obiurgabat, dicēdo: *Amen dico uobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. In ueritate dico uobis, multæ uiduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt Cælum: & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo Propheta: & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus:* & tamen nō ipſi tantùm, ſed vulgus etiam indignatur, & furit, dicente Euangeliſta: *Repleti ſunt omnes in Synagoga ira.* Quid eſt hoc, niſi quia quantum ſapio, quantum capio, Principum vita exemplar eſt, quod iugiter vilis plebecula imitari conatur; iuxtà illud Eccleſiaſtici. c. 10. *Secundùm iudicē populi, ſic & miniſtri eius.* Vbi Cornelius à Lapide: *Ad principis mores & vitam, quaſi ad normam & exemplar conformāt ſe primò miniſtri eius, deindè cæteri ciues, & ſubditi:* quod & agnouit Tullius, qui lib. 1. officiorum ait: *Quales in Republica Principes fuerint, tales erunt & ciues.* Et confirmauit Carthuſian. ſuper citatum locum Eccleſiaſtici: *Simile applaudit ſuo ſimili, & ſerui frequenter conformant ſe voluntati Domini ſui, eamque exequuntur, & qualis eſt Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea:* ex quo in præſentiarum mirum non eſt, ad principum turbationem,

*Luc. c. 4.*

*Eccleſ. c. 10*

*Cornelius à Lapide*

*M. T. C.*

Principum vita ſubditorum norma.

*Carthuſ.*

Simile ſimili applaudit

populi

populi indignationem accedere. *Repleti ſunt omnes in Synagoga ira:* quia qualis eſt Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea. Cuius rei non ignarus
Ageſilaus Lacedemoniorum Rex, interrogatus: cur hyemis tempore Ciuitates circuiret & Oppida? reſpōdit. *Quo iuuenes imitentur & ſenis, & principis exēplum.* Quia ſciebat admodùm verum eſſe, quod vita principis ſubditorum
eſt norma, iuxtà illud Claudiani *(Ageſilaus; Claudian.)*

> *Regis ad exemplum totus componitur Orbis:*
> *Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus,*

De qua re & ſi multa afferre poſſem, potiora tamen adducam.

2 Ac antè omnia ſeruorum Epulonis crudelitatem, & inhumanitatem tibi in mentem reduco; nam vt Lucas deſcribit cap. 16. quamuis quotidiè Lazarum fame tabeſcentem, & inopia pereuntem viderent, nemo tamen eorum ei aliquid dare dignabatur. Vndè Euangeliſta: *Erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, et nemo illi dabat:* Magna crudelitas, magna inhumanitas! ſed vndè exutis pietatis viſceribus feris feriores, ac tigribus crudeliores erga pauperē ſe oſtenderent iſti, excogitaui multoties; & tandèm die quadam caſu Plinium percurrendo, ipſum in prologo Traiani reperi dicentem: *Vita principis cenſura eſt, eaq; perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tàm imperio nobis opus eſt, quàm exemplo,* conſequentiam deduxi: ideò impios erga pauperem ſe oſtendiſſe ſeruos, quia erga eos inhumanus erat dominus; nam, ſi (vt modò dictum eſt) *Vita principis cenſura eſt, ad quam ſubditi diriguntur,* fieri vix poterat, quòd ab Epulone diſcreparent famuli. Meum non eſt hoc, quod dico, ſed Carthuſiani, qui art. 39. verbis illis: *Nemo illi dabat.* Lucæ 16. ſubdit: *Quo conſtat, quòd non ſolùm diues ille, ſed & miniſtri eius duri, immiſericordiſſimique fuerunt, qui infirmo, egeno, famelico, tàm parua negabant. Crudeles namq; & immiſericordes Domini habere ſolent familiam ſibi conſimilem: iuxtà quod in Eccleſiaſtico legitur, ſecundùm Iudicem populi, ſic & miniſtri eius.* Aurea ſanè omnia, ſed præcipuè illa: *Immiſericordes Domini habere ſolent familiam ſibi conſimilem,* optimè noſtrum probant inſtitutum, quòd videlicèr adamuſſim ſubditi ſuperioris ſequantur veſtigia:

*Luc. c. 16.*

*Plinius.*

Superiorum vita cenſura eſt, ad quam ſubditi greſſus dirigunt

*Carthuſ.*

Seruorum crudelitas dominorum crudelitaté teſtatur.

3 Aut nihil, aut parùm ab hoc, quod de Epulonis ſeruis modò diximus, diſcrepant, quæ de Ieroſolyma narrat Matthæus c. 2. videlicèt, quòd cùm ob Chriſti Domini Natiuitatem turbaretur Herodes, Ciuitas tota cum illo turbari viſa fuit: *Turbatus eſt Herodes, & omnis Ieroſolyma cum illo;* nam quòd aduentu noui regis mœrore afficeretur Herodes, nil mirum; quia ſe tyrannum non regem agnoſcens veri Regis timebat aduentum: ſed quòd Ieroſolyma, quæ tàm ardenter proprij Regis, liberatoris, ac Meſſiæ expectauerat aduentum, turbetur, intelligere haud facilè poſſem, niſi Carthuſianum difficultati occurrentem, legiſſem, qui art. 4. ſuper idem hunc ait in modum: *Multi quoque turbabantur, quoniam Herodi applaudere, atq; fauere volebant, conformantes ſe Domino ſuo:* quod idem erat, ac dicere: ſi ſerui dominorum ſequuntur veſtigia, ſectantur mores, & imitantur exempla, quid mirum, ſi turbato Herode, turbentur omnes, dū regi per hoc applaudere ſtudebant. Verè de ipſis, quod Lactantius lib. 4. diuinarum inſtitutionum ait: *Quoniam mores, ac vitam Regis imitari genus obſequij iudicatur, abiecerant omnes pietatem, ne exprobraſſe ſcelus Regis viderentur, ſi piè viuerent,* dicere poſſumus: nam ne Herodis turbationem, ac impietatem exprobrare viderentur, abiecta Meſſiæ expectatione, omnes ſe turbatos oſtenderunt.

*Matth. c. 2.*

Herodi conformare ſe volens Ieroſolyma, turbato illo turbatur, & ipſa

*Carthuſ.*

*Lactant. Firmian.*

Obſequij exiſtimatur genus, regū mores ſectari

4 Accedit ad dicta, locus ille Danielis 5. *Rex Baltaſſar ſatis conturbatus eſt, & vultus illius immutatus eſt: ſed & optimates eius turbabantur;* quia ſi digiti erant turbationis origo, cùm ipſi non contra optimates, ſed contra ſacrilegum regem, qui in contemptum Dei vaſa aurea, quæ ei dicata fuerant, afferri præceperat, & in eis nō tātū ipſe biberat, ſed & vxores, ac cōcubinas bibere fecerat, ſatis iuſtam, & regni priuationis, & mortis ſententiā ſcriberēt,

*Daniel. c. 5.*

rex

rex non optimates turbari debebant; tamen & hi cum illo turbabantur: quia

*Euthym.*

ſicut Euthymius ſuper c. 2. Matthæi ait: *Turbatio Regis turbatio populi eſt, & turbatio magiſtri turbatio diſcipulorum eſt*:

**Principum clades ſuas exiſtimant ſubditi.**

quamuis, nec contra eos digiti ſcriberent, nec ad eos pertineret ſcriptura: tamen cùm mores, ac vitam regis imitari, vt paulò ſuperiùs diximus, genus obſequij ſit, turbato rege; turbantur & ipſi.

**Vulgus Regis vmbra.**

5 Nec mirum, quòd regis turbationem optimates ſequerentur & ſerui; quia adeò poſſunt apud ſubditos ſuperioris exempla, vt vulgares homines Solon Athenienſis, ſicuti Laertius

*Laertius*

in eius vita ſcribit, principum vmbras nuncupare ſoleret: nec ab re quidèm, quia ſi nil penitùs à corpore diſcordat vmbra, nil à principe differre ſolet vulgus. Vndè cecinit Lucanus.

*Lucan.*

*Scilicet in vulgus manant exempla regentum.*

*Iſid. Sicul.*

Et quidem ſic manãt, vt aſſerat Iſidor. Siculus de fabulis antiquis c. 4. quòd dominos, ac reges non tantùm in moribus, & actibus; ſed etiam induſtriè in corporis elegantia, vel defectu ſubditi imitẽtur: vndè ſi monoculus, vel claudus rex extitiſſet, alterum ſibi oculum eruiſſet, vel crus debilitaſſet populus, ne in hoc à Rege diſſimilis eſſe videretur. Vndè ſatis iuſtè, & princeps norma, ſiue lex dici ſolet, iuxtà illud

*Ariſtotel.*

Ariſtotelicum axioma: *Princeps animata lex eſt*: & eius mores iura non ſcripta vocantur à Philone Hebræo lib. de

*Philo.*

**Animata lex cenſeri ſolet princeps, & quare.**

Abraham Patriarcha. *Principum mores leges ſunt, & iura non ſcripta*: quia ſic omnes ipſum imitari ſtudent, ac ſi ab eo diſcordare legis eſſet præterire mandata: ex quo non verbis, ſed vita; non legibus, ſed moribus; non præceptis, ſed exemplis; quod à ſubditis fieri cupiunt, præcipere debent. Quam rem agnoſcens Aurelius Imperator, vt refert Herodianus lib. 1. volens philoſo-

*Herodian.*

phicas exercitationes in ſuo Imperio penè languentes excitare, primus omnium in gymnaſium ingreſſus, facilè reliquos poſt ſe traxit.

6 Quid poſteà de Sanctiſſimo Dauide dicam? qua docendi ſerie, qua ſermonis luculentia, quibus verbis pluſquàm diſertis ad rectam mandatorum obſeruãtiam populum induceret, ſi noſcere cupis, quid in acie multa ſiti æſtuans, egerit, conſidera: & videbis; quòd quàm ardentèr aquam optauit: *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt iuxta Bethlebem ad portã!* 2. Reg. 23. tã libentèr eã

*2. Reg. c. 23*

Domino offerendo, bibere recuſauit. *Irruperunt ergo tres fortes caſtra philiſthinorum, et hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, et attulerunt ad Dauid: at ille noluit bibere, ſed libauit eam Domino, dicens: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc.* ibidem: qua in re communitèr Sacræ Scripturæ expoſitores ſenſiſſe reperio; propterea Dauid bibere renuiſſe, vel quia in hoc Sanctorum Patrum deſiderium, qui Verbi incarnationem in aqua iſta figuratam ſummoperè exoptabant, exprimebat. Vndè Angelomus Monachus: *Cæterùm ſpiritaliter, quem in hoc deſiderio ipſe Dauid præfigurauit, niſi omnes Sanctos Patres, qui ante legem, uel ſub lege fuerunt, qui aduentum Saluatoris præſtolantes, ad eius præſentiam peruenire nequiuerunt? Illum videlicet fontẽ ſitientes, in quo eſt remiſſio peccatorum*: vel vt intemperantiam vinceret; quia vt dicit Sanctus Antoninus ſer. 2. art. 6. de gula c. 1. *Species gulæ eſt nimis ardenter, ſeu nimia auiditate cibum, vel potum ſumere: propterea Dauid aquam concupitam effudit, & noluit bibere*: hactenus ipſe: verùm, cur in acie potiùs, quàm alibi hoc maximum abſtinentiæ exemplum præbere voluerit Dauid, explicat Ambroſius in Apologia de Dauid 1. c. 7. *In valle Titanum bellum immane ſuſcepit, non minùs aduerſùs hoſtem, quàm aduerſùs naturam. Sitiens enim cùm verſaretur in bello, quod biberet non habebat. Quis mihi potum, inquit, dabit de lacu, qui eſt in Bethlehem ad portas?* Et paucis interiectis, quod magis ad rem noſtram facit, ſubdit: *Vicit ergo naturam, vt ſitiens non biberet, & exemplum de ſe præbuit, quo omnis exercitus tolerare ſitim diſceret.* Sciebat vtiquè, ſciebat optimè Sanctus hic Rex, quàm valida ſit intemperantiæ tentatio, vt poſtea de ea dixit Rupertus Abbas in cap. 4. Matthæi lib. 3. *Peſtis iſta, ſcilicet, vitiũ gulæ permaxima eſt vexatio generis humani, ex quo ſuboriuntur plurima ſaua, atq; mortifera vitia carnis, & hæc iniqui-*

*Angelom. Monach.*

**Verbi incarnatio, quàm ab antiquis patribus optata.**

*S. Anton. Arch. Flo.*

*Ambroſ.*

*Ruper. Ab.*

**Maxima generis humani vexatio gula.**

tas

*tas accidit ex radice peccati, quia primus homo, de quo ſupra dictum eſt, vetitum lignum momordit* Iacò in palæſtra corã toto exercitu optatam aquam non bibit, ſed effudit, vt abſq; verbis, atque præceptis ſitim vincere, ac intempetantiam ſuperare addiſceret populus, qui plus Regis attendebat exempla, quàm verba.

7 Planè adeò verum eſt principũ vitam ſubditos imitari, vt præcepta quodammodò videri ſoleant eorum mores & opera, vt paulò ſuperiùs tetigi: Ad cuius veritatis probationem non parùm faciunt verba illa principis Sacerdotum: *Ecce audiſtis blaſphemiã, quid vobis videtur?* Matthæi 26. quæ nõ

*Matt. c.26.*

paruam SacræScripturæ Expoſitoribus fandi materiam tribuunt, cur contra iuris præcepta non Actores à Iudice, ſed Iudex ab Actoribus ſententiã extorquere conaretur, dicendo: *Ecce audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur?*

*Enthymius.*

Cui difficultati, & ſi penè communitèr reſponderi agnoſcam, malitioſè à Sacerdotum Principe id factum fuiſſe, quia per hoc populum contra Chriſtum prouocare intendebat; vt ſic ſuæ ingentes inuidiæ, atq; liuoris faces, quibus intùs adurebatur externis populi vocibus operiret. Vndè Euthymius: *Auxit etiam ſuo dicto accuſationẽ, blaſphemiam uocans reſponſum, ut exindè cæteris uiam faceret ad eum accuſandum.* Et Carthuſianus art. 42. *Interrogat alios, ne proprio ſenſui nimium credere uideatur, & alios contra Chriſtum inflammet, & prouocet.* Chryſoſt. nihilominùs dicere placuit, præfatis verbis Sacerdotũ Principũ, nedũ populũ contra Chriſtum prouocaſſe, atque incendiſſe, ſed etiam (ſi dicere licet) impuliſſe, cuius verba ſunt. *Hæc dicit, urgens quaſi atque impellens aduerſùs eum ſententiam proferre.* hom. 82. in cap. Matthæi 26. quam ſententiam nullatenùs capere poſſem, quòd videlicèt, dicendo: *Quid vobis videtur?* populum nedùm prouocaret, ſed impelleret, atque vrgeret; niſi Quintilianum legiſſem, qui Declamatione 8. dicit: *Hæc eſt conditio principum, vt quicquid faciunt, præcipere videantur:* Ex quo intellexi, quòd benè turbas contra innocentiſſimum Dominum impellere dicebatur Sacerdotum Princeps; quia quod verbis ſuadebat, motibus præcipere videbatur: nã ſi vera eſt modò allata Quintiliani ſententia, principis mores præcepta quodammodò eſſe; cùm *Quicquid faciunt, præcipere videantur*, dum ipſe contra Saluatorem ſe crudelem oſtendebat, vt idipſum turba efficeret, quodammodò præcipiebat.

*Euthym.*

*Chryſoſt.*

Prælati vita ſubditos quodammodò vrgere, atque impellere videtur

*Quintilian.*

Eius mores præcepta vocari poſſunt, & quare.

8 In qua re ſi gradum aliquantiſper ſiſtemus; populi voces, ac reſponſa perſonare audiemus, ſubdente Euangeliſta: *Reſponderunt omnes: Reus eſt mortis*: quam ſententiam conſiderans Brugenſis, dicit; quòd blaſphemus morte ſit mulctandus, eſto, cùm lex id præcipiat: ſed cur an blaſphemauerit, non inquiritis? An neſcitis, antè inquiſitionem de corpore delicti eſſe inquirendum? vt habetur l. 1. §. item illud. ff. ad *Syll.* & quòd ad ſententiam procedi nullatenùs poſſit, niſi probato delicto Gloſ. in cap. quamuis 11. q. 3. Abb. cap. illa præpoſit. de accuſ. Et denique ſi probationes luce meridiana clariores eſſe debent, vt ſancitum eſt L. ſciant cuncti C. de probationibus: quomodò omni prætermiſſo iuris ordine, abſq; alia inquiſitione ſententiam profertis, mortis reum vocando, quem nondùm an blaſphemauerit, inquiſiuiſtis? Sed proh nephas! ſic principis vrgebantur exẽplis, & (vt ita dicã) impellebantur moribus, quòd, vbi primũ ille omni prætermiſſo iuris ordine, innocentem, reum; ſanctum ac impeccabilem, blaſpemum; & Deum hominem morte mulctandum aſſerebat, ipſi, vt cruentæ belluæ abſq; alia diſcuſſione innocentis ſanguinem effundere ſtuduerunt, dùm reum mortis proclamant. *Iuſtam* (ait citatus Brugenſis) *& legi conſonam ferunt ſententiam, poſita blaſphemia: ſed in eo peccãt, quòd cedant Pontifici vrgenti blaſphemiã manifeſtam, neq; dicant liberè, priùs diſcutiendum eſſe, an ille loquutus ſit blaſphemiam, quàm ſtatuatur de pæna. Verùm applaudere, & adulari omnes ſtuduerunt Pontifici Maximo; authoritas enim ſumma pontificis cunctos potuit permouere, & in ſententiam ſuam pertrahere.* Ecce tibi cur abſq; alia inquiſitione, & ordine innocentem, iuſtum, & ſanctum condemnent, quia *Cedunt Pontifici vrgenti*;

*Matt. c.26.*

*Brugenſ.*

Ab eo diſcordare præcepti exiſtimari ſolet transgreſſio.

quia

quia illius mores, præcepta, & illius liuor, atq; crudelitas impulſio quodammodò videbatur.

9 Inſtantèr propterea in qualibet electione orandus eſt Deus, vt bonum rectorem, gubernatorem, ac Prælatum concedere dignetur: nàm ſecùs ſi præficietur indignus, reliquos omnes ſuo exemplo ad indignitates, & vitia facilè trahet: quod & agnouit Plinius iunior, qui dicere ſolebat. *Vt in corporibus, ſic & in Imperio grauiſſimus eſt morbus, qui à capite effunditur*, lib. 4. Epiſt. ad Sempr. Ruff. Et expreſſit Dauid, cũ nefariæ, ac ſacrilegæ conſpirationis populorum contra Dominum, ac cõtra Saluatorem rationem regibus potiùs, quàm ſubditis aſcripſit, dicendo: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterũt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſùs Chriſtum eius.* per quę nil aliud dicere videbatur, niſi, ꝙ contra Saluatorem, vt cruentæ belluæ inſurgat vulgus, ne miremini; quia vt ſęuiſſimę tigres contra ipſum ſe oſtendebant Reges: Vndè Carthuſianus ſuper 1. Reg. cap. 7. in myſtica expoſitione dicere ſolebat. *Quo conſtat quantum bonum, & quàm præfulgidum Dei donum ſit idoneus, & condignus paſtor: ideò verè ait Scriptura: Multitudo Sapientũ ſanitas eſt Orbis terrarum, & Rex Sapiens ſtabilimentum populi eſt*; cùm à Superiore ſubditos diſcrepare raro accidat.

Plin. iun.

Pſal. 2.

Cur ſubditorum peccata Prælatis aſcribatur.

Carthuſ.

10 Paulatim nunc intelligo, quomodò Reges, ac Principes ſubditos peccare faciant: de impijſſimo Manaſſe ſacra dicente Pagina. *Peccare fecit Iudam, vt faceret malum coràm Domino.* 4. Reg. 21. quod antehac me non parũ laborare faciebat, & quomodò viros, quos in poteſtate conſilij ſui conſtituit Dominus, quibus infernus totus malum ſuadere quidèm poteſt, ſed ad illud impellere nequaquam valet, cùm non neceſſitate, ſed voluntate: non coactione, ſed deliberatione in malum ruant, peccare facere poſſet Manaſſes, ꝙ dicitur: *Peccare fecit Iudam*: minimè intelligebam: modò quantũ regẽtium exẽpla apud ſubditos valeãt, intelligẽs; nõ miror, ſi populũ peccare fecit Manaſſes: quia licèt eũ nõ cogeret, nec ad peccandum vrgeret; quod quidem efficere nullatènus poterat; tamen quia principum vita viua lex eſt, & ipſorum mores iura non ſcripta, vt paulò ſuperiùs dixiſſe me memini, sũt; peccando, peccare fecit, & turpitèr viuendo, turpitèr viuere docuit, quę Toſtati fuit sẽtentia dicentis. *Nõ ſolũ ipſe peccauit; ſed & peccare fecit populũ: non eſt autẽ intelligendũ hoc, ꝙ ipſe cogebat aliquos colere Idola, ſicut coegit Ieroboã Rex Iſrael præcedenti lib. c. 12. & Acab cogebat Iſraelitas adorare Baal; ut colligitur ex c. 19. ibid. ſed quia Rex erat, et populus volebat imitari eum, vt mereretur gratiam ſuam; ideò ipſe dicebatur feciſſe, vt peccaret populus, et dicitur: in immunditijs ſuis.* q. 12. ſuper idem: itaq; de Ieroboam, alijſq; regibus populum ad idololatriam compellentibus, quòd peccare populum fecerint, non ſcribitur; de Manaſſe autem qui hoc minimè effecit, aſſeritur: quia plus moribus, vita, & exemplis fecit ipſe, quàm legibus, violentiis, ac cędibus fecerunt illi.

4. Reg. c. 2.

Manaſſen populum peccare feciſſe, quomodo intelligendum.

11 Hinc ſubditorum peccata non tàm ipſorum, quàm ſuperiorum dici ſolent: ex quo fit, vt propter ipſa non illi, ſed iſti à Deo puniantur multotiès. Ad cuius rei probationem Saulis eiectionem, atq; punitionem adduco, quę ex alio capite orta fuiſſe non dicitur, niſi ex inobedientia: quia videlicet, contra Dei iuſſionem, & Amalecitarum regi pepercit, & optima quæq; non demoliri, nec vrere; ſed conſeruare, atq; aſportare ſtuduit: Ità habetur in 1. Reg. cap. 15. *Pepercit Saul, & Populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus, & arietibus, et vniuerſis, quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea: quicquid verò vile fuit et reprobum, hoc demoliti ſunt*: circà quam rem ſicuti, quòd Saulis inobedientia regni ſpoliatione, & vitæ priuatione mulctaretur, non miror; ſic quòd totalitèr ſibi aſcriberetur culpa, clarum cũ ſit, populum etiam ea minimè fuiſſe immunem, dicente ſacra pagina: *Pepercit Saul, & populus, et c.* penitùs non intelligerem, niſi Ieremiam legiſſem dicentem: *Quia ſtultè egerunt paſtores, et Dominum non exquiſierunt; propterea omnis grex eorum diſſipatus eſt.* cap. 10. quæ verba nil aliud ſignificare videntur, niſi quòd grex per deuia ambu-

1. Reg. c. 15.

Ierem. c. 10

ler, paſtoris eſt culpa, cũ eius ſequatur veſtigia; & q̃ populus Dei legẽ aſpernetur, Princeps in cauſa eſt, cùm eum ſequi ſtudeat, & imitari. Vndè Gregorius. *Dùm paſtor per obrupta graditur, grex per vitiorum deuia ſequitur*. Vndè Ieremias. *Quia ſtultè egerunt, et c*. Mirum igitur non eſt, quòd populi culpa Principi aſcribatur, & quòd inferiorum pęnas ſuperiores luant; quia ſi illos vitæ exemplis ad peccandum inducunt, in omnibus ipſi peccare dicuntur: & proptereà omnium culpas portare debẽt & pœnas. Vndè Chryſoſt. de bonis, maliſq; Prælatis hunc loquitur in modũ. *Peccante populo, vnuſquiſq; quidèm pro ſuo peccato punitur: Sacerdos autem pro peccatis omnium: et benè agente populo, vnuſquiſq; quidèm pro ſuo bono remuneratur; Sacerdos autem pro bonis omnium*. hom. 61. ex cap. Matth. 24. Ex quo facilè ſolui poterit difficultas: cur unà cũ populo peccando Saul, ipſe non populus diuinã expertus eſt iram? Quia ſubditorum peccata ab ipſius exemplo originem duxerant.

*Gregor.*

*Chryſoſt.*

Populi portant peccata Pręlati

12 Nunc tactæ à Chryſoſt. difficultati locum dare nõ erit incongruũ; cur videlicèr eodem ſacrificio, quod pro totiùs populi peccato offerri debebat, illo eodem prorsùs Sacerdotis peccatum expiari debebat, iubente Deo, atq; dicente. *Si Sacerdos, qui vnctus eſt, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino, etc*. Leuit. 4. & nõ multis interiectis. *Quod ſi omnis turba Iſrael ignorauerit; et per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini eſt, et poſteà intellexerit peccatum ſuum, offeret pro peccato ſuo vitulum*. Si ſatisfactio delicti menſuræ reſpondere debet, quomodò vnicum Sacerdoris peccatum eodem ſacrificio, quo omnia populi peccata expiabantur, expiari debebat? An fortè vna Sacerdotis culpa omnibus populi æquipollebat delictis? Ità ſanè ait præfatus Chryſoſtomus: nam ſi æqua lance librabuntur, vnius pondus omnium pondere minimè excedetur; & ratio eſt: quia cùm, vt plurimum, populi errata à Superioris exemplo originem ducant, quòd per deuia gradiatur grex, paſtoris eſt culpa; & ſic cum nullius peccati ſit expers, vna Prælati tranſgreſſio totiùs populi transgreſſionibus æquipollet; Præfatus Chryſoſtom. lib. 6. de ſacerdotio. *Tantundem pro Sacerdotibus; quantum pro vniuerſo populo ſacrificium offerri præcepit. Quod quidèm quid aliud ſignat, quàm Sacerdotis vulnera maiori medicamento, atq; auxilio indigere, atq; adeò tantò, quantò coniuncta ſimul vniuerſi populi vulnera indigẽt. Verò maiori nequaquàm indigerent, niſi ea grauiora forent. Atqui grauiora certè ſiunt, non natura ipſa, ſed Sacerdotis, qui ea cõmiſerit, conditione, ac dignitate*.

*Leuitic. c. 4.*

Eorum peccata coram Deo ſemper maxima apparent.

*Chryſoſt.*

Eorum vulnera maiori medicamine indigent.

13 Tãdem pro hac materia Epulonis verba adduco. *Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinq; fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum*. Lucæ 16. Et vndè tàm ardentèr fratrũ ſalutem zelaret, quòd reſpondente Abrahamo; *Moyſen habent & Prophetas: audiant illos*, adhuc inſiſtebat inſtãtiùs: *Non, Pater Abraham; ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent*, libentèr audirem: nàm ſi in damnatis nulla viget charitatis affectio, ad hæc dicenda, vndè moueri potuerit, prorsùs non intelligebam: poſtquàm verò Lyranum audiui dicentem; *Dixit hoc, non ex charitate ductus, cùm illam nõ haberet, ſed timore ſeruili, ne ipſorum conſortio eius pœna augeretur*; alterius difficultatis mihi aperta eſt ianua: quomodò vnius damnati pœna per acceſſum alteriùs augeatur; ſi pœna culpæ correſpondet, qui culpam augère non poteſt, nec pœnam ſibi cumulare valet: & ſi diues iſte, cùm iàm eſſet in termino, nec mereri, nec demereri poterat, quo pacto fratrũ dãnatio pœnæ ei erat accretio? Verùm ipſummet Lyranum difficultatem enucleare reperio his verbis. *Fratrum conſortio eius pœna augebatur, quia fuerat eis occaſio peccandi exemplo malæ vitæ, quod eis dederat ad ſequẽdum*. Sciebat equidẽ, ſciebat miſer in fratrum pectoribus ſuæ vitæ vigere exempla, & eorum damnationem ex ipſius culpa non parùm pẽdere, cùm maiorum vita minorum ſit norma: Proptereà ergo timebat, nè illorum ruina ſibi maioris pœnæ eſſet accretio. Verùm, quod ſerò agnouit Epulo, opportuno tempore, qui præ-

*Luc. c. 16.*

Cur diues Epulo fratrum ẓ labatur ſalutem

*Lyranus*

*Lyranus.*

ſunt

ſunt, intelligant, nè & ipſi tunc oculos aperire cogantur, quando clauſa erit pietatis ianua: nàm vt ait Hieronym. in quadam Epiſtola ad Heliodorum ſeripta ſemper ſubditorum oculi Superiorem inſpiciunt, vt eius ſequantur

Hieron. vestigia, & imitentur mores. *In te omnium oculi diriguntur, domus tua, & conuerſatio, quaſi in ſpecula conſtituta, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ, quicquid feceris, id ſibi omnes faciendum putant.* Quod ſi ex dictis ſatis patet, ad quæ probitatis exempla teneantur, qui præſunt, intelligant.

Principum conuerſatio publicæ diſciplinæ ſpeculum.

## Surrexerunt, & eiecerunt eum extrà Ciuitatem, & duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, ſuper quē Ciuitas eorū erat ædificata, vt præcipitarent eum. Luc 4.

### §. IV.

*Adeò in Daboli gymnaſio proficere ſolent peccatores, vt quandoq; Magiſtrum in ſceleribus vincere, ac ſuperarare videantur.*

1 GEnitricem odij veritatem contra eum, qui proprio ait ore. Ioan. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita,* odium parere nō miror; quia ſicuti oculi ægri lucem, qua ſani delectari ſolent, aſpicere nequeunt; ſic qui vitiorum ægritudine laborat, ægrè fert veritatis lumen, iuxtà illud Ioan. 3. *Qui malè agit, odit lucem.* Vndè Plato, teſte Stobęo, dicere ſolebat: Veritatem ſeueriſſimam narrationem eſſe, nec veritatis lumen aſpicere, nec iuſtam vitiorum ſuorum narrationem audire poterant peccatores, dicente Euangeliſta: *Repleti ſunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes.* Lucæ 4. Et ne multùm in longum difficultatem protrahā, Synagogæ magiſtros, atq; Doctores mortem Chriſto moliri mirabile non mihi videtur; dùm noſco ad libranda ſceleſtiſſimi Baltaſſar crimina, non hominem, ſed digitos tātùm hominis apparuiſſe: *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie aulæ Regiæ: & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis.* Daniel. 5. Quia fortè reperiri vix potuiſſet, qui vel effugere, vel patientèr ferre potuiſſet reprehenſi Regis furorem: dùm igitur tantùm contra reprehendentem deſæuire ſoleat reprehenſus, quod Saluatori crimina obijcienti mortem moliātur Iudęi, magnum apparere nō debet: ſed quòd nō lapidibus obruere, non enſe tranſuerberare, nec alio mortis genere eum interficere vellent, niſi præcipitem dare, myſterio ſanè non uacat. Quā rē tādèm ex Ericio percepi, dicente: quòd propterea Dominū è mōtis cacumine deijcere voluerūt iniqui, vt in hoc Diabolo ſe nequiores oſtenderent: nam ſi ille deſcēſum ſuaſit: *Si Filius Dei es, mitte te deorſum.* Matth. 4. iſti adoriuntur, vt deorſum mittant. *O peſſimo magiſtro* (clamat præfatus Ericius) *peiores diſcipuli! Diabolus enim tantùm Dominum tentat verbo, iſti facto. Ille hortatur, vt deorſùm ſe mittat: iſti adoriuntur, vt mittant.* Aurea prorſùs verba, quibus quàm in Diaboli gymnaſio proficiant peccatores, oſtenditur; dùm Magiſtrum ipſum quandoq; vincunt, & ſuperant. Vndè Carthuſ. art. 11. ſuper idem. *Imitantur Diabolum, qui dixit ad Chriſtum, mitte te deorſum: imò quantū ad hoc, illo peiores ſunt, quia quod ille ſuggeſſit, iſti facere ſunt moliti.* De qua re, ſat erunt ſequentia.

Ioan. c. 14. — Idem c. 3. — Stob. — Nunquam non inuiſa veritas. — Luc. c. 4. — Daniel. c. 5. — Matt. c. 4. — Ericius. — Diabolo peiores quandoq; ſe oſtēdere ſolent peccatores. — Carthuſ.

2 *In Cælum conſcendam, ſuper aſtra Cæli exaltabo ſolium meum, ſedebo in mōte teſtamenti in lateribus Aquilonis.* Verba ſunt Iſaiæ. cap. 14. Per quæ Luciferi ſuperbiam explicari non dubito, dicēte Lyrano. *In Cælum conſcendam, id eſt ſuper alios Angelos: Sic enim voluit præeſſe alijs Angelis indebitè, ſcilicet, vt ſibi exhiberent honorem ſoli Deo debitum, & nulli ſubeſſe.* Quod tamen notatu dignum exiſtimo, eſt: ipſum non tantùm aſcendere, per quod ſatis apertè ſuā declaraſſet elationem; ſed & ſedere voluiſſe. *Sedebo in lateribus Aquilonis:* quem ſedendi appetitum conſi-

Iſai. c. 14. — Lyran.

*Bernard.*
Inter ſtantes ſedere voluit Lucifer.

ſiderans Bernardus, exclamat. *O imprudens, ò impudens. Millia millium adminiſtrant ei, & decies centena millia aſſiſtunt ei, & tu ſedebis?* ſerm. de S. Benedicto. Ego tamen, quia Luciferum Dei ſimiam fuiſſe agnoſco, propterea ipſũ ſedere voluiſſe exiſtimo; quia ſi per aſcenſum ſuperbiam declarabat, per conſeſſum docendi poteſtatem affectabat. nàm ſi per Cathedram docendi auctoritas deſignatur, vt ait

*Hieronym.*
*Matt. c. 23.*
*Origen.*

Hieronymus. *Cathedra pertinet ad docentem, Tribunal ad Iudicem.* Et Origenes ſuper verba illa Matth. 23. *Super Cathedrã Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Qui legem Moyſi profitentur, & interpretari ſe gloriantur, hi ſedent ſuper Cathedram Moyſi.* Et (vt reliquos omittã)

*Toſtat.*

Toſtatus quæſt. 11. ſuper citatum locũ Matth. *Per iſtam Cathedram poteſt intelligi actus docendi, & exponendi legem: & vocatur Cathedra Moyſi illa Cathedra, in qua lex Moyſi prædicabatur populo, & exponebatur Nam in Templo Dei, & in omnibus locis, in quibus Iudæi erant, prædicabatur lex Moyſi, & erat Cathedra, in quã aſcendebat Prædicator, vt doceret*: cathedram ambiendo, Magiſtri officio fungi optabat impudens. Quod obſeruare videtur Philippus de Greue, qui ſerm. 127. ſuper verba illa Pſalm. 63.

*Pſal. 63.*
Philippus de Greue.

*Protexiſti mé Deus à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem*, dicit: *Diabolus in omnibus ſtudet eſſe ſimia Domini. Vndè volens exiſtimari Deus, dixit Iſai. 14. In Cœlum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamẽti, in lateribus Aquilonis &c. Excogitauit enim ſe facere Abbatem, & colligere multos ad Conuentum ſuum, & ſtatuere eis regulam, & ordinem ſuum.* Et nõ multũ infra. *Ordo, & Regula huius Monaſterij eſt, ordinem, & regulã non ſeruare. Quis enim ſernetur illic ordo, niſi vt quæ ſuperiora ſunt, fiant inferiora: terra ſupra Cœlum, ſenſualitas ſupra rationem? Quis ordo ibi, ubi quæ poſteriora ſunt, priora fiunt? Vbi temporalia præponuntur æternis. Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Sic primum gymnaſium in Cęlo aperire ſtuduit, multoſq; ſuggeſtionis cauda in ſuã ſententiam perduxit Lucifer. Quod optimè expreſſit Vgo Cardinal. ſuper verba illa. *Factum eſt Prælium in Cœlo.* Apo-

In Cœlo primũ gymnaſium aperuiſſe dicitur.

*Apocalypſ. c. 12.*

calypſ. cap. 12. quibus addidit. *Noxia conſulendo, peruerſa & iniqua ſuggerendo, bonorum exercitium oppugnando.* Et Carthuſ. ibid. art. 13. *Poteſt per caudam diaboli eius doloſitas accipi, per quam innumerabilem multitudinem Angelorũ, et hominum ſefellit.* Verùm indè cum diſcipulis pulſus, gymnaſio (ſi ſic dicere licet) funditùs euerſo, iuxtà illud Apocalypſ. ibidem. *Neq; locus inuentus eſt eorum ampliùs in Cęlo:* In terris eam doctrinã effundere decreuit, quã in Cęlis diù docere nequiuit. Ità præfatus Vgo ſuper citatum Apocalypſ. locum. *Cecidit Draco rufus, qui ſeducit vniuerſum Orbem, ideſt ſeorſum à via veritatis ducis, ideſt ducere intendit: uoluntatẽ enim habet, & ſi actu non poſſit.* Quam ob cauſam terreſtrẽ adijt Paradiſũ, ibique prima ſuæ doctrinæ rudimẽta docuit, dicente ſcriptura: *Dixit autẽ ſerpens ad mulierem: Nequaquàm morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocunq; die comederetis ex eo, aperientur oculi ueſtri: & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, et malum.* Geneſ. c. 3. Quæ Diaboli verba conſiderans Ambroſ. lib. de Paradiſo. c. 12. Superbum hunc magiſtrum ſic introducit dicentem: *In quo uideor ego omnibus eſſe ſapientior, niſi circumſcribam hominem, & uerſutia & fraude contemnam?* Quod ſatis commodè fecit, cùm primos Parentes ambitione illectos, ad ſcientiæ pomum comedendum induxit, vt ait Bernard. ſer. 1. de Aduentu Domini. *Iſte pater mendacij mendax fuit, dicens: Similis ero Altiſſimo: Et mendacij pater cùm in hominem quoq; uenenatum ſuæ falſitatis ſeminarium effudit, dicens: Eritis ſicut Dij.*

*Vgo Card.*

*Carthuſ.*
Multos ſibi coacervauit diſcipulos.

*Apocalypſ. c. 12.*

*Vgo Card.*

*Geneſ. c. 3.*

*Ambroſ.*

*Bernard.*
In terreſtri Paradiſo idipſum efficere ſtuduit

3 De quo Diaboli gymnaſio, eiuſque falſis dogmatibus noſtris primis Parentibus traditis loquitur Dauid, quùm ait: *Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam.* Pſal. 18. quod Dauidis dictum, etſi diuerſimodè intelligatur à diuerſis: Nam Carthuſian. artic. 45. ſuper idem. in hunc explicat modum. *Dies diei eructat verbum, ideſt diuinitùs illuminati, ſapienteſq; homines eructant, ſeu pleno corde pronunciant: Diei, ideſt ſpiritualibus, ac eruditis hominibus: verbum, ideſt Chriſtum: nox nocti indicat ſcientiam, ideſt homines paruæ ſcientiæ aſſumentes imperfectorum perſonas, docent*

*Pſal. 18.*

*Carthuſ.*

homi-

Verba illa Pſalm. 18. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam* explicantur.

*homines adhuc carnales*. Et infrà. *Dies diei eructat verbum, ideſt Angeli Superiores de plenitudine ſuę cognitionis infundunt inferioribus Angelis, purgando, illuminando, perficiendoq; eos, ſecundùm Dionyſium: & nox nocti indicat ſcientiam; quia Dæmones ſæpè peruerſis hominibus quædam ſecreta reuelant*. Et Vgo Cardinalis.

*Vgo Card.*

Dies, *Magdalena, diei, ideſt Apoſtolis, eructat ex plenitudine dilectionis verbum illud: Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. Et nox, ideſt Iudas, nocti, ideſt* Iudæis, *indicat ſcientiam, ſcilicèt hanc: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum*. Matth. 26. Et Ambroſius ſuper Pſalm. 117. Chryſoſtom. ſuper Pſal. 96. & 44. Bernard. ſerm. vlt. de Natiuitate Virginis. Euthymius; Nonnullique alij Patrem aſſerunt eructare Verbũ; quia filius à ſe ipſo loquitur nihil, & doctrina eius nõ eſt eius, ſed qui miſit eũ Patris. Lorini tamen ſententia ex S. Thoma deſumpta ſatis ad rem noſtram facit; nam ſicuti per diem diei eructantem, Gabrielem Virgini diuina nuntiantem arcana intelligit: ſic per noctem nocti ſcientiam indicantem, Diabolum Euæ tranſgreſſionẽ ſuggerentem ſignificari annuit: Cuius verba ex D. Thoma deſumpta hęc ſunt: *Dies diei eructat verbum, ideſt Angelus Virgini, ſicut expoſuit S. Thomas. Et nox nocti indicat ſcientiam, ideſt Serpens Euæ cùm dicit: Eritis ſicut dij, ſcientes bonum, & malum*. iuxtà quam expoſitionem Diabolum è Paradiſo cœleſti eiectum, in terreſtri gymnaſium aperuiſſe, hominesq; inſtruxiſſe declarat.

*Ambroſ.*
*Chryſoſt.*
*Bernard.*
*Euthym.*

*Lorinus*

Prima Diabolicæ doctrinæ rudimenta, quę fuerint?

4 Qua poſteà doctrina pollere ſoleant qui infernalis iſtius magiſtri frequentant gymnaſium, declarat adoleſcens ille, qui portione accepta in longinquam ſe contulit regionem, vbi luxurioſè viuendo, conſumptis omnibus, infœlici ſe ſubmiſit ſeruituti. *Adhæſit vni ciuium regionis illius*. Luc. 15. qui eius ingenita nobilitate neglecta porcorũ cuſtodiæ adiudicauit: *Miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos*. Crudelis equidem Dominus: Sed magnum (niſi mea deerrat ſententia) ſub litteræ cortice abſconditur Sacramentum: nàm Chryſol. ſer. 2. de filio prodigo ait: per hunc prodigum adoleſcentem, qui Patris conſumpſerat cenſus, peccatorem intelligi, qui cęleſtis Patris neglecta hæreditate, gratuita per peccata deperdidit: quibus cõſumptis, nouo ſemper peccandi æſtu exæſtuans, Diabolo ſe ſubmiſit & vitijs: verùm crudelis hic Dominus diù apud ſe eum manere non eſt paſſus, ſed porcorũ cuſtodię atque paſturæ adiudicauit: quia ſi per hos culpæ figurantur & crimina, nunquam peccatorem è gymnaſio dimittit, niſi culparum criminumque Magiſtrum efficiat. Præfatum adduco Chryſologum rationem reddentem, cur in villam ad paſcẽdos porcos miſſus ſit prodigus. *Facit hæc inſatiata crudelitas, quæ non contenta eſt homines criminoſos fieri: niſi eos vitiorum duces, criminum faciat & magiſtros*. Quis hos Diaboli diſcipulos multùm profeciſſe non aſſerer, dum ipſos vitiorum duces perſpicis & magiſtros?

*Luc. c. 15.*

*Chryſolog.*

Breui temporis interuallo diſcipulos vitiorum magiſtros euadere facit diabolus,

5 Perlibenter nunc audirem, quæ eſſet Principis Sacerdotis mens, quando inter calumniantium turmas, & inter inimicorum cateruas, vt Matth. c. 26. ait, ad Saluatorem dicebat: *Surgens Princeps Sacerdotum, ait illi: adiuro te per Deũ viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei*: quia ſi ut ſentiunt multi, ex reſpõſionibus eũ calumniãdi occaſiones venari ſtudebat; ſatis erat de Templi deſtructione, de qua accuſabatur, eum interrogare: cur ergo iuris ordines non ſeruãdo, immò legis præcepta paruipendendo, de quo non accuſabatur, interrogat? Cuius difficultatis, vt ſolutionem percipias, ſcholaſticas exercitationes tibi in mentem reduco: inter quas prima eſt: Magiſtri doctrinam, ac lectiones & memoriæ mãdare, & adamuſſim ſuo tempore recitare: quo ſuppoſito: quid Diabolus in deſerto Chriſtum tentando veſtigare voluerit, expendamus; & reperiemus: ingenium, ſtudiumq; Satanæ tunc fuiſſe, vt Diuinitatis Chriſti veritatẽ extorqueret, ideò dixiſse: *Si Filius Dei es, dic, vt lapides iſti panes fiant*. Et: *Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*. Matth. 4. Audi nunc myſterium: adamuſſim Sacerdotum Princeps Diaboli verba repetere voluit. *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu*

*Matt. c. 26.*

*Idem c. 4.*

*Idem. c. 26.*

es Chri-

*es Chriſtus Filius Dei*. Vt exactè Magiſtri repetendo lectionem, quem in Diaboli gymnaſio profectum fecerat, oſtēderet. *O quàm de Diabolo natus* (clamat

Origen.

Origenes) *imitabatur proprium patrem, qui bis de hoc interrogat Saluatorem: Si tu es Filius Dei, ſicut ſcriptum eſt, in tentationibus eius. Simile eſt enim, Si tu es Filius Dei, & ſi tu es Chriſtus Filius Dei: Dubitare de Filio Dei, opus Diaboli eſt, & Principis Sacerdotum inſidiantis Domino noſtro.* tr. 35. in c. 26. Matt. Doctus planè Diaboli diſcipulus, q iure nequiſſimus vocari poterat magiſter, dùm ſic adamuſſim preceptoris ſectabatur doctrinam.

Eius doctrinā adamuſſim ſequuntur diſcipuli.

6 Sed hucuſq; luſimus ſanè, peccatores vitiorum Doctores, atq; Magiſtros nuncupando, nam, ſi fas eſſet dicere, dicerem vtique, magiſtrum ipſum à diſcipulis quandòque ſuperari, & vinci: Quod ne gratis dictũ exiſtimes: æqua lance Luciferi, & Antichriſti libremus ſuperbiam, & quàm hic illum ſuperet, inueniemus: nàm de Lucifero loquens Iſaias cap. 14. Ipſum naturalia, ac gratuita (ſi dicere licet) dedignātē, Dei Similitudinem appetiſſe deſcribit. *Dicebat in corde ſuo: in Cœlũ conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſoliũ meũ. Similis ero Altiſſimo.* Diuus verò Paulus de ſceleſtiſſimi, ac impudētiſſimi Antichriſti ambitione loquens, hunc ait in modum: *Ne quis vos ſeducat vllo modo: quoniam, niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſuprà omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* 2. Theſſalon. 2. hæc de Antichriſto Paulus: Quæ ſi benè cōſiderabimus, & præcipuè illa: *Extollitur ſuprà omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*, ſatis clàrè magiſtrum à diſcipulis, & Luciferum ipſum à ſceleſtiſſimo hoc homine ſuperari videbimus: nam ſi ille ſolium ſuum exaltare cogitans, Dei ſimilitudinem appetiit; dementiſſimus iſte, ac omnium ſceleſtiſſimus Dei ſimilitudinem appetere dedignās, ſuprà Deum exaltari vellet, ſi poſſet. Viuat ſemper Ambroſij memoria, qui mihi hanc ſubtilitatem ſuggeſſit, dùm de Diabolo loquens ſerm. 3. ſuper Pſal. 118. hunc ait in modum. *Exaltabo ſolium meum. Similis ero Altiſſimo. Itaquè cùm ſit nequiſſimus, vt honorem non dederit Domino Deo noſtro; peiores tamen diſcipulos erudiuit. Ille enim ſic ſe exaltauit, vt uellet æquari, & ſimilis eſſe Altiſſimo: diſcipulus autem eius, ut ſignificatur ab Apoſtolo, indignaturus eſt æqualem, ſimilemq; ſe æſtimari Deo. Scriptum eſt enim: cùm iam exaltatus fuerit homo peccati, qui exaltatur, & extollitur ſupra omne id, quod dicitur Deus. Magiſter igitur ſimilem honorem præſumit, hic ſuperiorem:* Aurea prorsùs verba; ſed ſuprà modum illa, *Peiores tamen diſcipulos erudiuit*, noſtrum probant inſtitutum. Nec vacat myſterio, quòd homo peccati nuncupetur. *Et reuelatus fuerit homo peccati*: quia adeò in peccando excedet, vt cognomen, quod Diabolo in ſcripturis nunquàm datum legitur, ei dari poſſe, exiſtimetur. Vndè Carthuſianus art. 11. ſuper idem. *Homo peccati, ideſt, Antichriſtus, per excellentiam Homo peccati uocatur, tanquàm omnibus vitijs præcunctis plenus, & cæteris quaſi fons, & origo peccandi exiſtens, ad æternam damnationem, ſeu perditionem immoderatiſſimè tendens.*

Iſai. c. 14.

2. Teſſ. c. 2.

Ambroſ.

Antichriſti ſuperbia illam diaboli ſuperabit

Carthuſian.

7 Et profectò ſatis iuſtè, non Diabolo, ſed homini peccati cognomen tribuitur: *Et reuelatus fuerit homo peccati*: quia adeò in Diaboli gymnaſio proficere ſolent peccatores, vt nouæ peccandi ſcientiæ inuentores dici poſſint quandoque. Ad cuius dicti probationem verba illa regij Vatis adduco. *Dimiſi eos ſecũdùm deſideria cordis eorũ, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Pſalm. 80. Quæ non paruam ſpeculandi anſam mihi tribuerunt multotiès, de quo intelligi debeant: de magiſtro, an de diſcipulis? de Diabolo, an de hominibus? Et pro difficultatis ſolutione (ſalua pace aſſerentium, omnes prauas cogitationes à Diabolo ortum habere: ad quem ſenſum reducere conātur verba illa, *Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.* Iob 41.) ego ex Auguſtin. de Eccleſiaſticis dogmatibus, e Bernardino Senenſe. tom. 2. fer. 6. pòſt 1. Dom. Quadrageſ. ſerm. 15. art. 1. cap. 2. cap. 2. Alijſq; non paucis colligo non omnes prauas affectiones à Diabolo prouenire; ſed ab ipſamet peccatoris malitia oriri multotiès: Verba autem Bernardini ex Auguſt. loco proximè citato magna ex parte deſumpta hęc ſunt. *Non omnes cogitationes noſtræ à Diabolo* exci-

2. Teſſalon. c. 2.

Pſal. 80.

Cur ipſe homo peccati vocatur, & non Lucifer Angelus peccati dicitur.

Iob. c. 41.

Bernard. Senenſ. ex Auguſt.

*excitantur; ſed à noſtra malitia ſupplentur. Vndè ait Dominus per Prophetam: Ibunt in adinuentionibus ſuis:* &c. Sic ipſe

Idem

loco proximè allato. Et non multùm infrà: vitij nefandi turpitudinem oſtendere volens, hunc ait in modum. *Peccata enim ſceleris huius ſunt propriè adinuentiones cordium impiorum: nàm licèt vitiorum multorum Diabolus inuentor ſit, has tamen tàm degeneres erubeſcit enormitates, ſicut dicitur ſuper illud Ezechielis 6. Dabo te in animas odientium te: horret .n. turpitudinem, & abominationem eorum, atq. admiratur, quòd ab hominibus in talibus abominationibus ſuperetur: ſicut dicitur Ezechiel. 16. Erubeſcent in via tua ſcelerata ipſi Dæmones.* Et art. 2. cap. 1. addit: *Licèt Dæmones de alijs criminibus legantur tentaſſe homines, etiam viſibilitèr apparendo, nullum tamen in vitis Patrum legitur tentaſſe de vitio contra naturam.* Profectò vides, cur non Diabolus, ſed homo peccati cognomen recipiat? Quia ſi quandoque diſcipuli magno ingenio præditi, vltrà præceptoris inſtructiones, nouas ſubtilitates, nouaſq; ſententias reperientes, nouæ doctrinæ Inuentores, ac magiſtri vocari ſolent: ipſe talibus peccandi adinuentionibus ianuā aperire conſueuit, vt Diabolus ipſe nequitiæ magiſter obſtupeſcere ſoleat aliquando, quòd à diſcipulo ſuperetur; vt verba declarant illa, *Admiratur, quòd ab hominibus in talibus abominationibus ſuperetur.* Ex quibus veluti ex per ſe notis præmiſſis, quanta ſit peccatoris nequitia, & quàm in ſceleribus magiſtrum vincant diſcipuli, haud difficilè deducere potes.

Peccata aliqua hominū non diaboli adinuentiones vocātur, & quæ?

Idem.

8 Porrò ſi huius ſceleris nauſeans horrore ad ſuperbiam regredi, ac nouo argumento aſſumptum inſtitutum (à diſcipulis nempè magiſtrū nonnunquàm vinci) probari exoptas: auream ſtatuam Nabuchodonoſor imperio cōflatam, *Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream, altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex, & ſtatuit eam in campo Dura prouinciæ Babylonis.* Daniel. 3. tibi conſiderandam propono: & cur non ligneam, non lapideā, nec æream; ſed auream efformari fecerit, tibi ſcrutandum relinquo. A qua difficultate ne te facilè expedire exiſtimes, dicendo: proptereà ſtatuam ex auro effici iuſſiſſe, vt auri ſpecie illecti homines, faciliùs ad eā adorandā flecterentur, vt de vitulo aureo ab Hebræis pro Deo adorato philoſophatus eſt Chryſologus ſerm. 29. *Aurum Iudaicum populum ſic ſuo captiuauit aſpectu, vicit illecebris, ſpecie perdecepit, ut hoc eſſe Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficijs cognitum denegarent: ſic conuertit homines in iumenta, vt vituli caput, caput ſuum crederent:* quia magis metu, quàm amore, armis quàm blanditijs ad ſtatuæ adorationē ſubditos inducebat Nabuchodonoſor, vt apertè colligitur ex verbis illis. *Si quis autem non proſtratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacē ignis ardentis.* Idcircò alia eſt quærenda difficultatis ſolutio: quam tandem in Theodoreto reperi, dicente: proptereà à Nabuchodonoſor id factum fuiſſe; quia putabat (ſed ineptè quidē) Dei potentiæ ſe reſiſtere poſſe: immò (niſi opinione decipior) quia inuincibilem vincere, & inſuperabilem ſuperare poſſe exiſtimabat, non ex alia materia, quàm ex auro magnam hanc ſtatuam efformare voluit. Quod faciliùs vt percipias, reſpice caput immediatè antecedens, & Deum in ſomni quiete ſtatuam Nabuchodonoſor oſtendiſſe, *Tu Rex videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis: ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quędam autem fictilis,* reperies: per quam ſtatuam ſe, ſuoſq; ſucceſſores, iuxtà Danielis interpretationem qā figurari intelligebat, *Tu ergo es caput aureū. Et pòſt te conſurget Regnum aliud minus te argenteum: & Regnū tertiū aliud æreum, quod imperabit vniuerſæ terræ. Et Regnum quartum erit velut ferrum.* &c. poſterorū caſum dedignans, ſtatuā totā ex auro efficiendam curauit, ac ſi per hoc Dei Voluntati reſiſtens, Regnorū mutationē præpedire potuiſſet. Audiēdus eſt nunc Theodoretus, qui orat. 3. ſuper idem pluſquàm divertè rem explicauit, dicendo: *Non ſimplex autem hic*

Daniel. c. 3.

Chryſolog.

Auri vis.

Daniel. ibid.

Idem. c. 2.

Theodoret.

*ſuper-*

Cur Nabuchodonoſor ſtatuam ſe figurantem totam ex auro effici iuſſit.

*ſuperbiæ modus fuit, ſed Deo apertè repugnans: & Deo infeſtus: nàm quia Deus in ſomnis maximam illi oſtenderat imaginem è quadruplici materia cōfectam, per quam ipſi quatuor Regnorum ſucceſſiones declarauit*, Deo ſe opponens, *ipſe quoque ſtatuā conſtruit: non autem ipſam ex auro, argento, ære, & ferro ædificat; ſed ex vna auri materia conficiendam curat: ratus infælix iſte falſas oſtenſurum ſe* Dei *prædictiones:* Et *quia Beatus Daniel ſomnium interpretans, ipſum eſſe aureum caput dixit, hoc eſt, Babiloniorum, ſiuè Aſſyriorum Regnum: alias verò imaginis partes, ex alia multiplici materia. Ipſe omnē ex auro imaginē molitur.* Ecce tibi cur æs, & argētum dedignās ſuperbiſſimus Rex, ſtatuā totā ex electiſſimo auro conflari iuſſit: quia Dei voluntati ſe reſiſtere poſſe exiſtimans, magiſtri ſuperbiam excedere uidebatur.

6 Omiſſa nunc Ambroſij obſernatione, quòd Dæmonibus ipſis duriores, & pertinaciores ſe oſtendere ſoleant homines, dùm ipſi diuinitatem, quam illi vellent, nollent, confitebantur aliquando, dicente Luca cap. 4. *Exibant autem Dæmonia à multis clamantia, & dicentia: quia tu es Filius* Dei. Iſti ſemper confiteri renuebant. Præfatus Ambroſius ſuper citatum Lucæ locum. *Populus negat, quod Dæmones confitentur. O peior magiſtro diſcipulorum hæreditas!* Cur in Saluatoris morte inſolito motu terra quateretur, inquiro: & licèt Hilarium in Catena citatum noſcam, dicentem: *Mouetur terra, quia capax huius mortui eſſe non poterat.* Et Hieronymum ibidem. *Nulli enim dubium eſt, quid ſignificet iuxtà litteram magnitudo ſignorum, vt crucifixum Dominum ſuum & Cælum, & terra, & omnia demonſtrarent.* Et Chryſoſtomum homil. 89. ex cap. Matth. 28. *Terra concutitur, ut hinc percipi poſſet occiſores facilè dirumpere potuiſſe.* Et Carthuſianum ibidem. ar. 43. *Per terræmotum figurabatur terrigenarum admiratio, & conuerſio.* Et denique reliquos omittendo, quāuis Ioannes Ferus ſuper cit. Matthæi locum aſſerat. *Hic præoſtenſa eſt motio totius terræ per prædicationem Euangelij, & quòd dura corda gentium viuificarētur, ſuſcepto verbo Euāgelij:* tamen Oleaſtri mihi nō diſplicet ſententia, qui dùm propterea terram concuſſam fuiſſe aſſerit; quia adeò in Diaboli gymnaſio peccatores edoctos videbat, vt illos longè abdicare velle demonſtraret. *Mirum non eſt* (ait ipſe in cap. 3. Num.) *Si Deus indignos euomat, quando & inſenſibile elementum impios ſuſtinere recuſat, & velut ſordidos à ſe repellit:* quanta ſit peccatorum nequitia apertè declarat.

Luc. c. 4.

Ambroſ.

Hilar. in Catena.

Hieronym.

Chryſoſt.

Carthuſ.

Ioan. Fer.

Oleaſtr.

Impiorum impietates terra ferre non valens, ſe quatiendo illos abijcere vellet, ſi poſſet.

FERIA

# FERIA TERTIA POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMAE.

## Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe cum inter te & ipſum ſolum. Matth. c. 18.

### §. I.

*Maxima hominis pœna verecundia eſt, & importabile ei videri ſolet ſupplicium pudore ſuffundi.*

QVàm altè in uirorum medullis honoris, & gloriæ inſidet deſiderium, iuxtà illud Saluſt. in Catilin. *Gloriam, & honorem, & imperium bonus & ignauus æquè ſibi exoptant. Si bonus, vera via nititur: ſed ignauus, quia bonæ artes deſunt, dolis atq; fallacijs contendit*. Et Ouid. lib. 1. Triſt.

*Saluſt.*

*Ouid.*

*Donec eram ſoſpes, tituli tangebar amore,*
*Quærendiq; mihi nominis ardor erat.*

Inanis gloriæ cupiditas quàm vehemens.

*Ariſtotel.*

Tàm ijdē pudoris, ac verecūdiæ torquētur ſupplicio: quia ſi ſecūdùm Ariſt. lib. 4. Ethic. *Verecundia eſt timor neglectionis, vel dedecoris*. Et 2. Reth. *Verecundia eſt dolor quidam, atq; perturbatio à malis, aut præſentibus, aut futuris, quæ infamiam inferunt, proueniens*. Et 4. Ethic. in fine. *Verecundia eſt timor inglorationis*. Quanti faciunt mortales honorē, tanti verecundiæ æſtimantq; dolorem. Vndè dicere conſueuerat Hieronymus, quòd quē tormenta non vincūt, verecundia ſæpè vincere ſolet, & ſuperare. *Ingenia liberaliter educata, faciliùs verecūdia, quàm metus ſuperat, & quos tormenta nō vincunt, int erdùm vincit pudor.* Immò ſi acutiùs intuebimur, mortuos ipſos (ſi ſic dicere licet) verecūdiæ tormenta ferre non poſſe videbimus: nàm vbi virorum cadauera aquis iniecta ſupina fluctuant, mulierum prona peruehuntur: quod pudori aſcribit Sal. lib. de mirabil. dùm dicit: *Pudoris etiā diſciplinam inter defuncta corpora Natura diſcernit: At ſiquando cadauera mortuorum fluctibus euehuntur, virorum ſupina fluctuant, prona fœminarum*. Quæ omnia ſi vera, immò veriſſima ſunt, mirari non debemus, ſi correptio inter corripientem, & correptum ſolummodò fieri debet: Si *peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum*. Matth. 18. Quia cùm de vitijs, & ſceleribus agendum ſit, & ſaluti conſulendum eſt, & pudori parcendum: Ità prorsùs ait Brugenſis ſuper citatum Matthæi locum: *Corripe inter te & ipſum ſolum, ſtudens correptioni, parcens pudori, primum experire remedium, quàm maximè blandum: quod ne pudoris quidèm incommodo fratrē aſpergat*. Cuius doctrinæ non ignarus Paulus dicere ſolebat: *Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circundamus*. 1. Corinth. 12. Quæ verba exponens Ferus in c. 18. Matth. hunc ait in modū: *Nemo faciem, aut oculos tegit, ſed ignobiliora mēbra id curāt ne turpia appareant. Hoc exēplo Paulus docet, Chriſtianis omnibus id incumbere, vt ſi quid in proximo reprehenſibile viderint, ſumma diligentia abſcondant, ne turpitudo appareat, & frater diffametur*. Nàm vt D. Zeno lib. 3.

*Hieronym.*

*Saluſt.*

Ipſi exanimes confuſionem ferre non valent.

*Matt. c. 18.*

*Brugenſ.*

*1. Corinth. c. 12.*

*Io. Ferus*

Fratrum ſcelera tegenda.

*D. Zeno.*

ſerm.35. ait, plus pudore, quàm morte ipſa torquentur mortales. *Apud honeſtos* (ait ipſe) *grauius eſt aliqua nota confundi, quàm mori*. De quo verecundiæ ſupplicio audi ſi libet.

2 Vix in vetitum ſe extenderant noſtri Progenitores, vix diuinum præceptum tranſgreſſi fuerant terreſtris Paradiſi incolæ, quòd latebras quærere cœperunt. *Abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradiſi*. Geneſ. 3. Cauſamq; talis abſconſionis ſubdidit ipſe Adam ſequentibus verbis. *Vocem tuam audiui in Paradiſo: et timui, eò quòd nudus eſſē, et abſcondi me*. Sed vbi à vultu iræ Dei te abſcondis, ò Adam? quò à facie eius fugis? Si aſcenderis in Cœlum, illic eſt; ſi deſcenderis in Infernum, adeſt; ſi ſūpſeris pennas tuas diluculò, & habitaueris in extremis maris, illic manus eius tenebit te: Vbi igitur ab eo, qui vbique eſt, te abſcondere poteris, quòd dicis: *Vocem tuam audiui: & timui, & abſcondi me?* An forſitan peccati pudore ità ſuffunderis, vt penè extrà te factus, quid efficias, quiduè dicas, non attendas? Prorsùs ità ait Auguſt. lib. 11. de Geneſi ad litteram cap. 33. *Non miremur hæc fieri, quæ ſimilia ſunt dementiæ per nimium pudorem ac timorem, illo quoque occulto inſtinctu non quieſcente, vt ea neſcientes facerent, quæ aliquid ſignificarent quandoque ſeituris poſteris, propter quos iſta conſcripta ſunt*. Et quidèm de hac Protoplaſti inſipientia mirari minimè debemus: quia ſi vehemens dolor, vt Philoſophus ait, præpedire ſolet quandoque rationis vſum; magno verecundiæ affectus ſupplicio, nec quid ageret, nec quid diceret, attendebat. Luculentèr Chryſoſt. homil. 17. in cap. Geneſeos. 3. *Nihil peccato peius, dilecte. Ipſum enim vt introierit non ſolùm confuſione omnes nos replet, ſed inſipientes facit. Animaduerte, obſecro, quàm inſipienter agit nunc, qui antea tanta pollebat Sapientia: audita vocē Dei deambulantis in horto ad meridiem, occultauit ſe, tàm ipſe, quàm vxor ipſius à facie Domini Dei in medio Paradiſi. Quantæ hoc eſt inſipientiæ, quòd à Deo, qui vbique præſens eſt, qui ex nihilo res, ut eſſent, produxit, qui abſcondita ſcit, qui finxit ſingillatim corda hominum, & nouit omnia opera eorum, qui ſcrutatur corda, & renes, qui etiam ipſos cordis motus agnoſcit, abſcondere ſe tentant? Sed ne mireris dilecte, quandoquidèm non ferentes confuſionem, qua poſt peccatum veſtiebantur, hoc faciebant*. Nec vacat myſterio, quòd non in ſecretioribus montiū ſciſſuris, nec in extremis terræ, mariſq; finibus ſe abdere ſtuduerint; ſed in medio ſtantes: *Abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Dei in medio ligni Paradiſi*: illius oculos, qui intima cordis ſcrutatur conſilia, ſe iàm effugiſſe exiſtimabant; nam pudore nimio ſuffuſi, huc illucq; currentes, penitùs quid agerent, ignorabant. *Conſidera autem* (ait præfatus Chryſoſtomus loc. cit.) *& vbi occultantur; nam ſicut flagriones, & ingrati quidam famuli cùm non poſſint à Domino ſuo occultari, huc & illuc in angulos domus currere ſolent, ità & hi nullum inuenientes effugium, in ipſa domo, paradiſo, inquam, verſantur*.

*Geneſ. c. 5.*

Pudoris tormentum, quàm graue

*Auguſt.*

*Philoſoph.*

*Chryſoſt.*

Impedit multoties rationis vſum.

*Geneſ. c. 3.*

*Chryſoſt.*

3 Hiſque minimè contentus Chryſoſtomus vlteriùs inquirit: cur ille, qui non longè eſt ab vnoquoque noſtrum; immò ſic nobis præſens eſt, vt in ipſo viuamus, moueamur, & ſimus, vbi Adamus ſit inquirat: *Adam vbi es?* & tandem non ex ignorantia; ſed ex pietate tale quæſitum procedere aſſerit: nàm adeò præcepti tranſgreſſores pudefactos ac confuſos videbat, vt pro ſua bonitate & clementia contineri (vt ità dicam) minimè potuerit, quin eos amica voce, blandoq; ſermonē ſolaretur. Præfatus Chryſoſtomus loco proximè citato. *Vide in breui hac dictione quanta vis recondita ſit. Et ipſum vocare magnæ & ineffabilis eſt miſericordiæ, tùm ob benignam interrogationem, quæ erubeſcentem, & neq; os aperire, neq; linguam mouere audentem animabat, tùm quod ipſum dicere, vbi es, plurimam habet miſericordiæ vim:* Magnum ſanè pudoris ſupplicium, quod ipſa Diuina Iuſtitia, quæ contra iniuſtos iuſtè deſæuire ſolet, conſiderans, non vlteriores pœnas infligere, ſed erga pudore affectum miteſcens, ipſum ſolari potiùs conſueuit, quàm plectere.

*Chryſoſt.*

Deus Adamum vocando maximā erga eum pietatem oſtendit.

4 Perexiniè, quod modò dixi (nempè non obiectum punitionis, ſed miſerationis eſſe, qui verecundia ſuffunditur (probat parabola illa de filio pro-

prodigo, qui pòſt multas dementias, multamq; ergà patrem ingratitudinẽ ad illum regrediens, non rei ctus, nec obiurgatus; ſed beneuolentiſſimè receptus deſcribitur. *Cumq; adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.* Lucæ 15. Patris profectò beneuolentia, patris pietas aliter efficere nequaquàm poterat. Sed cur, bone Deus, ipſum non arguit, nec increpat antequam loco reſtituat & honori? An quia ipſum pudore affectum videbat, magis pietate, quàm pœna dignum exiſtimauit? Sic certè ait Chryſologus ſer. 3. qui dicit, proptereà accitis ſeruis, illicò eum veſtiri iuſſiſſe, quia vlteriori pœna plecti minimè debebat, qui verecundiæ torquebatur dolore. Citatus Chryſologus. *Suſtulit filij crimina, qui non ſuſtulit nuditatem: hinc eſt, quòd à ſeruis antè veſtiri voluit filium, quàm videri, vt ſoli patri nota eſſet nuditas: quia pater ſolus videre filij non poterat nuditatem.* Ecce tibi quare ſileat pater, quare crimina non obijciat; immò quare filium ante veſtiri iubeat, quàm videri? quia non punitionis, ſed miſerationis videtur obiectum, qui rubore afficitur & pudore.

*Luc. c. 15.*

*Chryſolog.*

Importabile tormentum nuditas.

5 Veſtigare nunc minimè erit incongruum: cur pœnitentiæ Sacramentum ſic inſtitutum eſt, vt alterum alteri peccata detegere ſit neceſſe, iuxtà illud Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra:* Et dubitandi ratio ex eo maximè inſurgit; quia ſi Sacramenta ſigna quidem gratiæ ſunt, vt inter cæteros aſſerit Subtilis in 4. diſt. 1. q. 2. de tertio principali. *Dico, quòd eo modo, quo poteſt eſſe diffinitio Sacramenti, vt patet ex 2. artic. hæc eſt eius diffinitio, ſcilicet ſignũ ſenſibile gratiã Dei, vel effectum Dei gratuitum ex inſtitutione diuina efficacitèr ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis uiatoris:* ſed ſigna ad placitum, ſcilicèt ad voluntatem Dei inſtituentis ſignificantia, vt ex modò dicta definitione colligitur. *Ex inſtitutione diuina efficacitèr ſignificans:* & ex eo, quod paulò ſuperiùs in ar. 2. idem aſſerit Doctor, expreſsè habetur. *Dico, quòd poſſibile eſt Deum imponere aliquod ſignũ ad ſignandum iſtum effectum inuiſibilem,*

*Ep. Iacob. Apoſt. c. 5.*

*Scotus*

Sacramenti definitio.

*Idem*

*hoc poteſt, quia nos poſſumus imponere ſigna ad ſignandum quodcunq; intelligibile à nobis:* Et diſt. 14. quæſt. 4. *Poſſibile eſt Deo animam abſoluere à peccato, iuxtà illud Symboli: Remiſſionem peccatorum, & per conſequens poſſibile eſt inſtituere aliquod ſignum illius abſolutionis.* Cur igitur hoc Sacramentum ſic inſtituere voluerit, vt niſi præuia peccatorum confeſſione, iuxtà illud Ambroſij, *Nemo poteſt iuſtificari à peccato, niſi ante fuerit peccatum confeſſum*, tribuatur abſolutio, cæteros vt omittam, ex D. Bernardino aſſerente, per pęnitentiæ Sacramentum nedùm culpam expelli, gratiamq; infundi; ſed pęnæ etiam in Purgatorio debitam partem aliquam remitti, colligi poteſt. Ita ipſe, tom. 2. pòſt 3. Dom. Quadrag. ſerm. 27. art. 3. cap. 10. *Fit autem hic ſatisfactio aliqua in cõfeſſione ſecundùm Alexand. de Aleſ.* & infra. *Hinc eſt ſecundùm Thomam quòd quantò aliquis pluriès, vel pluribus de peccato confitetur, tantò ei magis Purgatorij pœna minuitur.* Et rationem, cur in confeſſione Purgatorij pęna minuatur, aſſignat, cùm dicit: Si pęna peccato debita per flagella, cilicia, ieiunia, humi cubationes, & per voluntarias corporis afflictiones remittitur: quæ afflictio confeſſioni comparari poterit vnquam, in qua cùm peccata detegere ſit neceſſe, verecundiæ ſuſtineri debet tormentum, quod cùm cęteras corporis afflictiones longè ſuperet, maximam pęnæ remiſſionem affert? Audiẽdus eſt ipſe, qui loco proximè citato Aug. afferens verba, dicit: *Verecũdia enim eſt magna pars ſatisfactionis, cùm ſit quaſi pallium pretioſum operiens peccatum. Vnde Eccleſ. 4. Confuſio adducens gloriam & gratiam. Et Auguſtinus lib. de pœnitentia. Qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis. Ex miſericordia .n. hoc præcepit Dominus, ut nemo pœniteret in occulto. In hoc enim, quod per ſeipſum dicit Sacerdoti, erubeſcentiam vincit timore Domini offenſi, & fit venia criminis. hac Auguſtinus. Et idem alibi ait: Multum ſatisfactionis attulit, qui erubeſcentiã domans, nil eorum, quæ commiſit nuncio Dei denegauit.* Si igitur iuxtà aſſumptã pęnæ magnitudinem Purgatorij pęnæ obtinetur remiſſio, quis pudorem pe-

Idem.

*Ambroſ.*

*Bernardin. Senenſis.*

Quàm vtilis iterata peccatorum cõfeſſio

*Idem ex Auguſtino.*

*Auguſt.*

Pęna in Purgatorio debita per confeſſionẽ minuitur.

*Idem.*

narum omnium compendium non cēſebit, dùm ipſo affectus, magis quàm ſi quouis alio afficeretur ſupplicio, magnam ſatisfactionis partem conſequitur?

6 Iuuat hoc loco attexere: vndè tàm citò veniam, miſericordiam, & gratiam Magdalena, publicanuſque obtinere potuerint, vt illi dicat proprio ore Saluator. *Remittuntur tibi peccata tua: vade in pace.* Luc. 7. & de iſto: *Diſceſſit hic iuſtificatus ab illo.* Luc. 18. Nec omnem dubitandi amputabit anſam, qui ſicuti ob amorem Magdalenæ peccata fuiſſe remiſſa, iuxtà illud. *Remittũtur ei peccata multa, quoniã dilexit multũ, cui autẽ minùs dimittitur, minùs diligit.* ibidẽ: ſic propter iniuriarũ tolerantiam Publicanum iuſtificatum fuiſſe aſſeret; quia àdhuc veſtigandi reſtat occaſio: & in quo præcipuè illius conſiſteret amor, quòd ſic de amore laudatur, quomodò Martyres ipſi, qui ferarum panis, ignis materia, & tormentorum obiecta effecti, omnia ſuppliciorum genera diuino incenſi ardore ſubire uoluerunt, minimè laudantur? & quam tolerãtiam, ac animi fortitudinem oſtendit iſte, qui non uerbera, nec mortem, ut multi; ſed uerba ſolùmodò ferre didicit, vt tali tolerantiæ extollatur præconio, quòd dicitur, *Diſceſſit hic iuſtificatus ab illo?* Verũenimuerò qui rubore præ confuſione ſuffundi grauiùs eſſe, quàm ſanguinem effundere, iuxtà Zenonis dictum ſuperiùs allati. *Apud honeſtos grauius eſt aliqua nota confundi, quàm mori*, intelligit, haud difficilè cur Magdalena, & Publicanus, non ſolùm abſoluti ſcribantur, ſed etiam Martyribus ipſis præponantur, percipiet: quia ſi illa inter conuiuantes accedens, nec hominum ora, nec maledicentium uerba attendit; ſed lacrymarum imbribus peccati explicare uoluit magnitudinẽ, cùm cõfuſio cęteras calamitates, omneſq; uincat dolores, meritò & abſoluta deſcribitur, & ſuprà Martyres ipſos cenſetur, quæ non ſanguinem effundere; ſed rubore ſuffundi nõ timuit. Quod dicere uidetur Gregorius uerbis illis. *Quia ſemetipſam grauitèr erubeſcebat intùs, nihil eſſe credidit, quòd verecundaretur foris, diſcite quãto dolore ardet, quæ flere inter epulas, non erubuit.* Quam etiam ob cauſam Publicanus, qui & raptor, & iniuſtus, & adulter, & fortè omnium ſceleſtiſſimus uocabatur, peccatorum ſuorum uerecũdiam portans, propter quam etiam nec oculos ad Cęlum leuare audebat; ut inter multos obſeruat D. Thom. in catena. *Verecundabatur enim, ideò oculos leuare non audebat*: dùm ſic coràm omnibus confundi patientèr ferebat, iuſtificabatur; imò laudabatur, atq; extollebatur. Quod lueulentiſſimè dixit Chryſoſtomus in homil. de Dauid & Saule. *Accepit probrum, & abluit probrũ, agnouit peccata, & depoſuit peccata: & criminum accuſatio facta eſt illi criminum remiſſio: & hoſtis inſciens, factus eſt beneficus. Quot labores erant Publicano ſubeundi, ieiunando, humi dormiendo, vigilando, bona ſua egenis impertiendo, longo tempore in ſacco, & cinere ſedendo, vt illa tàm multa peccata poſſet deponere? At cùm nihil tale fecerit ſimplici verbo omnem depoſuit iniquitatem, ac probra Phariſæi pepererunt illi iuſtitiæ coronam*: Tãtum equidẽ verecũdia valet, ꝙ omnibus ſceleribus, quibus vix multis pœnarũ generibus ſatisfieri poſſet, vna ipſa ſatisfacit. Vndè Bernard. Senenſis. tom. 4. ſerm. 17. art. 2. cap. 6. tàm de Magdalenæ, quàm de Publicani ſatisfactione hunc loquitur in modum. *Eſt enim verecundia pars magna pœnitentiæ ſecundum Auguſtinum de pœnitentia. diſtin. 1. in cap. Quem pœnitet. circa medium. Et hæc eſt vna de cauſis, quare Confeſſio inſtituta eſt, ſcilicet, ut de culpa peccator erubeſcens à Deo miſericordiam conſequatur. Hinc profectò eſt, quòd Magdalena Lucæ 7. cum Publicano Lucæ. 18. tàm citò miſericordiam impetrarunt: quia quilibet eorum de peccato ſuo erubuit.* Felix confeſſio, & pluſquam beata erubeſcentia, quæ dùm maximè excruciat, maximorum criminum veniam impetrat, & gratiam!

7 Liquet modò partui comparare Sacramentalem Confeſſionem; quia ſi grauedinis moleſtiæ per partus dolores effugiuntur, ſic peccatorum pęnæ per Confeſſionis verecundiam magna ex parte remittuntur; quam ſimilitudinem præfatus Senenſis proſequutus,

tom.

*Luc. c. 7.*

*Ibidẽ c. 18.*

*Luc. c. 18.*

*Zenonis ſententia*

Morte ipſa acerbior eſt confuſio.

*Grego. PP.* Magdalenæ contritio magna.

*D. Thom. Aquin.*

*Chryſoſt.*

Totius pœnitentiæ, ac virtutum cõpendium iniuriarum remiſſio.

*Bernardin. Senenſ.*

*Bernardin. Senenſis.*

Partui comparatur peccatorum cõfeſſio, & quare,

tom. 4. ſerm. 17. art. 2. cap. 6. ſic ait: *Cum delectatione profectò concipit Mulier, ſed parturit cum dolore: ſic quoque peccator delectationibus peccatorum ingrauidatur, ſed cruciatur cùm per Confeſſionem parit peccata ſua: hinc Propheta ſubdit: Ibi dolores vt parturientis: in quibus verbis oſtendit Confeſſionis pœnalitatem. Et quidem in peccatorum Confeſſione dolores, & non mediocres, ſed parturientis patitur peccator, iuxtà illud Ieremiæ 13. Nunquid non dolores apprehenderunt te, quaſi parturientem mulierem? Nam ingrauidata, & aggrauata eſt conſcientia peccatoris, ſicut de ſe Propheta teſtatur: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Cum uerò per os peccata in confeſſione ſua peccator parit, ex perpetratis ſceleribus erubeſcit, cruciatur, & dolet. Et iuſtum profectò eſt, ut qui inuerecundè Deum deſpexit, per confeſſionem, ac erubeſcentiam Deum placet, cùm uerecundia pars magna pœnitentiæ ſit*: non incongrua meo iudicio comparatio: quia ſi conceptionis delectamentum, partus punitur dolore; ſic peccatorum voluptas ſummo confuſionis tormento magna ex parte compenſatur. Quod ſi Protoplaſtus, vt debuerat, agnouiſſet, ad interrogationem à Deo

Geneſ. c. 3. factam. *Quid feciſti?* Geneſ. 3. *Quis indicauit tibi, quòd nudus eſſes?* ſtatim tranſgreſſionem, culpamq; fuiſſet confeſſus, quod piiſſimus expectabat Dominus, qui petendo quantùm poterat, inſiſtebat, vt confeſſionis pudore confuſo, non pęnã infligere, ſed eius miſereri (ſi ſic dicere licet) cogeretur.

Auguſtin. *Dominus ergo* (ait Auguſtinus in Gloſſa relatus) *nolens peccatores punire, niſi*

Sufficiens delictorum pœna confuſio.

*pœna, qua cogebantur erubeſcere. Quis, inquit, indicauit tibi, quòd nudus eſſes?* quis cæcus nunc non videbit, quàm graue ſupplicium ſit confundi, dum Deus ipſe alia pęna peccatores afficere non vult, niſi quòd verecundari cogantur?

8 Apertiùs quod videre ſi exoptas. 21. Matthæi caput percurre, & illic

Matth. c. 21 diues Paterfamilias, qui plantata vinea, agricoliſq; locata, opportuno tempore, vt annuos redditus exigeret, ſeruos miſit, tibi occurret. *Homo erat Paterfamilias, qui plantauit uineam &c. cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſeruos ſuos ad agricolas, ut acciperent fructus eius*: quos quàm beneuolè excepiſſent agricolæ, ſubdidit Euangeliſta, dùm dicit: *Agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium occiderunt, alium uerò lapidauerunt*: De quo barbarico auſu nil prorsùs indignatus Dominus, alios plures prioribus miſit: *Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus*: quos etiam repetita malitia inhumanitèr trucidauerunt: *Fecerunt illis ſimilitèr*. Deniq; ad ſuæ clementię, ac bonitatis exaggerationem filium miſit vnicè dilectum. *Nouiſſimè autem miſit ad eos filium ſuum, dicens: Verebuntur Filium meum*. Sed ſi Patrem agricolarum feritas non latebat, cur filium miſit? An pecuniã filio præferebat, quòd pro illa iſtius vitã periclitari permittebat? Abſit de tanto Patre Deum figurante ſimilia ſomniare: Cur itaq; filium mittere voluerit, explicat Imperfectus hom. 40.

*Imperfectus*

Nec ipſa diuina Iuſtitia contra confuſum inſurgit.

in Matth. dùm dicit: non ad redditus exigendos, ſed ad impios grauitèr puniendos ipſum miſiſſe; & quidèm non alia pęna, nec alio ſupplicio tantum ſcelus, ac toties repetitum plecti merebatur, niſi filij acceſſu; quia in ipſo ſi non ſanguinem effundere, rubore perfundi debebant: quod cùm acerbiſſimum ſit ſupplicium, alijs minimè manum impoſuiſset diuina Iuſtitia, ſi ipſos confuſos vidiſſet. Præfatus Imperfectus. *Fortè uerebuntur filium meũ: ergo miſit confundere illos, non autem punire. Nàm pro tantis iniurijs benigno Domino ſufficiebat ſola uindicta pudoris.* Ecce quomodò ſcelus nullum reperiri poteſt, quod ſatis pudoris vindicta nõ multetur, dùm pro tot ſeruorum immani trucidatione ſola ſufficiebat vindicta pudoris.

9 Fixum itaque ſit, & citrà concertationis, ac diſputationis ſtrepitũ ratum habeatur, peccatorum confeſſionem non parum ſatisfactioni prodeſſe: quia ſi voluntariè pęnas ſubeundo, pęnę ſatisfacit pœnitens, cùm omnia tormentorum ſuppliciorumq; genera verecundia vincat, magna pænitentiæ portio erit crimẽ fateri. Quod eximiè obſeruauit Ambroſis lib. 2. de Abel & Cain. cap. 9. vbi dicit, ſatis iuſtè non ſtatim pòſt fratris necem Caino Deũ maledixiſſe; ſed poſtquàm

ad-

admonitus ſiluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri. *Nunc maledictus eris ſuper terram*. Geneſ. cap. 4. quia æterno confundi debet pudore, qui confeſſionis rubore culpæ ſatiſfacere negligit. *Quod autem ad rationem profundam attinet, peccantes admonet ad pænitentiam. Confeſſio enim pænarum compendium eſt. Eſt quædam in peccatis uerecundia, & pænitentiæ portio crimen fateri, nec negare culpam, ſed recognoſcere*. Quam quia recognouit prodigus, qui quod clàm perpetrauerat, palàm confiteri non metuit, dicendo: *Pater peccaui in Cœlum, & corã te, iàm non ſum dignus vocari filius tuus*, Luc. 15. veniam illicò impetrauit, dicente Patre: *citò proferte ſtolam primam, & induite illum, date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius*, vbi, vt benè annotat Albertus Magnus, propterea piiſſimus Pater citò eum indui iuſſit; quia iàm putauit malè actæ vitæ ſatisfeciſſe, qui publicè mala confitendo, verecundari non timuit. Præfatus Albertus: *Induite illum, ne nuditas macularũ eius de cætero appareat*. Ecce tibi quomodo nec ipſa diuina Iuſtitia vlteriores infert vindictas, vbi voluntaria aſſumpta eſt vindicta pudoris. Quapropter Nazianzenus orat. 40. fideles ad peccatorum confeſſionem hortando dicere ſolebat. *Nec peccatũ tuum confiteri graue ducas, ſciens quo pacto Ioannes baptizauerit: vt per huius vitæ pudorem futuri ſeculi pudorem, ignominiamque fugias (nam hoc ſempiterni illius ſupplicij pars eſt) ac perſpicuum facias te ſeriò, atque ex animo peccatum odiſſe, ac deteſtari, dum illud tanquam contumelia dignum traducis, ac veluti ludibrio exponis, deque eoque triumphum agis*.

*Gen. c. 4.*

*Ambroſius.* Confeſſio pœnarum compendiũ eſt.

*Luc. c. 15.*

*Albert. Magn.*

*Greg. Naz.*

Nedùm vtilis, ſed neceſſaria ad effugiendam æternam cõfuſionem.

10 Et quidem tantũ confuſionẽ valere, mirum nequaquam eſt, quia ſæpè adeò grauis apparet confuſio, vt in eius comparatione ipſa etiam ſanguinis effuſio, parua calamitas, & leue malum exiſtimari ſoleat ab hominibus. Dicat hoc fortis illa non minus, quàm caſta Suſanna, quæ vel inhoneſtis ſenum petitionibus ſatisfaciendi, vel mortem ſubeũdi data ſibi optione. *Ecce oſtia pomarij clauſa ſunt, & nemo nos uidet, & nos in concupiſcentia tui ſumus: quamobrem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum, quod ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quòd fuerit tecum iuuenis, & ob hanc cauſam emiſeris puellas à te*. Daniel. 13. ſatis duriorem honoris exiſtimauit iacturam, quàm vitæ: vndè quàm mortem hilariter ſubibat, tàm calumniæ confuſionem ferre, eam ingemiſcere faciebat. *Ingemuit Suſanna, & ait: anguſtiæ mihi ſunt undique, ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus ueſtras. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus ueſtras, quàm peccare in conſpectu Domini*. Ambroſius lib. 1. offic. cap. 18. *Tacebat in periculis Suſanna, & grauiùs uerecundiæ quàm uitæ damnũ eſſe putabat; nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam ſalutem. Soli Deo loquebatur, cui poterat caſta uerecundia eloqui: refugiebat ora intueri uirorum*. hæc ipſe. Tu autem illa præcipuè; *grauiùs uerecundiæ, quàm uitæ damnũ eſſe putabat*, ſi acutè perpendes, quàm verecundari, morte ipſa grauiùs appareat, intelliges.

*Dan. c. 13.*

Grauiùs verecundiæ, quàm vitæ damnũ exiſtimabat Suſanna.

*Ambroſ.*

11 Quam veritatem validiori argumento, ſi firmare voluerimus, ſanguinei Chriſti Domini ſudoris expendamus originem, dicente Luca cap. 22. *Factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*: nam quamuis id ſupernaturaliter factum exiſtiment nonnulli; vndè Lyranus: *Secundùm aliquos ſupernaturalitèr factum eſt, vt ſanguis pro ſudore exiret, vt ſic Chriſtus iam ſuum ſanguinem pro ſalute noſtra effundere inciperet*: tamen naturaliter id accidiſſe communior ſentit opinio: quo, vt magis vero ſuppoſito, ſi rationem huius ſanctiſſimi ſudoris mihi liceret adducere, vltra illas Gregorij 24. moral. *Factus eſt ſudor eius, nam appropinquante morte, certamen mentis noſtræ in ſe expreſſit, qui meritò quandam vim terroris patimur, cum poſt puſillum ſimus inuenturi, quod in æternum durat*: Alberti Magni dicentis: *Vt omninò obſtruatur os hæreticorum loquentiũ iniqua, qui dicunt Dñm non verè paſſum eſſe. (Factus eſt ſudor eius) ex anguſtia agoniæ expectatæ mortis profuſus. (Sicut guttæ sãguinis) quẽ anguſtia de ipſis venis extorſerat*: ac deniq; Caietani in hunc modum dicẽtis: *Corpus Ieſu exhauſtum erat, & magnitudo paſſionum pellens, violentè ſudorem pepulit ſimul aliquid*

*Luc. c. 22.*

*Lyranus.*

*Greg. Magn.*

Sanguinei Chriſti Domini ſudoris rationes.

*Albertus Magn.*

*Caietan.*

quid

*quid ſanguinis deficiente ſudoris materia*, aliam adducerem, nempè, quòd adeò mortis moleſtias, atq; dolores verecundia ſuperat, vt Chriſtus Dominus, qui mortem ſubire nil prorsùs timebat pudoris præuidendo ſupplicium, ſanguineum ſudorem emitteret; quod ex eo facilè deduco; nam ſi natura, quæ iuxtà Ariſtotelis doctrinam ſemper infirmiori corporis parti ſubuenire ſolet non ad cor, vt in magnis timoribus accidere ſolet, confluxit, ſed ad externas corporis partes ad faciem nēpe & frōtē, vbi magis pudor ſentitur, cucurrit, manifeſtiſſimū indiciū eſt, nō tàm mortis, quàm pudoris affectum fuiſſe ſupplicio, quod dicere videtur Carthuſianus. ibidem. art. 48. verbis illis: *Propterea tàm vehementem triſtitiam Chriſtus aſſumpſit, vt ſanguineus eruperit ſudor*.

*Carthuſ.*

Magis verecundiæ, quā mortis afficiebatur dolore Saluator,

Ex recentioribus poſtea id adamuſſim dixit Gomezius ſuper Pſal. 50. *Diligenter eſt aduertendum; quòd quanquam Chriſtus Dominus vehementiſſimè tunc apprehendit vtrumq; nempè multiplex, & varium illud tormentorum genus ſibi ſtatim tolerandum, & pudorem illum in iniurijs, ac opprobrijs ſibi iàm inferendis, tantò ei fuit acerbior, & vehementior verecundiæ ſubeundæ conſideratio, quàm tormentorum omnium, & mortis apprehenſio, ut ipſius ſanguis ad ſubueniendum cordi tanto timore affecto non confluxerit, immò potius ipſum deſeruerit, & ad faciē ad medendum ipſius pudori, tanto impetu cucurrerit, ut extra ipſam copiosè fuerit per ſudorem emiſſus*. Quod fortè confirmare voluit Paulus verbis illis: *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta*. Ad Hebr. 12. ideſt, quàm libenter mortem pertulit, tam verecundiam ægrè tulit; ex quibus omnibus ipſa acerbiſſima morte pudorem grauiorē exiſtimari liquidò conſtat.

*Ad Hebr. c. 12.*

11 Quis tandem fidem mihi præberet, ſi ipſam damnatorum pœnam pudoris ſupplicio comparari quodammodò minimè poſſe aſſererem? Et tamen vniuerſale iudicium vltra rationes multas à Patribus allatas, & à Toſtato. quæſt. 318. recenſitas, propterea etiā faciendum reperio, vt per pudefactionem damnatorum augeatur ſupplicium, quod ex verbis illis Pauli: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus: qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*, colligit præfatus Toſtatus, quæſt. 347. & quæſt. 340. vbi ad interrogationem à ſe factam: *Cur malis neceſſe eſt mala reuocare in mentem, quæ egerunt?* Reſpondet: *Vt multum confundantur, qui talia ac tanta commiſerunt contra ſuum Dominum, & Redemptorem, & fiet hoc in pœnam damnatorum, ſcilicet, quòd non ſolùm doleant de pœna, quam ſuſtinēt, ſed etiam cùm agnouerint tantam multitudinem malorum à ſe commiſſorum, ipſa cogitatio eos affligat.* Et ſatis clariùs expreſſit Gregorius verbis illis: *Ad pœnam quippè tunc factorum ſuorum memoriam tolerant, qui nunc quaſi à ſenſu rationis extranei gaudētes peccant, ibi uidebūt, quantùm debuerint fugere quod amauerāt, ibi conſpicient, quàm lugubre fuerit, quòd nunc in culpa gratulātur. Quis igitur dignè penſet, iniquorum confuſio quanta tunc erit, quando & foris externus Iudex cernitur, & intùs ante oculos culpa uerſatur.* Igitur ſi ipſum damnatorum ſuppliciū confuſione cumulatur, quàm importabile tormentum ſit verecūdia affici, dùm ad alia me verto, tibi conſiderādum relinquo.

Vniuerſale Iudicium, cur faciendum?

*1. Cor. c. 4.*

*Toſtatus*

*Gregor.*

Nec ipſa quodammodo damnatorum pena confuſioni comparari poteſt.

## Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquàm ethnicus, & publicanus. Matth. 18.

### §. II.

*Ex iuſtorum conſortio, nequiores, execrabilioreſq; apparere ſolent iniuſti.*

1 Oppoſita, verùm ſi eſt, quòd *iuxtà ſe poſita magis eluceſcunt*: Quis hanc improborum à probis ſeparationem, *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam ethnicus, & publicanus*. Matt. 18. per quam, iuxtà communem expoſitorum ſententiam, nil aliud ſignificatur, niſi illum deuita, & vt ab excommuni-

*Philoſoph.*

*Matt. c. 18.*

municato te ab eo ſeiunge. Ità inter cæteros Origenes hom.6. in Mattheű. *Sit tibi tamquàm Ethnicus, ſic eum debemus habere, quaſi Publicanum, & Ethnicum, abſtinentes ab eo, ut confundatur:* aliqualem Dei noſtri non cenſebit pietatem, quæ cùm ob peccatoris conuerſionem, vt dixit Euthymius. *Sit tibi tanquàm Ethnicus: ſit tibi deinceps incōmunicabilis, cum quo nullam ineas uitæ ſocietatem. Vide autem quantum adhiberi iuſſerit, ut corrigantur ij, qui fuerint offendiculo:* tùm etiam, quod magis ad rem noſtram facit, ne nequiores in iuſtorum comparatione iniqui appareant, odibilioreſq; ne habeantur, ipſos a iuſtis ſeiungi præcipit, cùm admodùm vera ſit ſupra allata aſſertio, quòd cùm comparantur oppoſita magis elucent, iuxtà illud Prouerb. 26. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: ita qui tribuit inſipienti honorem.* Vel, vt inter alios Salazarus vertit. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum margaritarum, ideſt, ſicut communem, rudem, & impolitum lapidem qui iactat in margaritarum aceruum, hoc efficit, vt lapidis impolitia, ruditas, & turpitudo cum gemmarum elegantia, & pulchritudine collecta, magis ac magis diſpliceat: ſic qui rudem & impolitum hominem ad ſapientum cœtum aſſumit, hoc ſanè præſtat, ut eum ſapientibus comparatus, ſuam imperitiam & ſtoliditatem magis probet.* Ex quibus omnibus infero, quòd ſi pretioſæ margaritæ expolitiq; lapides ab Eccleſia iuſti vocantur, ſecundum illud:

Origen.

Euthym.

Prou.c.26.

Salazar.

Boni inter malos pulchriores, & è contra.

*Portæ nitent margaritis Aditis patētibus*
*Tuntionibus preſſuris Expoliti lapides*
*Suis coaptantur locis Per manus artificis.*

S.Eccleſia

E contrario autem cum rudes lapides iniuſti dicantur, ſecundum illud Iob c.8. *Super aceruū petrarū radices eius denſabuntur, inter lapides commorabitur.* Dei cenſenda eſt pietas, quòd inter diſpares hos lapides nulla fiat commixtio, ne ex illorum elegātia horū maior appareat turpitudo. Vndè quā nequiores, execrabilioreſq; ex iuſtorū cōſortio appareant iniuſti, ex ſequentibus Sacræ Scripturæ locis non obſcurè patebit.

Iob. c.8.

Improbi ex comparatione malorum improbiores apparent.

2 Quod præſens argumentum, vt exordiar, quid de ſeditioſo Barabba Diuus Matthæus narret c. 27. in medium affero, ubi nequiſsimi huius viri ſcelera vnico complectens verbo, ſic ait: *Habebat autem tunc vnum vinctum inſignem Barabbam:* Vbi Lyranus. *Dicitur autem inſignis, non nobilitate, ſed ex famoſitate criminis:* Et Carthuſianus. *Inſignem, hoc eſt, in malitia eminentem:* quæ verba quoties conſidero, non poſſum non mirari, cur ſic abſolutè in ſceleribus eminens, & in vitiis inſignis ſeditioſus ille vocetur? præſertim cum in Diuo Marco quibus ſceleribus teneretur, reperiam, dicente eodem: *Erat autem, qui dicebatur Barabbas, qui in ſeditione fecerat homicidium.* cap. 15. ergo propter hæc duo tenebatur Barabbas? Ita ſanè. Sed cur, bone Deus, in his ſceleribus inſignis non vocatur Abſalon, qui & ſeditionem, & parricidium cunctis diebus vitę ſuæ moliebatur? Cur inhumanus Cain hoc nomine non appellabatur, qui in orbem primam ſeditionem introducens, innocentem Abelem occidit? Cur, cæteris omiſsis, vnus ipſe Barabbas inſignis, eminenſq; in vitijs appellatur? Sed percipio rationem, quando eum cum Domino comparatum video, dicente Pilato: *Quem vultis dimittam uobis Barabbam an Ieſum, qui dicitur Chriſtus?* Matth.26. Quid ergo mirum, quod nequiſsimus, quòd ſceleſtiſſimus, in vitijſq; omnibus eminentiſſimus vocetur Barabbas, ſi cum Domino omniū virtutum magiſtro comparatur? Carthuſianus art.45. *Pilatus toto affectu cupiens Ieſum eripere, ponit eis duos duntaxat, unum ſceleſtiſſimum, & alium innocentem, putans quòd nullo modo eligerent Barabbam ſibi dimitti, ſed Ieſum:* Et certè ſubtilis inuentio, ſubtilis, & ingenioſa equidem; nam vt Barabbæ ex hac comparatione clariùs appareret iniquitas, & Saluatoris magis innoteſceret Sanctitas, Barabbam cum Chriſto proponit Pilatus. Ità Brugenſis comparationis rationem aſſignans, quùm ait: *Vt ſaltem comparatione, ſi non æquitate uel pudore populus flecti potuiſſet:* certè vides, quòd Pilatus, vt Saluatoris notam faceret innocentiam, criminoſum cum eo propoſuit, vt ſicut ex comparatione ſcelerum eminentia magis apparebat in Barabba; ſic Saluatoris innocentia, virtus ac, ſanctitas clariùs fulgeret.

Matt. c.27.

Barabbas cur inſignis in ſceleribus vocatur?

Lyranus

Carthuſ.

Marc.c.15.

Carthuſian.

Brugenſis.

Malus bono comparatus peſſimus apparet.



Digitized by Google

3 Manifeſtiùs tamen, vt tactum innoteſcat argumentum, Noe diuinũ præconium non abſcõdo, dicente ſcriptura: *Noe uir iuſtus atq; perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit. Corrupta eſt autẽ terra corám Deo, & repleta eſt iniquitate.* Gen. 6. Quam ſcripturæ ſeriem conſiderans Chryſoſtomus homil. 24. ſuper idem, ſubtiliter quærit, & non immeritò: cur pòſt Noe ſanctitatem, atque virturem, nulla interpoſita mora, totius Orbis deſcribitur iniquitas? Quæ conuentio virtutis ad vitia? Si virtutes tantùm iuſti deſcribi poterant, ſatis erat dicere: *Noe vir iuſtus atq; perfectus fuit in gerationibus ſuis, cum Deo ambulauit*: cur immediatè ſcriptura ſubdere voluit, *Corrupta eſt autem terra corám Deo, & repleta eſt iniquitate*? Sed altus certè ſcribẽdi modus eſt iſte, ait præfatus Chryſoſtomus: vt enim ex comparatione iuſtorum iniquiores ſceleſti appareant, hanc narrandi ſeriem tenet Sacra Scriptura; quia inter peccatores degens Sanctiſſimus Noe, quantò ipſe ſanctior videbatur, tãtò in ipſius comparatione nequiores apparebant illi: Chryſoſtomi ergo verba ſunt hæc. *Poſtquam dixit, de iuſto illo, ſtatim ſubdit: corrupta eſt autem terra corám Deo, & impleta eſt iniuſtitia. De iuſto enim dicebat ſcriptura: Noe homo iuſtus, atque perfectus in generatione ſua. De reliquis autem inquit: Corrupta eſt terra corám Deo, & impleta eſt iniuſtitia.* Ecce quomodò ex vnius iuſtitia, alterius magis apparebat iniuſtitia; ideò ſtatim ac Noe deſcribitur ſanctitas, mundi itidem narratur iniquitas.

*Geneſ. c. 6.*

*Chryſoſt.*

*Idem.*

Iuſtus inter iniuſtos ſatis elucet.

3 Cęterùm hic non ſiſtit Sacra Hiſtoria; ſed ad vindictæ deſcriptionem procedens, ſic Dominum loquentem introducit. *Finis vniuerſæ carnis venit corám me: repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra* Geneſ. 6. Quę verba ſi iuxtà Chryſoſtomi verſionem per finem tempus intelligentis, quùm dicit, *Tempus omnis hominis venit corám me, quia repleta eſt terra iniuſtitia ex illis, & ecce ego corrumpo illos, & terram*, ſic ipſe homil. 24. iu cap. Gen. 6. legemus, non modica poſſet inſurgere difficultas: cur tempus deſtructionis, ruinæ, vniuerſaliſque occiſionis tũc aduenisse dicatur, *Tempus omnis hominis venit corám me*? ſi propter communem omnium iniquitatem talis diuina indignatio apparebat, dicente Scriptura, *Omnis quippè caro corruperat viam ſuam.* Optimè quidẽm: Sed cur ſceleſti tunc præcisè, & non antè, pœna erant afficiendi? Si à Deo iam declinauerant omnes, ſi ante hæc in vitijs cuncti nutriebantur, cur præcisè nunc punitionis tempus aduenisse proprio ore teſtatur Dominus, quùm dicit: *Tempus omnis hominis venit corám me*? At certè ex dictis facilè difficultatis ſolutionem percipio: quia iuſtiſſimus Noe inter peccatores verſabatur, quantò ex comparatione iuſtior, Deoq; gratior apparebat ipſe, tantò nequiores, atque infenſiores diuinis oculis videbantur illi; ideò dicit: *Tempus omnis hominis venit corám me*: manifeſtiùs ac ſi diceret: tempus, in quo cum iuſto verſantur iniuſti, tempus iræ, punitionis, atque vindictæ vocari meritò poteſt; quia quò ſceleſtiores ex comparatione apparent, eò pęna digniores exiſtimantur. Pręfatus Chryſoſtomus: *Quid eſt, tempus omnis hominis venit corám me? Magnam, inquit, oſtendi longanimitatem: volens hãc inferre pænam, quam illaturus ſum: ſed quia immodica peccatorum illorum multitudo in hoc tempus eos adduxit, & finem ijs imponere oportet*: nota quæſo verbũ illud: *In hoc tempus eos adduxit*, quod idem ſonat ac; quia iniquitas in Noe tempus peruenerat, quia cum iuſto verſabantur iniuſti; ideò cùm peiores, atque infenſiores apparerent, meritò punitionis tempus tunc aduenisse deſcribitur.

*Gen. c. 6.*

*Chryſoſt.*

Iniquitas cũ iuſtia collata diuinam ſolicitat vltionem.

*Gen. c. 6.*

*Chryſoſt.*

5 Hinc lucem facio celebri difficultati petitę ex cap. Matthæi 22. cur tàm grauitèr obiurgatus, immò tàm ſeuerè punitus deſcribatur homo ille, qui ſine veſte nuptiali cõuiuij locũ fuerat ingreſſus, dicente Euangeliſta: *Intrauit autem Rex, vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitũ veſte nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodò huc intraſti, non habens ueſtem nuptialem? Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eũ in tenebras exteriores*, ſi ipſe illum inuitauerat, ſi per ſeruos vocauerat, quan-

*Matt. c. 22.*

do dixerat: *Ite ad exitus viarum, & quoſcunq; inueneritis, vocate ad nuptias:* immò ſi iuxtà ipſius mandatum mali non minùs congregati ſunt, quàm boni, dicente Euangeliſta: *Egreſſi ſerui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos, & bonos:* qua de cauſa contra hunc miſerum indignaretur, eumq; irreuocabiliter in tenebras exteriores mitteret, ſanè non intelligerem, niſi ex præcedentium lumine viderem, aliorum veſtium ſplendore iſtius ſordes magis apparere; ideò teijcitur, ideò punitur: Ità declarat parabolam Diuus Maximus, qui per nuptias, Eccleſiam; per vocatos, fideles; per veſtem nuptialem, gratiam, atq; virtutes; per ſordida indumenta, peccata debere intelligi fatetur: ſed quid plura? ſicut inter ſplendida diſcũbentium veſtimenta, ait citatus Sanctus, ſordidior apparebat iſte, ſic inter iuſtos iniuſtus iniuſtior, pęnaq; dignior videri conſueuit: ſic ipſe hom. in Vigilia Natiuit. *Quantò plus ſimul diſcumbentium beatorum candebat ſanctitas, tantò magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minus diſplicuiſſe forſitan ſi in conſortium iuſtorum minimè ſe dediſſet; propterea in tenebras mittitur exteriores.* O ſi nunquam in iuſtorum conſortium hic iniuſtus ſe dediſſet! fortaſsè non ſic odibilis apparuiſſet, nec tali pęna mulctatus fuiſſet, vt optimè notauit citatus Maximus, quùm ait: *Poterat forſitan minus diſplicuiſſe, ſi in conſortium iuſtorum ſe minimè dediſſet.*

*D. Maxim.*
Sordeſcit maculata veſtis, ſi cum ſplendida conferatur.

*Idem.*

5 Huc dæmonum querimonias ob Domini aduentũ à Diuo Mattheo c. 8. deſcriptas reuoco, vbi recitat hic Euãgeliſta, quòd cùm Chriſtus Dominus in Geraſenorum regionem perueniſſet, occurrerunt ei duo Dęmoniaci ſæui nimis: quorum ſæuitiẽ non miror, cùm Dæmones omnis crudelitatis authores agnoſcam; nec quòd in proprijs domibus illos habitare non permitterent; quia, vt ait Paulus de Palatio, Dęmon ex propria domo relegatus, non patitur quemquam in ſua domo habitare: *Abiectus Dæmon de Cælo in perpetuum fuit: nollet quemquam in ſua domo gaudere:* nec denique quòd in ſepulchris, veluti in tenebricoſiſſimo, fętidiſſimoq; carcere incluſos quotidiè teneret: quia vt ait mòx citatus Paulus: *Cùm Dæmoni ſic paratus carcer perpetuus, & vincula æterna, ſuorum tomentorum ſocios habere deſiderat:* ſed eorum iniuſtas querimonias percurrens: *Quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei?* non poſſum nõ mirari, cùm ſciam omnem creaturam in fieri, & conſeruari à Deo dependere, quomodo ergo ſui curam ad Deum non pertinere, iuxtà Paſchaſij expoſitionem, falsò fatentur dęmones iſti, dicentes: *Quid nobis & tibi Ieſu Fili Dei?* Et quod magis difficultatem auget, eſt, quòd addunt: *Veniſti huc ante tempus torquere nos?* ſi ab ipſo peccati, caſuſq; die pęnas experiri cœperunt, quomodo nunc ob Saluatoris præſentiam ſe torqueri dicunt; *Veniſti huc torquere nos?* Sed ò magna veritas ex mendaci ore prolata! nouerant ſiquidem dæmones ex Chriſti præſentia, & ſanctitate, eorum malitiam atq; perfidiam magis eluceſcere; ideò dicebant: *Quid nobis, & tibi?* quod idem ſonat, vt Brugenſis ait, ac *Omninò aliena eſt tua ratio à nobis, tu es filius Dei, nos dæmones à Deo prorsùs alieni: tu Chriſtus Sanctus Dei, nos ſpiritus immundi: nihil autem commercij illi cum his, filio Dei cum Dæmonibus, nihil commune Chriſto cum Belial, luci cum tenebris, iuſtitiæ cum iniquitate:* ac ſi apertè dicerent, licèt cæci, licèt à veritate aberrantes, tamen ex tua præſentia cognoſcimus, confitemur, immò hanc veritatem prædicamus, noſtra vitia magis detegi, nota fieri ſcelera: & quid plura? *Veniſti torquere;* quia ex tali aduentu, ac præſentia nedùm nequiores, ſed odibiliores nos intelligimus, grauioribus pęnis nos afficiendos timemus; ideò non ſine męrore cõquerimur, dicentes: *veniſti torquere.* Rem tetigit Toſtatus quæſt. 18. ſuper cap. Matth. 8. ſequentibus verbis. *Dæmones naturalitèr ſentiebant ſe puniri pręſente Chriſto, ità quòd nunc eſſent multò maiora tormenta eorum, quàm prius; ideò clamabãt præ dolore: veniſti torquere nos?* Ecce quomodò ex Chriſti præſentia ipſi mendaces dæmones confitebantur nequiores, odibilioreſq; videri, dùm dicunt: *Quid nobis, & tibi? veniſti torquere nos?*

*Paulus de Palatio.*

*Matth. c. 8.*
Cur Dęmones de Chriſti conquerebantur aduentu?

*Paſchaſ.*

*Brugenſ.*

*Toſtatus.*
Iniquus ex iuſti præſentia torquetur.

6 Nil prorsùs diſſimilis ab hoc,

quod

quod modò diximus, eſt locus ille 3. Reg. 17. vbi relato cuiuſdam pueri periculoſo languore, ſtatim matris viduæ contra Eliam ſcribuntur querelæ, di-

3. Reg. c. 17.

cente ſacra pagina. *Factum eſt autem post hæc, ægrotauit filius matris familias, & erat languor fortiſſimus, ità ut non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliã: Quid mihi & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Vbi, inter cæteros Sacræ Scripturæ Expoſitores, Carthuſianus art. 25. duas, & non vulgares difficultates mouet: quarum prima eſt: ſi vidua iſta ad hoſpitalitatem propenſa erat, ſi Prophetam libenter exceperat, cur poſtea cõqueritur: *Quid mihi & tibi vir Dei?* quod ſecundùm eum idem ſonat, ac *quare conuenimus*: ſecunda autem: ſi hoſpitalitas ſemper Deo grata fuit, quomodò verè dicere poterat, per Prophetę receptionẽ detegi eius iniquitates, & Dei vindictam contra ſe excitari,

3. Reg. c. 17.

quòd dicere non timuit: *Ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Nihilominus vtrique difficultati, & quidem ad rem noſtram, nimis acutè ſatisfacit Carthuſianus, dicendo; quòd non de Eliæ aduentu, nec de hoſpitalitate conquerebatur mulier; ſed morum, vitæq; diſparitatem, quam tunc præcipuè ex Prophetæ aduentu agnoſcebat, lamentabatur: putabat enim (& ex humilitate quidem) quòd in Eliæ comparatione non ſolùm nequior appareret, ſed etiam vt Deo magis inuiſa, grauiori pœna ſe plectendam exiſtimabat; ideò dicere non timuit: *Ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ;* hoc eſt, ideò ad me veniſti, vt ex hac ſocietate, ſicut tu ſanctior, ſic nequior appaream ego. *Et vt interficeres filium meum*, hoc eſt, ſicut ex hac comparatione tu quodammodo gratior Deo redderis, ſic ego grauiores pęnas luere debeam. Nil prorsùs aliter declarauit rem iſtam Carthuſianus, quùm ait:

*Carthuſian.* Eliæ aduentũ timebat vidua, ne illius comparatione Deo inuiſa appareret.

*Quid mihi & tibi uir Dei, ideſt quid commune eſt nobis, & quare conuenimus, cum impares ſimus in uita?* & poſt non multa ſubdit: *Ingreſſus es ad me, quaſi dicat: idcircò ueniſti ad me, ut reſpectu, & comparatione ſanctitatis tuæ magis appareant, & grauiores à Deo iudicentur culpæ meæ; cùm oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant*: Quis nunc noſtrum argumentum optimè probatum non videbit, quòd in iuſtorum comparatione odibiliores, execrabilioreſq; apparere ſoleant iniuſti?

7 Quod ſi alia probatione roborare cupiemus, quid Petrus poſt copioſam piſcium capturam ad Dominum ſit loquutus, audiamus: *Exi à me, quia peccator ſum, Domine.* Lucæ 5. Sed quid

*Luc. c. 5.*

dicis ò Petre? An quæ loqueris, fortè ob ſtuporem non cogitas? quia peccatorem te agnoſcis, ad Dñm accedere propterea debes, te ad eius pedes, vt mulier illa, quę erat in ciuitate peccatrix, proſternere debes. In hunc modum poſt Auguſtinum, alioſq; Patres ex recentioribus, loquitur Toletus annotat. 11. cuius verba ſunt hęc: *Difficultas eſt, cur Petrus Chriſti præſentiam recuſet ea ratione motus, quia peccatorem ſe agnoſcebat, cùm potiùs hæc eſſet cauſa ueniendi ad ipſum?* & licèt non pauci ob reuerentiam, atque humilitatem hoc autument dictum; ipſe tamen præcipuè ex timore hoc Petrum dixiſſe aſſerit, quod colligit ex verbis Saluatoris ad Petrum reſpondentis, atq; dicentis: *Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens.* At quid præſente Saluatore timere poſſet Petrus, explicat ipſemet Toletus, quùm dicit: *Timuit ergo Petrus ex præſentia ſanctitatis, & virtutis admirandæ, ſeque peccatorem conſiderans, ſummerſionem illam pœnam ſuorum peccatorũ arbitratus eſt; mentis enim ſuæ aciem fixit in demerito ſuo, ac in iuſtitia, & præſentia Chriſti: timent enim mali iuſtorum præſentiam, ne dignam ſuis peccatis accipiãt retributionẽ*: nouerat iſte ſapiẽs piſcator, oppoſita iuxtà ſe poſita magis eluceſcere: ideò in Chriſti conſortio timebat, ne magis ſua imbecillitas eluceſceret, ob quam ſubuerſionem, mortemq; vicinam putabat; verum cùm ſit quod ait præfatus Toletus: *Quòd timent mali* (vt ſe ex humilitate exiſtimabat Petrus) *Iuſtorum præſentiam, ne dignam ſuis peccatis accipiant retributionem.* Quæ pro præſenti inſtituto ſufficiant.

*Toletus.* Cur Petrus Chriſti præſentiam recuſabat, dicendo: *Exi à me Domine.*

*Toletus.* Iuſtus iniuſtori cõparatus iniuſtus apparere metuit.

Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis eſt. Matth. 18.

## §. III.

*Virtutum quàm magnificus remunerator Altiſſimus.*

*Ad Epheſ. c.2.*

1 QVis Deum in pietate magnum, & in miſericordia diuitem, iuxtà illud Pauli ad Epheſ.2. *Deus autem, qui diues eſt in miſericordia*, non cenſebit? cùm non tantùm abſque merito immeritis benefecerit, ipſos per gratiã ſpiritualitèr viuificando, vt Pauli verba immediatè ſequentia declarant: *Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto*: & poſt Chryſoſtomum homil.4. ſuper idem dicentem. *Non ſimpliciter dixit, miſericors; ſed diues in miſericordia: quemadmodum & alio loco dicitur, in multitudine miſericordiæ tuæ miſerere mei*, etiam ad ipſum dicere piè nouit Vrbanus Quartus ſuper Pſal.50. *Tu autem Deus, qui diues es in miſericordia, dimittens originalia, & actualia, non propter meritum noſtrum, ſed propter nimiam charitatem, qua dilexiſti nos, cùm eſſemus mortui in peccatis, cõuiuificaſti nos, & tuã gratiã in baptiſmo cõtuliſti, animã à vetuſtate culpæ mundando, reatum eius ſoluendo, ac ipſam à pœna perpetua liberando*: ſed etiam pro quolibet recto opere, ſiue magno, ſiue paruo mercedem promittat, & præſtet, quòd benè impræſentiarum obſeruauit Lyranus, qui verba illa, *Si duo, vel tres conſenſerint inter ſe*, ad ſenſum myſticum reducendo, dicit: *Si ſpiritus, & anima, & corpus conſenſerint, vt non ſit contra eos bellum, carne concupiente contra ſpiritum, & ſpiritu contra carnem, quicquid petunt, fiet*. Immò adeò diues eſt in miſericordia, vt quod ſpontè ſpiritui cum carne, & animę cum corpore concordanti concedit, ſe debere fateatur; ſic ex verbis illis: *Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*: Matth. 6. colligit Chryſoſtomus, dùm ait: *Non enim dicit, donabit tibi, ſed reddet, inquit, debitorem quippè eum tibi conſtitui, ſeque magno pro hoc etiam honore donauit*: ſic ex parabola illa de operarijs pro denario in vineam ad operandum miſſis, *Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit, dabo vobis*, perceperũt ſcholaſtici, qui, ſtante diuina conuentione, opera noſtra de condigno cęleſtem beatitudinem promereri, aſſerere non dubitarunt: ſic docuit Paulus verbis illis: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus iudex* 2. Tim. 4. & ſic deniq; infinitæ eius miſericordiæ aliquis emicat radius, dum quod ſpontè concedit, facta conuentione, ex iuſtitia ſe debere non dedignatur: quod forſè conſiderans Nilus Monachus in capitibus de oratione c. 31. dicere conſueuerat: *Quid bonum, niſi Deus? igitur reddamus ei omnia noſtra, & benè erit nobis: bonus enim idẽ pronus, bonorumq; munerum dator eſt*. Ex quibus capta dicendi anſa, quàm hic diues in miſericordia, hanc duorum, animæ ſcilicet & corporis concordiam, vel ut clariùs loquar, hominum benefacta compenſet, oſtendemus.

*Ibidem.*

*Chryſoſt.*

Deus in miſericordia diues.

*Vrbanus 4.*

*Matt. c.18.*

*Lyranus.*

*Matt. c.6.*

*Chryſoſt.*

Quod ſponte Deus cõcedit, ex iuſtitia ſe debere fatetur.

*2.Timoth. c.4.*

*Nilus monachus.*

Bonorum omnium dator.

2 Quæ quidem compenſatio quãta futura erit, percurrentem ſcripturas latere minimè puto, pręcipuè cùm ipſe Dominus dicat: *Amen dico vobis: Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores propter me, & propter Euangelium, qui non recipiat centies tantum, nunc in tempore hoc: domos, et fratres, & ſorores, & in ſæculo futuro vitam æternam*. Marc. c.10. in quibus verbis mira Dei largitas elucet, dum non tantùm in futuro; verùm etiam in præſenti ſæculo centies tantum ſe daturum promittit. Chryſoſtomus hom. in pſal. 48. *Ne mihi dicas ſolummodò futura do tibi etiam pignora coronarum, immò arrham ipſam & præmia.* Vide Dei largitatem, quę nec futuram vitam, nec vniuerſalem retributionem expectat, ſed etiam

*Marc. c.10.*

Deus etiam in hoc ſęculo erga iuſtos munificus.

*Chryſoſt.*

in præ-

Digitized by Google

in præſenti ſæculo coronas largitur & præmia.

3 Hanc Chriſti promiſſionem in muliere illa, quæ diſcumbentis Domini capur vnxiſſe deſcribitur, adimpletam optimè noui: nam cùm de ea murmurarent omnes, ſed proditor magis, qui ſub pietatis ſpecie in eam fremebat, dicens: *Vt quid perditio hæc? potuit enim vnguentum iſtud venundari multò, & dari pauperibus*: Matth. c. 26. Vnus ipſe Saluator cauſam eius ſuſcipiens, dixit: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? Opus enim bonum operata eſt in me. Amen dico vobis vbicumq; prędicatum fuerit hoc Euangelium, dicetur, & quòd hęc fecit in memoriã eius.* Matth. 26. ſed in memoriam cuius, ò Domine, fecit hoc Magdalena? in ſui, an in tui memoriam? abſit in ſui memoriam hoc factum dicere: nam quomodò Magdalenæ obſequiũ à Phariſæorũ fictionibus diſtare videretur, ſi ob memoriam ſui hoc feciſſet, ac pro inani gloria ſi hæc egiſſet? quomodò ergo dicitur, quòd factum ſit in memoriam eius? Rem perpendens Lyranus, dixit: Magdalenam in obſequiũ Chriſti illud feciſſe; attamẽ quæ illa pro Chriſto faciebat, hęc Chriſtus pro mulieris gloria prędicari iubebat: Audi Lyranum: *In memoriam eius, ideſt, in laudem eius recitabitur, tamquàm factum virtuoſum, & hoc patet iam adimpletum.* Vide tu nunc Domini in retribuendo magnificentiam, dum etiam in hoc ſæculo, quæ pro ipſo impendimus, pro noſtra gloria prædicari iubet, ac ſi pro nobis, non pro ipſo, quod agimus, actũ eſſe videretur.

*Matt. c. 26.*
Vngueti effuſio à Magdalena in Chriſti obſequium effecta ei ad modũ grata.
*Ibidem.*

*Lyranus.*
Quæ in Dei obſequium præſtamus, in noſtram gloriã etiam in hoc ſæculo côuertuntur.

4 Nec vulgaris certè ad præſens inſtitutum eſt locus ille Iacobi 5. vbi de patientia Iob, & Saluatoris morte. Sic dicit: *Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis*: Communis certè eſt Sanctorum Patrum opinio, hic de patientia Iob, & de morte Chriſti eſſe ſermonem; ſicq; exponunt: ſicut ex antiquis ſufferentia Iob ad patientiæ exemplum vobis proponitur; ſic ex vicinioribus mortẽ innocẽtiſſimã Saluatoris, maximũ ſufferentię, patientiæq; exceſſum proprijs oculis vidiſtis. Ita inter cæteros exponit Carthuſianus ibidem. *Quod dictum eſt, finem Domini vidiſtis, communitèr de Chriſto exponitur, ut ſit ſenſus, finem Domini, ideſt mortem Chriſti in cruce vidiſtis, quia aſtantes cruci fuiſtis*: & licèt ſecundùm hanc opinionem per Domini finem mors Chriſti ſit intelligenda; tamen Carthuſianus loco citato per Domini finem, etiam finalem liberalitatem Dei ergà Iob intelligi poſſe fatetur, vt ſit ſenſus: ſufferentiam, ideſt, paupertatem, quam ſuſtinuit; tribulationes, quas eſt paſſus; dolores, quos pertulit; ſudores inter pręlia; & labores inter agones audiſtis, cùm hæc, aliaq; multa Sacra narret hiſtoria: finẽ tamen Dñi, quomodò videlicèt Dñus cum Iob finaliter egerit, nõne vidiſtis? nonne poſt paupertatem, diuitias; pòſt tribulationes, quietem; pòſt dolores, ſanitatem; pòſt certamina, coronas dedit, vt eadem narrat hiſtoria: *Et addidit Dominus quæcumque fuerunt Iob duplicia?* ſi hæc audiſtis, Domini conſiderate largitatem, virtutũ, meritorumq; retributionem videte, qui finem, & mortem iuſti non expectat; ſed etiam in hoc ſæculo duplicia reddit, vt ſine comparatione maiora recipiat in futuro. Præſtat nunc verba præfati Carthuſiani audire: *Finem Domini vidiſtis, ideſt, quàm gratiosè Deus finaliter egit cum Iob, non ſolùm poſt vitam præſentem; ſed etiam in ſæculo iſto eum remunerando, vidiſtis per fidem, quùm ſacra eius narret hiſtoria*: ac ſi diceret: talis certè diuina eſt largitas, meritorum talis eſt retributio, vt moræ, temporiſque impatiens, non poſſit ſe continere, quin etiam in præſenti duplicia conferat.

*Iacob. epiſt. canon. c. 5.*

*Carthuſian.*

*Iob c. 42.*

*Carthuſian.*
Iobi patientia etiam in hoc ſæculo remunerata

5 Sed ſatiſne erunt hęc ad exprimendam Chriſti Domini liberalitatẽ? minimè quidèm: ideò dicam, verumq; me dicere exiſtimabo; adeò Deum in retribuendo magnificum eſſe, vt nec ipſe iuſtus petere, vel vt ampliùs dicã, excogitare vnquàm potuerit tantam virtutum retributionem. De Patrefamilias operarios in vineam ducente ſępius me legiſſe memini, omnibus operarijs denarium pro labore promiſiſſe: *Conuentione autem facta ex denario diurno.* Matth. cap. 20. tamen vocatis circa horam vndecimam, nihil determinatè, ſed aliquid ſe daturum ſpopondit: *Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit, dabo vobis*: Ergo cum

*Matt. c. 20.*

Digitized by Google

cum his vltimis nulla prorsùs conuentio facta fuit: ſed audi rei euentum: tranſacto die, peractoq́; labore, antè patremfamilias omnes vocantur operarij, eoq́; iubente, à nouiſſimis incipit retributio. *Cùm veniſſent ergo, qui circa vndecimam horã venerant, acceperunt ſingulos denarios:* Cuius rei non parùm miratur Auctor operis imperfecti homil. 34. in Matth. ſic dicens: Si cum iſtis nulla erat facta conuentio, ſi tantùm primis propter multum laborem fuit promiſſus denarius, cur etiam iſtis æquè ac illis fuit data retributio? certè nec talis ab ipſis operarijs expectari, nec vnquam optari poterat. Imperf. loc. cit. *Cùm iſtis autem non fecit pactum, benignus enim Paterfamilias ſciebat largitatem ſuam, quia tantum paratus eſt retribuere, quantum mercenarij recipere non ſperabant.* Perpende quæſo verba illa, *Quantum mercenarij recipere non ſperabant*, & negare minimè poteris, quin plus ipſe in retribuendo concedat, quam homo ſperare, vel cogitare poſſit.

*Imperfect.* Præmium vltrà expectationem conceditur.

6 Fallor, niſi veritatem iſtam Sancti ipſi coràm tota multitudine apertè confitebuntur, quos in iudicio in dextris, vbi electorũ eſt locus, cõſtitutos, verba illa omni dulcedine plena audientes: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum: Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c.* Matth. 25. eſſe reſponſuros teſtatur Euangeliſta: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum?* Me non latet multos hoc ſummum pietatis opus egiſſe: hoc Martha ipſum in domum ſuam recipiens, eiq́; ſedulò miniſtrãs, egit: hoc Zachęus illũ cum gaudio ſuſcipiens: hoc tandem egerunt multi, quos tamen alitèr in iudicio dicturos teſtatur Matthæus, in perſona eorum dicens: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te?* Scio iuſtorum humilitati hoc eſſe aſcriptum à multis, qui certi de beatitudine, etiã virtutis opera, ſi fieri poſſet, tegere conarẽtur: Chryſoſt. tamen ho. 80. ex cap. Matt. 25. verba hęc admirantiũ potiùs eſſe, quàm negantium aſſerit, cùm clamat: *O quantæ gloriæ, quantæ beatitudinis hæc verba ſunt! quibus verò pro rebus, hæc nobis retribuuntur? Pro tecto, pro veſte, pro poculo aquæ frigidæ:* ſtupebunt iuſti, mirabuntur nimis magnitudinem præmiorum, ait Chryſoſtomus, quòd fragmen panis hanc retributionem parere potuerit, quòd pro poculo aquæ frigidæ eis tanta merces concedatur: nunquam prorsùs, ait ipſe, hanc retributionem excogitare potuiſſent, quę ſupergreditur vota, excedit & merita.

*Matt. c. 25.*

*Ibidem.*

*Chryſoſt.* Et ſtupe-rem inenties.

7 Hinc autem non multum difficile apparebit illud obſcurum dictum Chryſoſtomi, quòd deſideria Sanctorum ſint nimis auara, cùm dicit: *Maiora erunt præmia Dei, quàm deſideria auara Sanctorum:* ità hom. 9. in cap. Matth. 5. Quæ quidem Chryſoſtomi ſententia admodùm difficilis mihi videretur, ſi Dei liberalitatem neſcirẽ, quæ talem ſe exhibet, qualem ipſe iuſtus, nec petere, nec cogitare quidem vnquàm poteſt, cùm ſemper non parũ merita iuſtorum excedat & vota. Audi ipſum: *Largitate videlicèt remunerationis Dei maiora erunt præmia, quàm deſideria auara Sãctorum:* &, vt reor, aiebat Chryſoſtomus: comparentur inter ſe immẽſitas Dei, & paruitas creaturæ; meritũ iuſti, & largitas retribuentis, clarèque perſpicies, retributionem adeò meritũ excedere, vt ipſe iuſtus pro modica virtute talem, ac tantam petere erubeſcens, auarus videatur in petendo, vbi largiſſimus eſt Dominus in remunerãdo.

*Chryſoſt.* Sanctorum auara deſideria complebuntur.

8 Quam iuſtorum in petendo auaritiam omnibus palàm fecit prodigus ille, qui ad Patrem rediens, ſic clamabat. *Pater peccaui in cœlum, & coràm te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de ſeruis tuis.* Lucæ 15. ac ſi diceret: filiationis honore inſigniri cùm minimè merear, ſeruitutis ſtatũ auidè concupiſco, vt qui hæreditario iure ditari non poſſum, ſaltem miſeræ ſeruitutis labore valeam ſuſtentari. Sic Chryſolog. ſerm. 2. de filio prodigo loquens in eius perſona ſuper verba illa: *Fac me ſicut vnum de ſeruis tuis. Vt locatione annua ſeruitus innouetur, & labore iugi conditio conducta deteratur.* ſer. 2. Audiſti auaram petentis petitionem, audiſti pro vnico pœnitentię actu à Patre quid filius petere audeat: Audi nunc retribuentis liberalitatem: *Afferte*

*Luc. c. 16.*

*Chryſolog.* Quam auarus prodigus in petẽdo, tàm liberalis pater in cõcedendo.

te

*te ſtolam primam, date annulum in manu eius, producite vitulum ſaginatum, quia filius hic meus perierat, & inuentus eſt, mortuus erat, & reuixit.* O quã clarum liberalitatis exemplum! ſeruitutis ſtatum petenti, priſtinam reddere filiationem; inter operarios laborare cupientẽ, inter filiorum numerum denuò computare! ſed mirum certè nõ eſt; quia quod petentis auaritia ſupplicitèr poſcere non audebat, hoc Pater meritũ filij excedens & preces, libentèr conceſſit. Sic aſſerit Beda: *Prodigus iſte diræ famis ſupplicia formidans, etiam mercenarij ſtatum, de mercede iam cogitans, concupiſcit; ſed ei pater occurrens, non contentus minora concedere, vtroq; gradu ſinè dilatione tranſcurſo, priſtinæ filiorum reſtituit dignitati, nec tam de mercede conductoris, ſed de hæreditate fecit cogitare parentis:* hęc ipſe: quibus verbis quam petentis auaritiam, tàm largientis liberalitatem deſcribit.

Beda. Immenſa Dei largitas in prodigi figura expẽditur.

9 Sed ne de re hac multùm in longum ſermonem traham, dicere non timeo, Dei noſtri liberalitatem in remunerando ſic ſe extendere ſolere, quòd non tantùm pro præteritis iuſtorum meritis, ſed etiam pro præuiſis dona aliquando largiri ſolet & pręmia. Quòd quidem in Sanctiſſimo illo Patriarcha Abraham obſeruauit Chryſoſt. ho. 42. in cap. Gen. 18. vbi diuinam illam promiſſionem conſiderans. *Abraham futurus eſt in gentem magnam, & benedicendæ ſunt in illo omnes nationes terræ: Scio enim quòd præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iuſtitiam.* Geneſ. c. 18. Dei erga Abraham liberalitatem, rettributionemq; aduertit, cùm audit: *Abraham futurus eſt in gentem magnam.* Sed vndè largitas tanta? Qua de cauſa tanta promiſſio dicit Chryſoſtomus: & tandem Deum ipſum rationem reddẽtem adducit: *Scio enim quòd præcepturus ſit domui ſuæ, vt cuſtodiant viã Domini:* Ergo pro futura virtute præmia largitur & dona: *Vide Domini bonitatem, nõ ſolùm pro præterita virtute, ſed etiã pro futura remunerat. Scio enim, inquit, quòd cõſtituet filijs ſuis. Et dicere vult: prænoui iuſti virtutẽ, idcircò remunerationibus pręuenio;* ſic luculẽter nõ minùs, quã acutè in perſona Dei loquitur Chryſoſtom.

Gen. c. 18.

Chryſoſt.

Nõ exhibita tantùm, ſed præuiſa etiã iuſtorũ merita compẽſantur.

10 Magnificentiſſimam hanc liberalitatem, quæ nedum ad virtutes exhibitas; verùm etiam ad prǽuiſas extenditur, proprio ore confirmabit veritas ipſa, quãdo in finali iudicio electos vocando, dicet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum ab origine mundi.* Matt. 25. vbi Auctor operis imperfecti hom. 54. in Matth. obſeruans verba illa: *Paratum ab origine mundi*, dicit: nonne ſatis erat dicere: accipite retributionem, percipite coronas, & poſſidete Regnum? Ad quid ergo addet: *Paratum ab origine mundi?* Et prætermiſſa ſententia aſſerente his verbis ſignificari æternam inſtorũ prædeſtinationem, vt alibi ipſe Dominus proprio ore dignatus eſt dicere: *Ego ſcio quos elegerim:* de qua explicatione quicquid ſit, ad collationem tamen pręmij ſufficiens erat dicere, poſſidete Regnum: ad quid ergo addet: *Paratum ab origine mundi?* Sed non ab re quidem hoc ſic fiet, ait præcitatus Imperfectus: quia vt videamus præparationem præmiorum virtutẽ antecedere, non ſimplicitèr dicet, poſſidete regnum; ſed addet, paratum ab origine mundi. *Si enim ſecundùm anguſtias humanæ iuſtitiæ Regnum Cælorum creare voluiſſet, vtiq; poſt opera hominum illud creaſſet, nunc autem, quoniam non ſecundùm mercedem hominum, ſed ſecundùm ſuam largitatem conſtituit mercedem Sanctorũ; ideò antequam Sanctos crearet in ſæculo, Regnum Cælorũ præparauit in Cælo.* Quis nunc Diuinam non videbit largitatem? quis Dei magnificẽtiſſimã in retribuendo remunerationem non cognoſcet? Qui meritis nondùm exhibitis, immò iuſtis non dũ creatis, pro virtutibus præuiſis palmas, coronas, & regnum parat.

Matt. c. 25. Præmium ante labores paratum.

Imperfect. Iuſtorũ Regnum cur ab origine mundi paratum dicitur.

**Domine, quotiès peccabit in me frater meus,& dimittam ei? vſq; ſeptiès? Dicit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſeptiès; ſed vſq; ſeptuagiès ſeptiès. Matth c. 18.**

## §. IV.

*Firmus dignitatis clauus beneuolentia eſt, ſine quo haud diuturna erunt imperia.*

1 PAtres potiùs, quàm Dominos, Superiores vocari debere, & in præcedentibus me non latet dixiſſe, & confirmat Salomonis dictum. *Tu elegiſti me regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum, & filiarum.* Sapient.cap.9. vbi Rupertus Holchot. lect. 119. *Electus ſum, vt iudicem populum tuum, non ſicut ſeruos meos, vel ruſticos; ſed ſicut filios gubernando, vt ſim eis loco tui pater, non tyrannus.* Et denique mitiſſimus id docuit Ioannes in ſua Epiſt. 3. cùm ait: *Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.* Nec ob aliud paternitatis titulo decorãtur regẽtes, niſi vt quo erga ſubditos amore flagrare debent, intelligant. Ità Bernard. ſuper Cant. ſer. 23. *Diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non Dominos. Studete magis amari debere, quàm metui. Et ſi interdum ſeueritate opus eſt, paterna ſit, non tyrannica. Matres fouendo, patres corrigendo vos exhibeatis. Suſpendite verbera, producite vbera, pectora lacte pingueſcant, non typo ſuperbiæ turgeant.* Aſt, cur tali, tantoque amore æſtuare debeat qui præeſt, vltrà communem opinionem aſſerentẽ, amore potiùs ſubditos moueri multotiès, quàm timore, iuxtà illud: *Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis cõfringet duritiam.* Prouerb. 25. Propterea illũ Principes, ac Prælatos fouere debere exiſtimo; quia nihil ſic regiminis tuetur potentiam ac benignitas; vt luculentiſſimè expreſſit Ludouicus Viues in Epiſtola ad Henricum Regem Angliç, 8. hunc dicens in modum. *Cùm Princeps ſuperbè imperat, ſubditi contumaciter parent. Malos regere acerbiſſimum eſt: acerbius etiam ſi rector ipſe ſit malus: nec vlli parent libentiùs, quàm boni bono. Ergo Regni vinculum maius aut firmius nullum eſt, quàm bonitas: Nam imperia dura, aut immoderata citò diſſoluuntur, magiſque violenta ſunt, quàm duratura, quoniam nihil ſtabile principem cum ſubditis coniungit, nec aliud ad diſiunctionem expectatur, quàm occaſio. Nullũ animal inuitum retinetur perpetuò, ſi liceat effugere. Quapropter illud in primis eſt Sapienti Principi laborandum, quiq; ſempiternum imperium, & ipſe dum viuat poſſidere, & hæredibus tradere per manus cupit, vt ſe, ac ſuos bonos faciat, ipſéq; ſit gubernandi peritiſſimus, & parere modeſtè, ac obedientèr ſubditos doceat.* Cuius veritatis minimè ignarus præſtantiſſimus Rex Ageſilaus maximè ſe beneuolum erga ſubditos oſtendendo, & proprium firmabat Regnum, dicẽte Xenophonte in oratione quadam de ipſo: *Sapientiam Ageſilai, quæ illius actiones non demonſtrant? Qui ſic vtebatur patria, vt cùm in primis beneuolo eſſet in eos ſocios animo, qui ipſi obſequerẽtur, amicos promptiſſimos ſibi compararet: milites autem non modo dicto audientes, ſed etiam ſui amantiſſimos effecit,* & aliorum lucrifaciebat imperia: dùm magis erga ſe ſubditorum cõciliando amorem, quàm illos pecuniarum vi in hoſtes impellẽdo, ſuperabat, vt ſubdidit præfatus Xenophon: *Quotiès iter faceret, & sciret hoſtibus pugnandi poteſtatem eſſe, ſi vellent: ità inſtructas ducebat copias, vt ſibi ipſi poſſet, in primis opitulari, & tranquillè, inſtar modeſtiſſimæ Virginis, incederet. Exiſtimabat enim in hoc ſitam eſſe quietem exercitus. Quarè dùm ità ſe gereret, hoſtibus erat formidini, & amicis fiduciam, animiq; robur addebat. Quo factum, vt hoſtibus nunquàm eſſet cõtemptui, à Ciuibus non mulctaretur, ab amicis non vituperaretur: deniq; ab omnibus vniuerſis plurimùm diligeretur, & prædicaretur:* qui præſtantiſſimus regendi modus quis ſcit, ſi tacitè Principibus, ac Prçlatis impreſentiarum inſinuatur, dùm dicitur. *Non dico tibi ſepties; ſed ſeptuagies ſepties.* Matth. 18. vbi Rabanus

in

*Sap. c. 9.*

*Rupertus Holchot.*

*Ioa. Apoſt. Epiſt. 3.*

*Bernard.* Prælatus ſubditorum pater, non Dominus.

*Prou. c. 25.*

*Ludou. Viu.*

Placidorum imperia diuturna, agreſtiũ breuia.

*Xenophon.* Ageſilai erga ſubditos beneuolẽtia magna.

*Xenophon.*

*Matt. c. 18.*

*Rabanus.*

*Eccl. c. 10.*
*Olympiod. Monach.*

in Catena relatus. *Datur modus, vt nobis ſcilicet, frater ſocia charitate communicet,* quod qui efficit, ſatis ſuum firmabit imperium, iuxtà illud. *Beata eſt terra, cuius rex nobilis eſt.* Eccleſiaſt. cap. 10. Cui Olympiodorus Monachus addidit. *Tales enim Principes inſitam pectoribus gerentes beneuolentiam, nulla vnquam ignominia confundentur*: de qua te aliqua audi, ſi libet.

*Apoc. c. 5.*
*Cur nõ Leoni vincenti, ſed Agno quieſcenti tribuitur gloria.*
*Philoſoph.*
*2. ad Thim. c. 4.*

2 Quorum primum erit: cur vincenti Leoni, iuxtà illud Apocalypſ. 5. *Vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid,* gloria non ipſi, ſed Agno tribuatur, immediatè ſubdente Ioanne. *Et vidi & audiui vocem Angelorum multorum, & animalium, & ſeniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem:* Si honor ſecundũ Philoſophum virtutis eſt præmium, & coronæ victoribus tribuũtur, dicente Paulo. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* 2. Thimot. 4. cur non Leoni pugnanti, atq; vincenti, ſed Agno nil tale efficiẽti, imò quieſcenti omnis aſcribitur honor, omneſq; tribuitur coronæ? *Dignus eſt agnus, &c.* Cuius difficultatis intelligentia ex alterius difficultatis ſolutione pendet, ab illa videlicet: Cur ad totius Orbis liberationem, ac gubernationem Agnus accerſitur, dicente Iſaia cap. 16. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ*, quos mugitus ad inimicorum terrorem emittere, quos vngues ad hoſtium dilacerationem exerere poterat, & vnico vt dicam verbo, quibus armis prorſùs inermis mundum poterat liberare, quòd ad liberationẽ aduocatur, dùm dicitur: *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ*? At nil mirũ, quòd Agnus ad regendum vocetur: quia ſi per Agnum humanitas figuratur & lenitas, iuxtà illud: *Ego tanquàm Agnus manſuetus, qui portatur ad victimã.* Ierem. 11. Agnus ad regẽdum vocatur, quia benignitas prælationes firmat & regna: quod verbis admodùm claris expreſſit præfatus Iſaias; nam vbi mũdum agnum ad regendum aduocantẽ introducit, ibidem dicit: *Et præparabitur in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper illud in veritate*: hoc eſt, quia vt placidus, mitiſq; Agnus venturus eſt; proptereà præparabitur ſolium, cùm tantùm mites ſuper ſe homines regnare appetant, non agreſtes: nunc prima ſoluta remanet difficultas, cur vincente Leone, Agno tribuatur imperium: quia etſi multi, vt potentes Leones, vi ſubditos opprimãt, vt præfatum Apocalypſ. locum interpretatur Vgo Cardinalis, dùm ait: *Vicit Leo: in multis hodie Leo vicit; quia Prælati per violentiam ſubditos opprimunt. Eccleſiaſt. 13. Venatio Leonis Onager in eremo, ſic paſcua diuitum pauperes: cùm tamen dicat. Eccleſiaſt. c. 4. Noli eſſe in domo tua vt Leo, ſubuertens domeſticos tuos. Et Agnus occiditur, quia pietas non ſeruatur*; Agno tamen gloria, Regnumq; aſciſcitur, quia mites tantũ ad regendum aduocantur, & in regimine perſiſtere ſolent. Vndè D. Ignatius Martyr Antiochiæ Epiſcop. epiſt. 20. dicere ſolebat. *Nec inter Principes quiſquam ſimilis Regi, qui in pace, & optimis legibus ſubditos moderatur*, huic ſoliũ præparatur, huic diuturnum conceditur imperium: quia fieri nõ poteſt, quin ametur ab omnibus, qui non vt leo, ſed vt ouis erga ipſos ſe gerit: proptereà Nicolaus de Lyra præfatum explicans Iſaiæ locum. *Emitte Agnum Domine, dominatorem terræ*, dicit: *Vox eſt Eccleſiæ uiduatæ Deum deprecantis pro bono Paſtore, qui ſit dulcis, & manſuetus; Sicut & Chriſtus, dicit Matth. 11. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.*

*Iſaia c. 16.*
*Ierem. c. 11.*
*Iſai. c. 16.*
*Vgo Card.*
*S. Ignatius Martyr.*
*Gloſſ. Iſai.*
Princeps Agnus debet eſſe, non Leo.

3 Confirmat quod modò dixi (beneuolentiam videlicet Regni ſolium præparare, atq; firmare, dùm ſubditi ad ſe regendos agnos aduocant, non leones) locus ille Cantic. 1. *Oleum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te*: nàm ſi ſubtilitèr perpendes coniunctionem illam, *ideò*, cauſam indicare videbis, vt ſit ſenſus: Proptereà adoleſcentularum caterua ſponſum ſequitur, quia eius nomen oleum effuſum eſt. Nec vacat myſterio, quòd nõ vinum, ſed oleum hæc caterua ſequatur: quia ſi per vinum fortitudo, atque potentia figuratur, per oleum benignitas, & humanitas indicatur, & populi non tàm potentem, quàm placidum amplectuntur Dominum: Do tibi Phi-

*Cantic. c. 1.*

[*Philo Carpath.*] lonem Carpathiorum Epiſcopum, dicentem. *Dum enim oleum effuſum uocat nomen Ieſu Chriſti, immenſam ipſius miſericordiam atq; pietatem erga nos oſtendit.* [Benignitas ſubditorum amorem cõciliat.] & infrà. *Poſtquam Deus in iſta carne apparuit, ſuæq; diuinitatis odorem hominibus impertiuit, cœperunt tunc animæ iuſtorum nomen ipſum effuſum in cordibus ſentire, ipſumq; uehementèr amare.* Quod tunc præſertim completum fuiſſe obſeruat Auguſtinus tract. 7. in Ioannem, quãdo [*Ioan. c. 1.*] Agnus à Ioãne vocatus eſt. *Ecce Agnus Dei.* Ioan. 1. tunc .n. relicto Ioanne, qui in ſyluis, ac nemoribus, vt terribilis Leo contra Diabolum, ac vitia rugiebat, mitem Agnum ſequi decreuerunt; vt ſatis apertè declarat Euangeliſta, immediatè dùm ſubdit. *Et audierunt eũ duo Diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum:* hoc eſt, dùm Agnum agnouerunt, nulla interpoſita mora, relicta Leonis terribilitate, Agni ſecuti ſunt lenitatẽ. [*Auguſtin.*] Præfatus Auguſtinus. *Oſtendit Ioannes Diſcipulis ſuis quem ſequerentur: habebant enim illum tanquàm Agnum. Et ille: Quid me attenditis? Ego non ſum Agnus: Ecce Agnus Dei. Et audierunt duo Diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt eum.* Imò vt etiam optimè adnotauit D. Thomas, nunquã adeò libẽtèr, vt nunc, Chriſtum ſequutus eſt mundus, quia non tàm velocitèr fortitudinis, potentiæ, ac ſapientiæ ſequebatur odorem, quàm pòſt lenitatis currebat redolentiam. *Ioannes* (ait præ[*Tho. Aqui.*]fatus Thomas) *dignitatem Chriſti commendans, dixit: ante me factus eſt, &c. non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti, & nullus conuerſus eſt: ſed quando humilia de Chriſto, & incarnationis myſterio locutus eſt, tunc ſequuti ſunt eum Diſcipuli; quia humilia magis mouent nos.* [Nunquã ſic velociter Chriſtũ ſequutus eſt mũdus, quã cùm Agnus vocabatur.] Et clariùs [*Chryſoſt.*] Chryſ. in Catena. *Non ità multi adducũtur ad Ieſum, cùm aliquid magnum & excelſum de Deo dicitur, ſicut cùm benignum, & amicũ hominũ audiunt.* Ex quo tibi videre iã licet, ꝙ paulò ſuperiùs dicebã: cur nõ Leoni, ſed Agno aſcribatur honor? quia non agreſtium, ſed placidorũ optantur, atque firmantur imperia.

4 Ex hoc porrò carpi poterit difficultatis ſolutio: cur oleo, vt ex pluri[*1. Reg. c. 10. & c. 16.*]bus ſacræ Scripturæ locis habetur, vngebatur Reges? ſicuti videre eſt 1. Reg. cap. 10. & cap. 16. & 2. Reg. cap. 1. & [*2. Reg. c. 1. 3. Reg. c. 1.*] 3. Reg. cap. 1. & alibi ſæpè: quia vltrà quod ſi *Oleum*, iuxtà Bernardi dictum, *lucet, paſcit, & nutrit*, Princeps, ac Prælatus [*Bernard.*] virtute lucere debet, doctrinæ pabulo paſcere, & prudentiæ medicamine curare. Ità Gregor. lib. 4. Moral. c. 5. [*Greg. Papa.*] *Quia oleum ignem fouet, prædicationis gratiam deſignat, quæ electorum mentes illuminat. Quia uerò vulnera per oleum curantur, hoc profectò inſinuat, quòd detergenda ſunt vulnera peccatorum. Vngatur ergò caput Regis, quia ſpirituali gratia mens eſt implenda doctoris. Habeat oleum, vt dùm ardorem Spiritus Sancti in ſe nutrit, lucere vehementèr alijs per verbum poſſit. Habeat nihilominus oleum medicinæ, vt ſapientèr diſponat, qualitèr peccatorum fœtores tergat, & ægras mentes ſaluti reſtituat:* [Olei proprietatibus præditus eſſe debet qui præeſt.] etiam vt quonam pacto benè regere, & in regimine diù perſiſtere poſſent, intelligerent, oleo ungebantur: nàm ſi, ut modò dictum eſt, per oleum benignitas figuratur & lenitas, iure optimo antequã Regni poſſeſſionem acciperẽt, oleo ungebantur, ut qua lenitate alios regere, & quomodo ſe in regimine firmare poſſent, addiſcerent. Nõ longè ab hoc, quod dixi, fuit Chryſoſtomus, qui ho. 4. ſuper epiſt. 1. ad Philipp. huius unctionis rationem aſſignans, hunc ait in modum: [*Chryſoſt.*] *Propterea, & Sacerdotes, & Reges, & Prophetæ oleo vngebantur; nam diuinæ benignitatis ſymbolum habet oleum. Nam Sacerdotum ex miſericordia inſtituit, & Reges per miſericordiam inungebantur.* [In clemẽtiæ ſignum oleo vngebantur Reges.] *Etenim misereris, inquit, omniũ, quoniam potes omnia. Et ſi quis Principem laudare velit, nihil illi adeò decorum aſcribet ac miſericordiam. Principatus enim proprium eſt miſereri.* Quam Principum proprietatem agnoſcens Ageſilaus, de quo paulò ſuperiùs fari iàm cœpimus, nihil magis, ut Xenophon in quadam [*Xenophon*] oratione de eo ait, ſibi conuenire exiſtimans, quàm pietatẽ, lepidè ſemper ergà ſubditos ſe gerebat. Præfatus Xenophon. *Eſt etiam operæpretium ſilentio non prœterire, quod cum honore, potentia, Regno, eoque ſine inſidijs omnium cũ amore potiretur, à nemine obnoxius eſſe iactantiæ viſus eſt, cùm eum ſuorum amantiſſimũ, & in amicis colendis ſtudioſum eſſe, quiuis animaduertere poſſet. Imò boni Regis eſſe putabat, quamplurimis beneficijs ſubditos afficere.* Optimum planè regiminis exẽplum, quod qui ſequitur, nec honoris

ſen-

ſentiet onera, nec illum à ſe auolare perſpiciet.

5 Diſcutiendum nunc exiſtimo; cur nulla habita primogenituræ ratione, ſic minoris ſeruituti, antequam oriretur, adiudicatus fuit Eſaù, ad Rebeccam matrem vtriuſque dicente Deo: *Duo gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex utero tuo diuidentur, populuſq; populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.* Geneſ. 25. vt quantumcunq; laboraret Iſaac, non ſuper Eſaù, ſed ſuper Iacob benedictionẽ inflexerit, & volens, nolens, maiorẽ minori ſubiecerit, dicẽdo: *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruẽtur ante te filij matris tuæ.* Geneſ. 27. Cui difficultati non incongruè reſponderetur, vel propterea maiorem minori ſeruiturum dictum fuiſſe; quia cùm hic ab illo affligi deberet, non parua ſeruitus nuncupanda erat afflictio, per quã cęleſtis comparatur lætitia. Ita D. Anſelmus ſuper illud Pauli ad Roman. 9. *Non ex operibus, ſed ex uocante dictum eſt ei: quia maior ſeruiet minori,* dùm ait: *Si corporalem ſeruitutem reſpiciamus, magis uidebitur Iacob illi ſeruiſſe, quàm ipſe Iacob. Iacob quippè de Meſopotamia rediens, obtulit ei multa munera, & Dominum eum uocauit, & humilitèr adorauit. Quando igitur ſeruiuit ei Eſaù, niſi affligendo eum, & premendo, atq; perſequendo? Vndè Salomon ait. Qui ſtultus eſt, ſeruiet ſapienti:* vel quia ſi per Eſaù Hebraicus populus, & per Iacob Chriſtianus figurabatur, optimè maior minori ſeruire dicitur; quia populus Iudæorum prior fide ſeruiturus erat populo Chriſtiano poſteriori vocatione. Allatus Anſelmus: *Allegoricè verò Eſaù, ideſt populus Iudæorũ, qui fuit primogenitus ſeruiuit minori, ideſt Populo Chriſtianorum, qui ſequutus eſt:* vtriuſque tamen ſi ſpectentur mores, aptiſſimè cur maior minori ſeruire debebat, agnoſcetur; nam ſi, vt ex pluribus Sacræ Scripturæ locis colligitur, quàm ferox erat Eſaù, tàm mitis Iacob: meritò primus ſecundo ſeruit; quia non aſper, nec agreſtis, ſed mitis & lenis debet eſſe qui præeſt. Cõfirmat hoc Bernard. ſerm. 23. in Cantic. verbis illis ad Prælatos directis: *Audiant hæc Prælati, qui ſibi commiſſis ſemper volunt eſſe formidini, utilitati rarò. Erudimini, qui iudicatis terram. Diſcite ſubditorum matres uos eſſe debere, non Dominos, ſtudete magis amari, quàm metui. Et ſi interdum ſeueritate opus eſt, paterna ſit, non tyrannica.* Seruiat minori maior, dominetur ſecundus, perpetuuſq; ſubditus ſit primus; quia non furore, ſed amore: non ferocitate, ſed lenitate pollere debet qui & regere, & in regimine perſiſtere cupit.

*Geneſ. c. 25.* *Gen. c. 27.* *Ad Rom. c. 9.* *Anſelm.* Preſſurarũ vtilitas magna. *Anſelmus.* *Bernard.* Regimine, quo aſperitas ſpoliatur, beneuolentia veſtitur.

6 Affine eſt huic modò dicto, quod Virgini prædixit Gabriel: *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Luc. 1. Quæ verba quotiès conſiderabam, totiès me in ſtuporem adducebant, nec facilè intelligere poteram, cur non in domo Dauid, in cuius ſolio ſedere debebat; ſed in illa Iacob regnaturus diceretur: Nunc autem (omiſſa communi Sanctorum Patrum expoſitione, quòd per Iacob iuſtus intelligatur, & bonus, in cuius corde nunc per gratiam Deus regnat; poſteà verò per gloriã regnare non deſiſtet) quòd nõ in domo Dauid, ſed in illa Iacob in æternum regnare debere dicatur, non miror: quia ſi ille, licèt mãſuetus, ac pius eſſet, vt proprio dicere conſueuerat ore. *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Pſalm. 131. tamen etiam ad prælium exire, & ſanguinem fundere didicit, quam ob cauſam non ipſe, ſed filius eius Salomon, qui pacificus interpretatur, Dei domum ædificare meruit, vt morti propinquus ipſemet teſtatus eſt Dauid, ad præfatum Salomonem cùm ait: *Fili mi, voluntatis meæ fuit, ut ædificarem domum nomini Domini Dei mei, ſed factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine corãm me.* 1. Paralipomenon 22. Secundus ſic mitis ſemper extitit ac pius, vt precibus & muneribus potiùs fratrem ac reliquos vinceret, quam armis; propterea non in domo prioris, ſed poſterioris in æternum regnare debebat; quia charitate, non feritate pollentium diuturnũ eſt Regnum. Adſit Auguſtinus in lib. ad Oroſium contr. Priſc. & Orig. cap. 7. *Secundùm quid Regni eius non erit finis, niſi ſecundum id, quod regnabit in domo Iacob: nàm hoc, quod ait, in æternum, propter*

*Luc. c. 1.* *Pſal. 131.* *1. Paralip. c. 22.* *Auguſt.* Ob maximam Iacobi lenitatem Chriſtus in eius domo in æternum ſeſſurus deſcribitur.

*ipſam ambiguitatem expoſuit addendo: Regni eius non erit finis: ne quiſquam æternũ hic ſic acciperet, quemadmodum ſæculum finem quãdolibet habiturum*, efficax (meo quidèm iudicio) argumẽtum, quo ſatis clarè beneuolentiam imperij clauum eſſe oſtenditur.

7 Supra modum poſteà veritatem intellexerunt hanc, imperia nempè benignitatè confirmari, illi Senes Conſiliarij, qui à Roboam interrogati: quid populo grauaminum diminutionem
3. Reg. c. 12. poſtulanti: *Pater tuus duriſſimum iugum impoſuit nobis: tu itaq; nunc imminue paululum de imperio Patris tui duriſſimo, & de iugo grauiſſimo quod impoſuit nobis, & ſeruiemus tibi*. 3. Reg. 12. reſpondere deberet, dixerunt: *Si hodiè obedieris populo huic, & petitioni eorum ceſſeris, locutuſq; fueris ad eos verba lenia, erunt tibi ſerui cunctis diebus*: optimum planè cõſilium; nàm nunquam ſic ſtabiliũtur imperia,
Lyranus. ſicut cùm leniter erga ſubditos ſe oſtendit Princeps. Vndè Lyranus ſuper citatum Scripturæ locum: *Iſti enim, ſcilicet ſenes, per experientiam ſciebant modum tenendi populum in ſubiectione*: Verùm, quia Roboam horum neglecta ſententia, iuuenum acquieuit conſilio, immitem ſe oſtendendo, atq; dicendo: *Pater meus aggrauauit iugum veſtrum, ego autem addam iugo veſtro: Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus*, ſtatim à ſe, & ſubditos, & Regnum totum auolare vidiſſet, niſi Dauidis in conſpectu Domini extitiſſent merita, propter quæ aliqua ei ha-
3. Reg. c. 22. benda erat ratio. *Videns itaq; populus, quòd noluiſſet eos audire Rex, reſpondit ei, dicens: quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hæreditas in filio Iſai?* Quam rem conſiderans Ambroſ. lib. 2. offic. cap. 18.
Ambroſ. dicit: *Exemplo nobis eſt ſcriptura, quæ dicit: cùm populus Iſrael poſt mortem Salomonis rogaſſet filium eius Roboam, vt releuaret ceruices eorum à ſeruitute dura, & paterni imperij temperaret auſteritatem, illum ſpreto ſenili conſilio, de ſuggeſtione adoleſcentium, reſponſum dediſſe huiuſmodi, quòd & onus adijceret ſuper Patris iugum, & leuiora*
Citò Regno priuantur immites. *grauioribus ſupplicijs mutaret. Quo reſpõſo exaſperati popoli, reſponderunt: Non eſt nobis portio cum Dauid, neque hæreditas cum filijs Ieſſe. Hic homo neq; in Principẽ, neque in Regem erit nobis. Itaque deſertus à populo atque deſtitutus, vix duas tribus propter Dauid habere potuit*. Ecce tibi quid adoleſcentium proſunt conſilia? Ecce quàm breuia ſunt immitium Regna, dùm vix paucis aſperitatis prolatis verbis, pauci ſint, qui Roboam ſequantur.

8 Paulatim nũnc intelligo, cur duplicem Eliæ ſpiritum petentem Eliſeũ: *Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* 4. Reg. c. 21.
4. Reg. 21. Rem difficilem poſtulaſſe, reſpondit Elias. *Rem difficilem poſtulaſti*. Quia ſi Eliſeus populorum Magiſter & Rector eſſe debebat, difficilè duplici Eliæ ſpiritu pollere poterat. Quod commodiùs vt percipias, Eliæ zelum atque rigorem tibi in mentem reduco; hic enim, vt cætera omittam, populi ſcelera indignè ferens, Cœlum annis tribus cum dimidio, ſi ſic dicere licet, æneum reddens, pluuias prohibuit, imbres præpediuit, & omni prorſùs rore terram priuauit: fame tabeſcebant cuncti, mortiſque pallor in omnium videbatur facie, ſolus ipſe zeli ferculis enutritus, famem nõ ſentiens, adeò inflexibilis perſiſtebat, vt è mortalium cõſortio illum eripere fuerit opus. Audiendus eſt de re hac Chryſoſt. ſerm. in Eliam Prophetam, qui poſt multa ſic
ait: *Videns Deus pertinacem Eliæ animum adhuc à miſericordia abhorrentem, à peccatoribus ipſum ſegregat. Ego, dicit, ſcio zelum tuum, grata eſt mihi anima tua. Verùm interim & peccatoribus miſericors ſũ, cùm ſupra modum puniuntur: tu verò valdè ſeuerus es pietatis exquiſitor. Vndè quia peccatores ob zeli nimietatem ferre non vides, aſcende quaſi in Cœlum: ego autem in terra peregrinus ero.* Ergo Elias ob zeli magnitudinem non homines gubernare à ſed inter Angelos commorari debebat? Ità prorsùs ſubdidit præfatus Chryſoſtomus. Audi nunc myſterium, cur duplex Eliæ Spiritus difficilè in Eliſeo quieſcere poterat? Quia ſi Elias ob rigoris magnitudinem humano (ſi fas eſt dicere) ſpoliabatur regimine, quomodò in eo diù perſiſtere potuiſſet ille, qui duplici Eliæ zelo flagrare cupiebat? ſi tribus annis cum dimidio famem mundus ferre non valuit, quonam pacto illam ſeptem annis pertuliſſet? *Neceſſe autem erat* (ait Theodo- Theodoret.

Chryſoſt. Nimio zelo æſtuans Elias homines relinquere cogitur.

retus

In Eliſeo cur difficilè duplex Eliç ſpiritus quieſcere poterat?

retus) *vt qui duplicis erat hæres gratiæ, res efficeret duplo maiores: ex his autem erat ea pœna, quæ irroganda erat per famem annis ſeptem*. lib.4. ſuper 4. Reg. Quod fortè conſiderans Elias, rem difficilem poſtulaſſe aſſeruit; quia non rigore, ſed amore: non aſperitate, ſed lenitate vti debet, qui poteſtate priuari nequit.

Bernard.

9 Nunc ad Prælatos, de quibus Bernard. ſerm. 77. in Cant. *Intuere quomodò incedunt nitidi, & ornati, circumamicti varietatibus, tanquàm ſponſa procedens de thalamo ſuo. Nonne ſi quempiam talium procedentem aſpexeris, ſponſam potiùs putabis, quàm ſponſæ cuſtodem? Vndè verò*

Prælatorum faſtus reprehēditur.

*hanc illis exuberare exiſtimas rerum affluētiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum argenteorum, & aureorum, niſi de bonis ſponſæ? Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare: non eſt cuſtodire, ſed perdere: non eſt defendere, ſed exponere: non eſt inſtituere, ſed proſtituere: non eſt paſcere gregem, ſed mactare, & deuorare*; ad illos inquam Prælatos, de quibus Deus ipſe per Ezechielem. cap. 34.

Ezec. c. 34.

*Cùm auſteritate imperabatis, & cum potētia. Et diſperſæ ſunt oues meæ, eò quòd non eſſet Paſtor: & factæ sūt in deuorationē omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt*, noſter dirigitur ſermo. Vos nunc, ò Prælati, vos alloquor, ſcitote; quòd non iactantia, ſed beneuolentia: non aſperitas, ſed lenitas: nō rigor, ſed amor Regni ſolium tuetur, & firmat. Vndè firma regiminis ſtructura non ſuper Sarai terribilitatem, quæ ancillam affligendo, ſtatim ab illa ſe derelictam vidit,

Gen. c. 16.

Rigor Imperia diſſoluit.

*Affligente eam igitur Sarai, fugam iniit*, ſed ſuper Petri amorem, pòſt trinam interrogationem, ac ſi totidem iacta iam eſſent fundamēta, fundata eſt.

Ioan. c. 21.

*Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Contriſtatus Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? dixit ei: Domine, tu omnia noſti: Tu ſcis, quia amo te. Dixit ei paſce oues meas*. Ioannis 21. Vndè Ambroſ. lib. 2. officior. c. 19.

Ambroſ.

*Claret ergo quoniam & æquitas imperia Confirmet, & iniuſtitia diſſoluat. Nàm quomodo poteſt malitia Regnum poſſidere, quæ nec vnam quidem priuatam poteſt regere familiam? Summa igitur benignitate opus eſt, vt non ſolùm publica gubernacula, ſed etiam priuata iura tueantur. Plurimum iuuat beneuolentia, quæ omnes ſtudet beneficiis amplecti, deuincire officiis, oppignorare gratia.*

Pietas confirmat.

Quod ſi vos minimè latet, relicta auſteritate ac iactantia, non ampliùs proprijs ſeruire ſtudeatis concupiſcentijs; ſed vt veri Paſtores gregis conſulite neceſſitati, vt diuturna vobis à Deo concedatur poteſtas.

FERIA

# FERIA QVARTA

## POST

# DOMINICAM TERTIAM

## QVADRAGESIMAE.

Quarè Diſcipuli tui tranſgrediuntur mandata ſeniorum? Non enim lauant manus ſuas cùm panem manducant.
Matthæi 15.

### §. I.

*Improborum eſt proprium cunctos ſuo pede metiri.*

*Pſal.73.*

1 P*Oſuerunt ſigna ſua, ſigna: & non cognouerunt.* Regij Vatis verba ſunt hæc. Pſalm.73. Quæ licèt penè communitèr de exterioris iactantiæ ſignis, tàm ex parta victoria, quàm ex acquiſitis Prælationibus intelligantur: Vndè de illis dicere conſueuerat ſentent. Magiſter Petrus Lombardus, præcitatum Pſalmi locum exponens: *Poſuerunt ſigna ſua, trophæa ſcilicèt, vexilla Romana, Dracones, Aquilas, quibus in prælio vtebantur, vel ſtatuas, & qualibet monimenta victoriæ, quæ priùs in templo poſuerant, quæ ſolebant ſuper portas ponere in ſignum triũphi:* & de his Vgo Cardinalis: *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna, ſcilicèt cornua, mitram, baculum paſtoralem, pallium, & huiuſmodi, quæ ſunt ſigna communia. Poſuerunt autem ea, ſigna ſua, ideſt propriæ gloriæ. Et non cognouerunt, ſicut in exitu ſuper ſummum: ipſum locũ, ſcilicèt, in prælatione, ſicut cognoſcent in exitu, quando hæc vanagloria euaneſcet:* Aſſerentium tamen opinio, non tàm de ſignis externis, quàm de internis præfata Dauidis verba intelligi debere, mihi non parùm arridet: nàm ſi ſigna ad ſignandum, ac cognoſcendum imponuntur, non alio ad cognoſcẽdum proximum iniqui vtuntur, niſi vitio ac ſcelere, quo ſe fœdatos intelligunt; dùm cunctos, quæ ipſi agunt, agere exiſtimant, iuxtà illud Eccleſ. 10. *In via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat:* Vbi Carthuſ. *Peccator cùm ipſe inſipiens ſit, conſtituendo ſibi finem in rebus carnalibus, & caducis, omnes ſtultos exiſtimat; ideſt omnes reputat ſimiles ſibi, ſiuè omnes putat peccare, & alicui vitio deſeruire, ſicut ipſe: ſicque ex qualitate ſui ipſius accipit formam iudicandi de alijs. Hinc ſæculares communitèr reputant Religioſos, aut auaros, aut alicui vitio ſimili obnoxios,* & ſic ſigna ſua ſigna ſunt apud ipſos aliorum indagãdi naturam, & nõ cognouerunt iniqui, quòd probos improbos, & ſanctos peccatores multoties exiſtimant. Quod Scribæ, & Phariſæi impræſentiarum efficiunt, qui diuinorum mandatorum trausgreſſores cùm eſſent, Apoſtolos etiam paternarum traditionum trausgreſſores appellant, dùm dicunt: *Quarè Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? Non enim lauant manus ſuas cum panem manducant.* Vndè Sceleſtorum naturam explicans S. Ennodius. lib.2. Epiſt.16. hunc ait in modum. *Improborum natura eſt, hoc ſentire de omnibus, quod ipſi merentur, & in malis ſolatium nuſquam videre innocentiam*, quam improborum naturam, ac cęcitatem, ne dementiam dicam, conſiderans Vgo Cardinalis, dicere conſueue-

*Petr. Lomb. Mag. ſent.*

Verba illa, *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna* Pſal. 73. explicantur.

*Vgo Card.*

*Eccl. c. 10.*

*Carthuſ.*

Inſipientes omnes ſtultos exiſtimant.

*Matt. c. 15.*

*S. Ennod.*

*Vgo Card.*

ſueuerat. *Sicut baculus rectus videtur fractus in aquam poſitus propter reflexionẽ vmbræ; & arbores, & homines, & cætera altitudines, quæ videntur ſuper aquam, videntur eſſe reuerſæ propter vmbræ reuerſionem in qua, & per quam videntur; & in ſpeculis concauis dextera videntur ſiniſtra, & è conuerſo: ſic & ſtultis omnia videntur peruerſa. Ex vitio .n. ſtultitię ſuę ſub qua, & per quam vident, & iudicant, omnia videntur eis alterius modi eſſe quàm ſint, ſicut ex vitio vmbræ, ſiuè imaginis, ſub qua, & per quam videntur res, quia in ſe peruerſa eſt, & reuerſa; ideò res ipſæ uidentur peruerſæ, & reuerſæ:* hactènus ipſe ſuper cap. Eccleſ. 10. Nos autem, vt aſſumptũ pateat argumentum, relictis ſimilitudinibus, efficacioribus probationibus operam dabimus.

Nil nõ perverſum videtur perverſis.

2 Ac primò purpuratũ illũ diuitẽ adducimus, q pòſt multas cõmeſſationes, quotidianaſq; epulas in Inferno ſepultus, linguæ refrigeriũ poſtulans, nõ Lazarum, vt veniret, rogauit; ſed Abrahã, vt illũ mitteret, poſtulauit. *Pater Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremũ digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. Cur autem, qui à Lazaro ſubſidium expectabat, non ipſum, ſed Abraham rogaret, explicant nonnulli, dicentes, ob ſuperbiam id factum fuiſſe: dùm dicũt; quòd elatus diues, quem in vita deſpexerat, pòſt mortem rogare dedignabatur; propterea non ad ipſum, ſed ad Abraham, quem etiam in mundo diuitem ac præpotẽtem fuiſſe agnoſcebat, ſermonem dirigebat. Chryſologus etiã ſerm. 122. Rationes aliquas aſſignat, quæ videri poſſunt in ipſo: Ego verò Chryſoſtomum audio dicentem; proptereà non ad Lazarum, ſed ad Abrahã ſermonem diuitem direxiſſe; quia eodem morbo Lazarum laborare putabat, quo laborauerat ipſe: clariùſq; vt dicam; quia erga Lazarum crudelis ipſe extiterat, quin talis etiam erga ſe Lazarus eſſet, ſuadere ſibi minimè poterat. Ità præfatus Chryſoſtomus ad quæſitum à ſe factum. *Quamobrem non ad ipſum Lazarum dirigis ſermonem?* In diuitis perſona reſpondet: *Quoniam ſi ego tanta rerum affluens copia, nihil ab illo læſus adeò deſpexi hominem, ut ne micas quidèm impertierim, quantò magis ille ſic contemptus, non annuet petenti beneficium?* Sic ſigna ſua ad Lazarum cognoſcendum ſigna poſuerat diues, & non cognoſcebat, quàm ab improbo probus, & quàm à ſceleſto Sanctus differret, qui non malum pro malo, ſed munificentiam pro inclementia, ſi miſerationis affuiſſet tempus, rependiſſet.

Luc. c. 16.

*Chryſolog.*

*Chryſoſt.*

Diues Epulo cur non ad Lazarũ, à quo ſubſidium expectabat, ſed ad Abrahã ſermonem dirigebat?

3 Inſuper circa hanc Epulonis petitionem ſolito ingenij acumine inquirit Chryſologus: Cur non aquæ copiã, ſed guttam tantùm poſcebat, qui ſic æſtuabat? *Mitte Lazarum, qui intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam.* ibidem. Si inferni ſuſtinebat incendia, non ſtillas, ſed flumina poſtulare debebat: At non miror, ait præfatus Chryſologus, non aquæ affluentiam, nec manum ſaltem madefactam ad ſui refrigerium poſtulaſſe, ſed digitum; immò extremam digiti partẽ popoſciſſe; quia qui ſe ergà Lazarum auarum oſtenderat, nec micis quidèm eum ſuſtentari ſinendo, auarum erga ſe Lazarum exiſtimabat; proptereà nõ aquæ copiam, ſed guttam tantùm poſcebat. *Qui claudit* (ait relatus Chryſologus ſerm. 66.) *manum pauperi, extremi ſtipem digiti ſic depoſcit, & ſitit aquæ guttam, qui uini lacus, ne guttã daret, incluſit.* Et ſtatim: *Qui diuitias ſuas non miſerãdo pauperi dedit, ſibi miſericordiam ſic minorat.*

*Luc. c. 16.*

*Chryſol.*

Auarus omnes auaros exiſtimat.

4 Audiuimus quid de Lazaro (ſed ſtultè equidem) ſentiret Epulo, quam de Dauide opinionem haberet Saul, inquiramus: & in 1. Reg. c. 24. reperiemus, quòd poſtquam ipsũ animo magnum, ac pietate maximum agnouit, dùm ſibi hoſti infeſtiſſimo in ſpelunca parcentem vidit, non ſine lacrymis fari ſic cœpit. *Et nunc quia ſcio, quòd certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua Regnum Iſrael: iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum de domo Patris mei.* Quam Saulis petitionem conſiderans Toſtatus quæſt. 28. ſuper idem, quibus ex præmiſſis hanc deduceret conſequentiam Saul, quòd Dauid contra ſemen eius deſæuire deberet, nõ poteſt non inquirere. *Sed dicet aliquis* (ait ipſe) *quomodò putauit Saul, quòd Dauid vellet delere ſemen eius?* ſi ipſum iniuriatũ immemorẽ, & piiſſimum erga ſe agnoſcebat, vt proprio confeſſus eſt ore, dùm

*1. Reg. c. 24*

*Toſtatus.*

ait:

ait: *Iuſtior tu es,quàm ego:tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala. Quis enim cùm inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum in viam bonam?* Si igitur erga ſe tàm pium, ac mitem experiebatur,ſuſpicari vndè poterat,bone Deus, quod erga poſteros,qui eum nihil læſerant,deſæuire deberet?verùm nil mirũ, quòd pium impium, & miſericordem crudelem exiſtimaret Saul;quia vt Philoſophus 6.Politicorum ait.*Qualis quiſque eſt,tales alios iudicat*, & cùm crudeliſsimus eſſet ipſe,Dauidem ſuæ crudelitatis expertem minimè exiſtimabat.

*Philoſoph.*

*Toſtatus.*

Præfatus Toſtatus: *Putauit ergo,quòd cũ Dauid regnaret,recordaretur malorum ſibi inflictorum à Saule,deleretq; eius progeniẽ. Voluit ergo eum obligare per iuramentum.* Et clariùs Carthuſianus art.41. ſuper idem. *Qualis quiſque eſt,talitèr iudicat,& talitèr ſentit de alijs.Vndè Saul ambitioſus, & vindicatiuus paulò ante miratus fuit, quòd Dauid eum non interfecerit in caſu præſcripto. Nunc quoq; timens,& ſuſpicãs ipſum Dauid, ità acturum cum ſemine ſuo, ſicut ipſe in ſimili caſu egiſſet cum ſemine Dauid,petyt iuramentum prætactum,vt aſſicuraretur de tali periculo.* Ecce tibi quomodo proprio pede proximum metitur ſceleſtus.

5 Labani nunc contra Sanctiſsimum Iacobum querimonias adduco, Sacra dicente pagina Geneſ.31. *Eſto,ad tuos ire cupiebas,& deſiderio erat tibi domus Patris tui: cur furatus es Deos meos?* Ac vndè Idola Iacobum furatum fuiſſe ſuſpicari poſſet Labanus, libentiſsimè equidem audirem: nam ſi annis multis ipſum vnius, veriq; Dei cultorẽ agnouerat,quomodò nunc, quod ſic abhorrebat Iacob ipſi abſtuliſſe putabat? An fortè quia Idola, quæ magnifaciebat ipſe, illum quoque in pretio habuiſſe putabat? Ità ſanè ait Chryſoſtomus ho.57.in Geneſ.qui in Laban his verbis inuehitur. *Non vides Laban erroris tui magnitudinem,& iuſtum furti arguis?Quare enim iuſtus illos furari voluiſſet, quos abominabatur, imò quos ſciebat eſſe inſenſatos lapides?* Aſt impius Laban impiè ſuccenſet genero, ac non tantùm furti eum accuſat, ſed ſatis ſtultè ſocero perſimilem iudicat, dùm veri Dei cultorem inanium deorum raptorem exiſtimat.

*Geneſ.c.31.*

*Chryſoſt.*

6 Adſint etiam pro hoc inſtituto, quæ de ſuperbiſsimo Phariſæo Lucam ſcripſiſſe reperio, qui, reliqua vt omittam,quod ſuperbe de ſe ſentiret,ſuaſq; iactaret virtutes, non miror, cùm ſuperborum ſit proprium, vbi aliorum deſunt præconia,ſe ipſos ſui ipſius buccinatores effici, nec quòd cæteros aſpernaretur:*Non ſum ſicut cæteri hominum.* cap.8.mirabile mihi accidit; quia ſuprà cunctos ſe erigere ſtudens, ſuam felicitatem, ac magnitudinem ex aliorum infelicitate, ac tenuitate, vt mundanorũ eſt mos, creſcere exiſtimabat: ſed quòd publicanum etiã præter alias ſordes, quibus fœdatum exiſtimabat, raptorem vocaret. *Non ſum ſicut cæteri hominum:raptores,iniuſti,adulteri: velut etiam hic publicanus.* ibidem. Non poſsũ non mirari, cùm nihil Publicanum rapuiſſe legam: verùm cùm à criminoſis, iuxtà proprij criminis menſuram alios menſurari,ſicuti ex oppoſito,virtute pditos, virtutẽ, quam in ſe ob humilitatis exceſſum non vident, in alijs vigere exiſtimare,agnoſcam:dicente Chryſoſtomo ſuper cap.Matth.5. *Sicut difficilè aliquem ſuſpicatur malum, qui bonus eſt: Sic difficilè aliquem ſuſpicatur bonum, qui malus eſt*: præter reliquos Publicanum etiam raptorem à Phariſæo vocari, nõ miror; quia,qui diuinum honorem,ac gloriam rapere cupiebat; dùm verbis quidèm Deo gratias agebat,mente tamen ad ſeipſum reflectebatur, videri cupiens, & laudari: Vndè Auguſtinus ſer.38. de verbis Domini: *Quære autem in verbis eius, & nihil inuenies: aſcendit equidem orare,et noluit Deum rogare,ſed ſe laudare,& roganti inſultare,*Publicanum cũ reliquis raptorẽ facilè exiſtimabat. Vndè:*O amentiam* (exclamat Chryſoſt. in Catena relatus) *ò arrogantiam,ò exuperantem iactationem! non enim ſatiauit eius inſaniam, & amentiam omnis noſtra humana natura ad probra obijcienda, ſed in publicanũ etiam, qui in propinquo erat, cum magna dementia inuaſit.* Verè mendaces filij hominum in ſtateris, dùm eodem pondere alios penſitant, quo grauantur.

*Luc.c.8.*

*Chryſoſt.*

*Auguſt.*

*Chryſoſt.*

Phariſæus, qui diuinum côtendebat honorẽ Publicanum raptorem vocabat.

7 Conſanguineorum Chriſti conſilium,quod ei,vt refert Ioanns,cap.7. dum ait: *Dixerunt autem ad eum fratres eius;Tranſi hinc,& vade in Iudæam,vt &*

Di-

*Diſcipuli tui videãt opera tua, quæ facis*, dederũt, nũc trutino, & omiſſa quæſtione, qui fuerint hi Chriſti fratres, cùm ſciam per ipſos, remotos eius conſanguineos intelligi debere, vt ait Auguſtinus tract. 38. in Ioan. Beda, Theophylactus, Vgo Card. multique alij, quos recenſet Toletus, qui annotatione tertia ſuper idem

*Toletus.*

ait. *Qui ſint hi fratres in cap. 2. Annot. 8. & 10. oſtendimus: porrò vnum hic aduertendũ ſupereſt, horum neminem fuiſſe de duodecimo numero, idque & locus præſens Ioannis, & alia etiam ſcripturæ teſtimonia probant.* Vndè humilitatis magiſtrũ inanis gloriȩ cupidum exiſtimare potuiſſent, vt

*Ioan. 7.*

ex eorum verbis colligitur. *Vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua:*

*Vgo Card.*

Super quæ verba Vgo Card. *Hæc autem dicebant, putantes eum cupidum, uel amatorem eſſe laudis humanæ*, pluſquam libentèr audirẽ: quia ſi ipſe verbis, factiſque ſemper tumorem reprimi docuerat, qua nunc ratione humanȩ laudis eum venatorem autumant? Difficultatem, inter cȩteros enucleauit Ericius ſequẽ-

*Ericius.*

tibus verbis. *Putabant illum tantùm eſſe hominem, atque ideò eum ex ſe ſe metientes, ſicut ipſi honoris erant cupidi, itá eum arbitrantes ab hac cupiditate nequaquàm eſſe immunem; quaſi conſulentes, et conſilium ei dantes, dixerunt: Tranſi hinc, etc.* Ecce tibi, cur humilitatis magiſtrum inanis gloriȩ cupidum exiſtimabant mũdani; quia *Eum ex ſe ſe metientes. ſicut ipſi honoris erant cupidi, itá eum arbitrabantur ab hac cupiditate nequaquàm eſſe immunem.*

**Etiam Saluatorem ſuo pede metiri nitebantur mundani,**

8 Et vt clariùs pateat, quòd proprio pede alios metiantur iniqui, difficultatem adduco illam: an verè Dominum à dȩmone obſeſſum exiſtimarẽt

*Ioan. 8.*

Iudȩi, quandò dixerunt. *Nonnè benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* Ioan. 8. & ſi minùs communem ſententiam aſſerentem Iudæorum opinionem fuiſſe, dominum arreptitiũ fuiſſe, ſequi voluerimus, quæ fuit Nanzianzeni, Eutimij, Toleti, atque Lyrani.

*Lyranus.*

dicentis. *Hoc enim indicabant de Chriſto propter mirabilia, quæ faciebat; & quia ſecreta eorum frequentèr dicebat, & quia aliquandò quædam alta, & ſubtilia loquebatur, quæ nõ intelligebant, propter quòd eum arreptitium dicebant: ſicut & de Saul dicitur, quòd arreptus à dæmonio prophetizabat in aula ſua*: Nàm communior ad contumeliam ipſos hoc dixiſſe opinatur; dicere cogemur, quòd propterea dœmones expellentem, dœmoniacũ exiſtimabant Iudæi; quia ſi peccatum magnus eſt Dȩmon, vt Chryſoſt. hom. 33. ait. *Magnus enim Dȩmon peccatum eſt, quod ſi abs te abieceris, maior tu eris (mihi crede) quàm qui Dæmonia eyciunt:* & peccatores Dœmoniaci meritò ſunt appellati, ad ipſos in Chriſti perſona dicẽte eodem Chryſoſtomo hom. 44. in Matth. *Dæmonio enim tunc vexabamini, quando Idola colebatis, & Dæmonijs filios veſtros occiſos offerebatis, ingentem inſaniam oſtendentes:* & vt benè obſeruauit Ambr. lib. de Salomone, cap. 5. verba explicans illa. *De qua ſeptem Dæmonia exierant*, Luc. 8. dùm dicit: *Largum in ſanguine fluxum ſiccat in Martha, Dæmones pellit ex Maria*; ideò ſic temerè loqui audebant. Dœmoniacum Dominum appellando; quia à Dœmone, imò à pluribus dœmonibus ipſi obſidebantur: Ex quo Gregor. *Si eiſdem iſta dicentibus reſpondere voluiſſet, Dæmonium vos habetis, verum profectò diceret: quia niſi impleti Dæmonio, tàm peruerſa de Deo loqui minimè poſsẽt.* Sanè vides, quomodò Dœmonibus pleni, Dœmoniacum Saluatorem appellant; quo quid ſtultius cogitari poterit? certè nihil. Verùm has incidunt in dementias; quiã, vt præfatus ait Gregor. *Niſi impleti Dæmonio, tàm peruerſa de Deo loqui nõ poſſent.* Vndè Chryſoſt. hom. 54. in Ioan. *Quis Dæmonium habet? Nunquid qui Deum honorat, an qui honoribus Deum proſequentem contumelia afficit?* De qua peccatorum dementia, videndus eſt Carthuſ. qui ſup. c. 10. Sap. plura adducit, & Chryſologus ſer. 16. vbi, quòd dȩmones dominum, qui in plenitudine temporis venerat, ante tẽpus veniſſe exiſtimarent, non miratur: quia ipſi antè tempus homines ſepeliebant. *De tempore* (ait ipſe) *ſic queruntur, quaſi ipſi cum tempore fecerint, vt viuos condiderint in ſepulchris*, & Lorinus in Eccleſiaſt. verſ. 3. vbi pòſt aliqua de Nerone, & Luthero, ſic cõcludit: *Qualis igitur quiſque eſt, tales alios iudicat, inquit Philoſophus cap. 6. Politicorum; vndè Neroni perſuaſiſſimum fuiſſe ſcribit Suetonius, neminem eſſe pudicum, aut vlla ſui corporis parte purum. Lutherus nõ credit ſeruari continentiam à Deo dicatis hominibus, quam docet quoque impoſſibilem, pleroſque quòd*

*Chryſoſt.*

Peccatum magnus eſt Dœmon.

Peccatores dœmoniaci meritò ſunt appellati.

*Luc. 8.*

*Ambr.*

*Gregor.*

Dominum qui dœmonia expellebat, dœmoniacum vocabant Iudæi, & quare?

*Gregorius.*

*Chryſoſt.*

*Chryſol.*

*Lorinus.*

Inhoneſti, omnes inhoneſtos exiſtimant,

*Nero dicebat, diſſimulare vitium, & callidè tegere.*

Ioan. 20.

Magdalena vndè illum, quem hortulanum putabat, magiſtri corpus aſportaſſe credebat?

9 Quotiès in locum illum, *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi: & ego eum tollam,* Ioan. 20. incidi, totiès vndè Magdalena illum, quem nõdùm agnoſcebat, mortui præceptoris corpus aſportaſſe exiſtimaret, non potui non mirari: præcipuè quia ſi eum hortulanum putabat, non mortuorum ſepulturæ, ſed vineæ culturæ addictum iudicare debebat: vndè ergò, *Si tu ſuſtuliſti eum,* dicere voluerit, libentiſſimè audirem: & quamuis penè communitèr ſentiant expoſitores, quòd vel ob horti culturæ impedimentum, vel ob Iudæorum timorem id hortolanum effeciſſe, exiſtimaret Magdalena. Vndè Brugenſis in eius perſona: *Si tu ſuſtuliſti eum, ideſt, ſi tuo labore, conditurus eum alio loco (quo ne quidquam tibi impedimento ſit) aſportaſti: dicito mihi:* & Vgo Card. *Si propter timorem Iudæorum leuaſti eum hinc, dic mihi: & ego eũ accipiam audactèr.* Ad rem tamèn noſtram, Gregorij eſt audienda ſententia, dicentis; quòd propterea hortulanũ magiſtri corpus aſportaſſe exiſtimabat Magdalena, quia idipſum ipſa efficere intendebat. *Vis amoris* (ait præfatus Greg.) *Hoc agere ſolet in animo, vt quod ipſe ſemper cogitat, nullum alium ignorare credat:* & ſic non iniqui tantùm, ſed iuſti etiàm proprio pede alios metiuntur; dùm quæ ipſi cogitant, alios ſimilitèr cogitare exiſtimant.

Brugenſis.

Vgo Card.

Gregorius.

Iuſti, quæ agunt, omnes agere putant.

## Quare & vos trãſgredimini mandatũ Dei propter traditionẽ veſtrã? Matt. c. 15.

### §. II.

*Eò multorum Principum, ac Prælatorum peruenit inſania, vt magis proprias, quàm Dei leges Zelentur.*

1 SCribarum, phariſæorũq; hypocryſim cùm redargueret Saluator, inter cætera, ipſum dixiſſe reperio. *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Matt. 23. in quibus, ſi per tortuoſum camelum peccatum grande, quod carentia dici ſolet rectitudinis, & per culicem, leuis culpa ſignificatur, quid aliud præfatis verbis innuere intendebat Saluator, niſi phariſæorum inſaniam; qui maxima legis contemnentes præcepta, minima omni ſedulitate obſeruare ſtudebant? Itã Lyranus. *Excolantes culicem, ideſt, minima cum diligentia perquirentes, et tractantes, camelum autem deglutientes, ideſt, illa, quæ ſunt maioris ponderis, pro nihilo reputantes.* Magna equidèm ſtultitia: ſed vtinàm in Phariſæis tantùm viguiſſet! nàm (vt video) in multis huius noſtræ tempeſtatis rectoribus perſpicitur, qui præceptorum Dei flocci facientes contemptum, tantùm contra conditarum à ſe legum inobſeruantiam deſæuiunt. Vndè Vgo Card. ſuper citatum Matthæi locum, hunc ait in modũ. *Prælati noſtri culicem eliquant, & camelũ deglutiunt, dùm maiora prætermittentes, minora diſcutiunt, optimi ſcilicèt rerum æſtimatores, qui magnam in minimis, paruam, aut nullam in maximis adhibent diligentiã, quod facilè liquet in exemplis. Sic etiam eſt hodiè in clauſtris: plus punitur aliquis pro omiſſione, vel trãſgreſſione vnius adinuentæ conſtitutionis, quàm ipſius regulæ. Vndè ſupra arguuntur tales. Quare tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras?* & Lyranus ſuper illud Marci 7. *Irritum facitis præceptum Dei, vt traditionem veſtram ſeruetis.* ſic fatur: *Hoc autem faciunt Principes, & Prælati, facientes ſtatuta ſua ſub grauiori pęna diligentèr obſeruari, & parùm, aut nihil curant de obſeruatione mandatorum Dei:* & quod peius eſt, hi ſunt, qui hinc indè leges colligentes, nõ rectæ vitæ exemplis, nec ſanę doctrinæ fulgore; ſed pręceptorum varietate Rempublicam regere putant. *Sunt qui ſufficientèr exiſtimant* (ait Gerſon. tom. 3. de conſol. Theolog proſa 2. lib. 3.) *Rempublicàm regere, ſi conſtitutionum onera multiplicauerint. Si ſententias pęnales, vt excommunicationes fulminauerint, maneant autem ipſi negligentes, ſimiles facti pedagogis reprobis, qui negligentiam ſuam, & ignauiam purgare ſe putant, ſi pueris cõminationes crebras indixerint, ſi verberibus eoſdem affecerint. Inuenies alios ſuis ità conſtitutionibus poſitiuis inhærentes, vt nullam epicheiæ virtutem admittere velint, ſciant,*

Lyranus.

Vgo Card.

Seueriùs Prælati propriarum legum tranſgreſſiones punire ſolent quàm Dei.

Marci 7. Lyranus.

In religionibus magis ſtatutorum quàm regulæ vigere ſolet obſeruantia, & quare?

Gerſon.

Principes, & Prælati non vitæ exemplis, ſed conſtitutionum multiplicitate rectè ſubditos regere putãt.

aut

*aut poſsint, apud quos ſummum ius ſæpè ſūma iniuſtitia ſit. Alij paſsim hac epicheia, vel æquitatis regula ſic abutuntur, quòd nihil in legibus, nihil in conſtitutionibus, & regulis ſuis manet ſtabile: cùm tamen præcipuum cuiuslibet politiæ, etiam in monaſterijs regimen ex rationali legum ſuarum ſtabilitate reſultet.* Hi ſunt, de quibus ſubditi dicere meritò poſſunt, quod de patre ob præceptorum multitudinē, quæ vix aut rarò memoria retineri poteſt, dixit Ionathas. *Turbauit pater meus terram.*

1. Reg. 14.
Gregorius.

1. Reg. 14. ſuper quæ verba Gregorius lib. 5. *Quid eſt enim, quòd turbaſſe terram patrem reprehendit, niſi quia maiores ſtatuta ſua per imperitiam confudiſſe redarguit?*

Legum, ac ſtatutorum multitudo reſpublicas turbat.

Hi deniquè (quod ſine lacrymis dici vix poteſt) ſuper ſubditorum humeros imponunt onera grauia, & importabilia, quæ dùm neque ipſi, neque patres eorum portare potuerunt, illorum ſalutē difficilem reddunt, quod dixit Bernardus tract. de præcep. & diſpen. cap. 13.

Bernard.

Conſtitutionum, ac legum multiplicitas difficilem, imò penè impoſſibilem reddit ſubditorum ſalutē.

*Sed hinc vos ſumentes materiam, ſiue occaſionem argumentandi, aſſeritis, ſi hoc conſtiterit, vt iuſſa hominum qualibet, vel inſtituta diuinæ authoritatis pondere æſtimanda ſint: hominem ſub homine, aut vix, aut nunquam poſſe ſaluari: cùm in tanto cumulo mandatorum, quæ prælati etiam per incuriam ſæpè præcipiunt, interdùm non præuaricari, aut difficile admodum, aut omninò impoſſibile videatur.* Quàm hi non Dei, ſed ſuas leges zelentur, oſtendo.

Daniel. 3.

2 Antè omnia pro hoc inſtituto adducenda, locū aduoco illum Danielis 3. *Viri iſti contempſerunt, Rex, decretum tuum: Deos tuos non colunt*: & ſatis rationabilitèr inquiro, cùr priùs de decreti, quàm de Deorum contemptu Sancti adoleſcentes accuſentur, ſi iuxtà delicti menſuram, plagarum debet eſſe inflictio; dùm contra pueros accuſatores ſæuiebant, grauiora priùs obiicere debebant, leuiora verò poſtremò? An fortè, quia iniuſtis legibus non parere maius ſcelus eſſe putabant, quàm Deos aſpernari? Ità ſanè: propterea priùs decretorum, quàm Deorum accuſant cōtemptum. Meum nō eſt hoc quod dico, ſed Cyrilli Alexand. qui lib. 3. ſup. cap. Iſaiæ 29. in accuſatorum perſona hunc dicit in modum.

Cyril. Alex.

*Viri iſti, quos Principes conſtituiſti, honoris excellentiam, occaſionē ignominiæ fecerunt, tuis apertè legibus contradicentes, tuaque decreta exequi recuſantes. Neque hic ſolùm conſpici poteſt tyrannicus, & ingratus illorum animus, ſed alijs etiam ex rebus; quia nihil eorum præſtant, quæ ſubiectis conueniunt; quos enim tu Deos exiſtimas, non exiſtimant illi, neque conuenienti cultu Deos, qui à te adorantur, ipſi colunt.*

Mundani plus regalium, quā Dei præceptorū cōtemptum exiſtimant.

Profectò quàm ſupra Deorum ſuorum honorem regalia exiſtimarent præcepta, iàm ſplendere incipit; dùm priùs de præcepti tranſgreſſione, quàm de Deorum contemptu Daniel accuſatur cum ſociis.

Daniel. 3.

3 Nec hic ſiſto, ſed ad Regis indignationem immediatè pòſt deſcriptā, *Tūc Nabuchodonoſor in furore et ira præcepit, vt adducerentur Sidrach, Miſach, & Abdenago*, gradum facio, & omni alia omiſſa difficultate, Tunc, illud, *Tunc Nabuchodonoſor in ira*, ad quid referatur perpendo, & quamuis ad Deorum contemptum referri poſſit, vt ſit ſenſus, vt illos, quos Deos ipſe exiſtimabat, atque vt tales colebat, à pueris non honore, ſed ignominia affectos audiuit, in furorem verſus eſt: tamen ad aliud illud, tūc, Lyranus referri exiſtimat, dùm dicit, quòd non vt Deorum, ſed vt præceptorum ſuorum tranſgreſſionem audiuit, tunc in furorem verſus eſt. Audi ipſum.

Lyranus.

*Tunc Nabuchodonoſor in furorem verſus eſt ex contemptu ſibi facto ſecundùm ſuam æſtimationem, non tamèn ſecundùm veritatem, & ſic irrationabilitèr turbabatur*; hęc ipſe: quorum illa præſertim, *ex contemptu ſibi facto*, ſatis noſtrum inſtitutum, quòd priùs proprias, quam Dei leges legiſlatores zelentur, oſtendunt.

Flocci faciens Nabuchodonoſor Deorum ſuorum contemptum, tantum de ſuo indignatur, & furit.

4 Maxima illa indignatio, quam erga Ionatham oſtendit Saul, cùm ait: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.* 1. Reg. 14. ſatis ad rem noſtram facit: quia, ſi benè aduertis, non ob aliud morti eum adiudicauit pater, niſi quia præcepto à ſe facto, quòd nullus vſq; ad veſperam quid guſtaret,

1. Reg. 14.

ibidem.

*Adiurauit autem Saul populum; dicens: maledictus vir, qui comederit panē vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis*, non obtemperauerat: igitur ob humani præcepti, quod, vt ſacra ſubdidit pagina, nec audierat, *Porrò Ionathas non audierat cùm adiuraret pater eius populū*, morti fuit addictus? Prorsùs ita. Sic propria zelabatur mādata Saul,

quomodo autem erga diuina ſe gereret, caput immediatè ſequens percurre: nàm cùm à Samuele obiurgaretur, quòd contra expreſſum Dei pręceptum pretioſa de Amalech aſportaſſet, & Agag Regem non interfeciſſet, propter quam inobedientiam vita priuari de-
1. Reg. 15. bebat & Regno. *Pro eo quòd abiecisti ſermonem Domini, abiecit te Dominus, ne ſis Rex.* 1. Reg. 15. ipſum reſpondiſſe reperies. *Peccaui: ſed nunc honora me coràm ſenioribus populi mei, & coràm Iſrael.* ibidem, ergò pro peccato honore, & pro diuini pręcepti tranſgreſſione, nō morte, ſed reuerentia affici contendebat? Nil certè alitèr. Sed vbi, bone Deus, eſt Regis iſtius zelus? vbi rigor eſt ille, quo etiam ex ignorantia leue mandatum tranſgredientes, morte multabat? Sed proh nefas! Sic Reges ſuas, non Dei zelantur leges, vt penitùs nihili facientes diuinas, omni aſperitate etiam leues propriarum inobedientias puniant.
Toſtat. Quod indicare videtur Toſtat. q. 41. ſup. citatum ſcripturę locum. *Morte morieris Ionatha*, dùm ſubdit: *Et ſi Saul cognoſceret, quòd Ionathas parùm, vel nihil peccauerat, tamen volebat eum occidere.*

*Subditos ſtrictè iudicant Principes, ſe ipſos tamen molliter palpāt.*

5 Chryſoſt. prætereà hom. 14 ad popul. circà hoc Saulis pręceptum, etiam vndè tanta populi obediētia oreretur, quòd, excepto Ionatha, nihil penitùs quiſquam guſtauit, ſubtilitèr inquirit, ac dicit: ſi prandendi tempus acceſſerat, ſi inedia populus laborabat, ſi bellicis exercitationibus confectus erat, ſi hi, qui in palęſtra minimè exercebātur, famem ampliùs ferre non valebāt, quid populum hunc cohibere ſic potuit, vt ieiunium tàm exactè ſeruaret, dicente
1. Reg. 14. ſcriptura: *Et non manducauit vniuerſus populus panem?* 1. Reg. 14. & tandèm ex verbis, quæ ſacra addidit pagina, *Timebat enim populus iuramentum*, difficultatē eneruat, dicendo: quia lata lex humana erat, nō diuina, ideò quidquam guſtare auſus eſt nemo, cùm nullū prorſus lateret, qua pœna eſſent plectēdi, qui regali
Chryſoſt. mandato nō obtemperaſſent. Chryſoſt. *Vidiſti quanta vorago? Menſa ex temporanea, ut et accedēdi facilitas, & latēdi ſpes in iuramentorū prauaricationē ipſos alliceret. Nā fames, et labor, et tēpus (omnis. n. inquit, terra prandebat) tūc ad prauaricationē impellebant. Veruntamèn illi cupiditatem eō timuerunt, nec intra ſe dixerunt, quid nobis iuramētum Saulis curæ eſt? Nihil huiuſmodi cogitauerunt, ſed cum multa trāſibant reuerentia, & diſciplinā ſeruabant.* hom. 14. ad pop. Sic ieiunium ſeruauerūt illi, quorū patres ollas carniū in deſerto optauerunt, quia quę eis immineret pœna, ſi aliter effeciſſent, optimè intelligebant.

*Maiorē hominūs quàm Dei iuſtitia timorem incutere ſolet.*

6 Samuelem nunc in medium ſtatuo, qui vt cunctis vitæ ſuæ diebus Deo ſeruiret, puerulus in templo oblatus, ab ipſa ineunte ætate Deo dicatus, deſcribitur; ſacra dicente pagina. *Aduxit eum* 1. Reg. 1.
*ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus; & immolauerunt vitulū, & obtulerunt puerum Heli.* 1. Reg. cap. 1. hic è ſomni quiete diuina expergefactus voce, non ad Deum vocantem, ſed ad Heli dormientem cucurrit. *Vocauit Dominus Samuel, qui reſpondens ait: ecce ego. Et cucurrit ad Heli.* 1. Reg. cap. 3. & 1. Reg. 3.
quod magis intereſt, ſi prima vice audierat ab Heli; *Non vocaui te*, cur ſecundò, & tertiò ſemper ad eum, nunquàm verò ad Deum cucurrit? Et licèt non ob aliud id factum aſſerat Rupertus, niſi vt quę predicturus erat Samuel, à Deo ortum habere intelligeret Heli, cuius verba ſunt. *Diuinitùs procuratum eſt ob* Rupertus.
*commendationem prophetiæ fidelis, vt magnus Sacerdos prius quàm puer ipſe uocationem ipſius à Deo factam intelligeret, quemadmodum dicit ſcriptura. Intellexit igitur Heli*, de Trinit. & operib. eius lib. 1. cap. 7. Ego nihilominùs Samuelem in hoc caſu, ſubditi figuram geſtaſſe exiſtimo; quē adeò dominorum ſuorum pręcepta exterrent, vt ſi hinc Deum, indè quandoque rectorem vocātem, ac præcipientem audiret, pręlato priùs (ſi fas eſt dicere) quā Deo pareret, cùm multò ſeueriùs illius, quàm iſtius inobediētias puniri uideat, faciunt ad hoc, de
quo loquimur, Gregorii uerba. *Puer er-* Gregor.
*go humilitèr homini ſubiectus, atque obedientiæ arce ſublimatus, dùm vocatus acceſſit, iuſſus rediit, quid aliud nobis exemplo præbet, niſi altiſſimę formam obedientiæ?* Audis quare non ad Deum, ſed ad Heli cucurrit Samuel, quia illius erat exemplar, qui quotiès homini ſe ſubiectum uidet, totiès in ſublimi obediētię arce ſe conſtitutum conſiderat.

*Samuel à Deo vocatus, & ad Heli currēs quid ſignificet.*

7 Scrutatus ſum, & non ſemel, cur hebraico populo legem dare uolens al-

tiſ-

**Deus præcepta ſua per homines ad homines trāſmittebat, & quare.**

*Exod. 31.*

tiſſimus, eam non per ſe immediatè, ſed per Moyſen traſmittere uoluit, ſi ipſe eam condiderat, ſi proprio digito eam ſcripſerat, ſacra dicente pagina: *Deditque Dominus Moyſi, completis huiuſcemodi ſermonibus in monte Sinai, duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei?* Exod. 31. Cur non ipſe eam populo denūciauit, ſed Moyſeu hoc efficere iuſſit? Et tandē caſu incidēs in locum illum.

*Iſa.24.*

*Trāſgreſſi ſunt leges, mutauerunt ius, et diſsipauerunt fœdus ſempiternum.* Iſa.24. propterea id à Deo factum fuiſſe exiſtimaui, quia homines, ut humanas ſeruarent leges, diuinas trāſgreſſi fuerāt, mutauerant ius, plùs hominum, quàm Dei ſeruando pręcepta, ut aduertit Vgo Card.

*Vgo Card.*

ſup. uerba illa Matth.23. *Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditiones neſtras,* ubi ſic ait: *Tota querimonia eſt de ſeniorū tranſgreſsione, de traſgreſsione mādatorum Dei nullus conqueritur; undè Dominus per Iſaiam 24. Mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum, trāſgreſſi ſunt leges.* Quod fortè conſiderans Deus, à ſe ſcriptam legem ab homine ferri iuſſit, ut ab hominibus ob maioris pœnę timorē adamuſſim obſeruaretur: de qua mundanorum dementia per Iſaiam couqueritur, dicendo: *Timuerunt me mandato hominum, & doctrinis,* cap. 29. ubi Carthuſianus:

*Carthuſ.*

*Timuerunt me mandato hominum, ideſt, per obſeruantiam humanarum iuſsionum, ac doctrinarum, me uenerabantur magis, quàm obſeruando diuina præcepta, atque dogmata.* art. 54. Qua etiam (ni fallor) ex cauſa peuè quotiès durę ceruicis populo pręcepta dare intendebat, hoc nō per ſe, ſed per homines efficiebat, ut ex pluribus ſacrę ſcripturę locis patet, &

*Num.28.*

præſertim ex illo: *Dixitque Dominus ad Moyſen; Pręcipe filijs Iſrael, et dices ad eos: oblationem meam & panes, & incenſum odoris ſuauiſsimi offerte per tempora ſua.* Num.28. ubi ſi benè aduertis, dùm etiā debitę ſibi latrię adorationis pręceptū non per ſe, ſed per Moyſen dedit, quàm hominum exterreant pręcepta, inſinuauit.

*Lyranus.*

**Leuia ſuperiorum præcepta magis quàm regulæ grauia obſeruari ſolent in clauſtris.**

Pro qua re audiendus eſt Lyranus. *Hodiè in multis locis maior ſolicitudo habetur circà cuſtodiam mandatorum hominū, quàm circà cuſtodiam diuinorum pręceptorum, quia grauiùs ſatis punitur tranſgrediēs mandatum Principis, uel Prælati, (quod tamen frequentèr non eſt malum, niſi quia prohibitum) quàm tranſgrediens Dei mandatū, quod de ſe ſemper eſt illicitū.* ſup. cap. Matth.15. & ſic lex, quæ pietatis digito (ſcilicèt per Spiritū Sanctum, qui amor eſt) ſcribitur, dicente Sācto Vigilio Epiſcopo Trid. diſput. de Chriſt. Domino, & fide Sanctiſſimæ Trinit. *Digito Dei, nempè, Spiritu Sancto lex in duabus tabulis conſcripta refertur,* contemnitur; dùm ferreo hominum ore profertur, ſeruatur.

*S. Vigilius.*

8 Latus nunc mihi patet aditus ad difficultatem illam: cur ſic ſtrictè præcepta ſua cuſtoditi præcipiat Deus, quòd dicat Dauid pſal. 18. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Super quæ verba Carthuſian. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis, ideſt, multùm diligentèr: ſi autem ſcire volumus, quàm nimis præceperit Chriſtus impleri mandata ſua, audiamus quid de præceptis charitatis aſſerat: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Ecce quàm nimis præcipiat:*

**Verborum illorum, *Tu mādaſti mādata tua cuſtodiri nimis.* Pſal. 18. intellectus.**

quia fortè ob pœnæ timorem exactiùs ab hominibus hominum præcepta ſeruari videbat, quàm ſua; & hac de cauſa ſatis conſultò, nedùm mandata ſua cuſtodiri, ſed nimis cuſtodiri mandauit, vt magis diuinis, quàm humanis iuſſionibus homines obedirent. Quam rem, & aliqualitèr Caietauus mihi tetigiſſe videtur, dùm ſuper citatum pſalmi locum, ait:

*Caietan.*

*In hoc deſiderium ex parte agentis (hoc eſt Dei pręcipientis) deſcribitur. Tu dicis, non Moyſes, aut Angelus, aut homo quicunque: mandaſti, præcepta tua, non humana decreta: ad cuſtodiendum, non ad audiendum, aut ſciēdum, ſeù docendum; ſed obſeruandum valdè, non parùm, non tepidè, non ſegnitèr,* & obſeruauit ſanctus ille adoleſcens, qui nec crudeliſſimi regis Antiochi furore, quem contra ſe ſatis itatum ſentiebat, nec fratrum nece vinci potuit; imò nulla habita tormentorum, nec mortis ratione, patria voce dicere non metuit. *Non obedio præcepto regis, ſed præcepto legis.* 2. Machab.7. manifeſtiùs ac ſi diceret: hominum leges timeant reliqui, regum furorem paueant imbecilles, tormentorum magnitudinem formident tyrones: nàm ego in tenellis membris fortis, & adhuc in paruo corpore bellicoſus miles tyrannum irridens, & mortem ſpernens, illius præceptis pareo, qui mandata ſua non ſimplicitèr cuſtodiri, ſed nimis cuſtodiri mandauit.

*2. Machab. 7.*

**Plus legis, quam Regis ſunt attendenda mandata.**

Si-

## Sinite illos : cæci ſunt, & duces cęcorum. Matth. 15.

### §. III.

*Serpit vitium , & non ſecus ac peſtis in proximum quemque graſſari ſolet.*

1 PLuriès in ſacris paginis peccatores cæcos nuncupari & oſtẽdimus in §.1. fer.6.Dom. 1. & adnorauit D. Antonius Paduanus ſuper verba illa.*Cæcus quidam ſedebat ſecùs viam.* Luc. 18.dùm clamat. *O quot,quot ſunt hodie,qui ſunt cæci : vndè Dauid: lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum* : & infra ſuper illud.*Domine,vt videam.*ibidem.*Ratio enim quare ſic miſer peccator inuoluitur in tenebris peccatorum,eſt carentia cognitionis. Igitur neque ſciunt, neque intellexerunt , in tenebris ambulant*:& Cęlius Pannonius ſect.3.ſuper illud Apoc.3. *Dicis: quòd diues ſum,& locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer,& miſerabilis,& pauper,& cæcus* : hunc ait in modum.*Miſer fit,quia à Deo abiectus eſt,et pœnis inferni iampridèm deſtinatus,miſerabilis,quem multa mala,& offenſa Dei circumdant,cuius meritò miſereri queant omnes, pauper, cui nulla probitas, nullæ virtutes adſunt , cæcus, qui ſaluti ſuæ non proſpicit , iudicio conſilioque orbatus.* Nec mirùm,quia ſi vitia cũcta ſpiritualem inducunt cæcitatem, vt declarauit Rupertus Holchot. lect. 28. in cap.Sap. 2. vbi inter cætera hæc ait. *Omne peccatum natum eſt exęcare ſpiritualitèr iuxtà illud Sophoniæ 1. Ambulant vt cæci, quia Domino peccauerunt: vndè ſeptem vitia capitalia ſeptem inferunt cæcitates . Exęcat enim ſuperbia præ ſua nimia claritate . Eccleſiaſt. 43.Sol ſuis radijs effulgens excæcat oculos , ideſt , pompa gloriæ mundialis , & figuratur per Pauli cæcitatem, de quo dicitur Actor.9. quòd circumfulſit illum lux de cęlo,& cadens in terram,nihil videbat. Cæcitas eſt inuidia , & hæc figuratur per cęcitatem Heli ſacerdotis 1. Reg. 3.qui non poterat videre : lucerna Dei antequam extingueretur.Cæcitas eſt inuidia. Turbatus eſt à furore oculus meus. Cæcitas eſt accidia, & figuratur per cæcitatem Tobię,qui dormiendo cæcitatem incurrit.Cæcitas eſt cupiditas, quæ facit hominem ſimilem talpis. Cæcitas eſt gula, quæ frequenter excæcat hominem ſpiritualitèr, & corporalitèr.Prouerb.13. Cæcitas eſt luxuria,quia aufert iudicium,& rationem*; iure optimo cœci vocandi sũt peccatores . Quòd autem poſtea à cœcis iſtis,qui ducuntur, cęci etiam appellentur & ipſi , non tantùm dicente Saluatore,*Cæci ſunt,* ſed addente, *Et Duces cæcorum*, magnam mihi ingereret difficultatem:quonam pacto eodem morbo Principes laborarent & populus: (clariùſque vt dicam) cur vno, eodemque vitio ſuperiores inficerentur & ſubditi; Senecam niſi percurriſſem,dicentẽ. *Serpunt enim vitia, & in proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent*: nam ſi ſerpunt vitia, & ſerpendo inficiunt; mihi minimè mirum videtur, cœcos vocari ſubditos,ſi cœci erant prępoſiti,cùm ab his in illos peccati ſe effunderet peſtis: Qua propter Rabbanus in Cat.relatus. *Cæci quidèm ſunt,id eſt,lumine mandatorum Dei priuati : & ſunt duces cæcorum, quia alios in præcipitium trahunt,errantes,& in errorẽ mittentes* : & hac fortaſsè de cauſa diſcipulos monuit Saluator, dicẽdo: *Sinite illos.* ibidẽ . hoc eſt,illos cauete, immò ab illis fugite; quia ſi peccati peſtilentia ſerpit, eorum conſuetudinem nõ affectare, ſed omni ſtudio fugere debetis. Nil alitèr Chriſtianus Druthmarus pręfata explicat verba.*Sinite illos,hoc eſt, dimittite in ſuis erroribus, & vos nolite audire,iuxtà illud . Hæreticum hominem pòſt primam , et ſecundam correptionem deuita.* Nàm ſecùs ſi facies, ſociorum peccati expers nequaquã eris. quod vt tibi ſuadeas, audi ſi libet.

*Luc.c. 18. S. Anton. Pad.*

Peccator cęcus meritò nuncupari poteſt.

*Apoc.3. Cęlius Pannon.*

*Rup. Holchot.*

Peccatum quodlibet ſpiritualem inducit cœcitatem.

*Seneca.*

Vt peſtis peccatum ſerpit, & inficit.

*Rabbanus.*

*Chriſtianus Druthmar.*

peccatorum conſuetudo admodum periculoſa; & quare.

2 Multis decorata gratijs,doniſque aucta in terreſtri Paradiſo prima verſabatur mulier,quando conceſſis minimè cõtenta,conditionis ſuę immemor,Dei ſimilitudinem appetijt , dùm falſis ſerpentis ſuaſionibus . *Nequaquàm morte moriemini.Scit enim Deus quòd in quocunque die comederitis ex eo , aperientur oculi veſtri : & eritis ſicut dij .* Gen. c.3. aſſenſum præbuit:magnus ſanè error,magna fuit deceptio , humilem mulierculam omnipotentis Dei ſimilitudinem appetere. Verùm ſi vndè tanta deceptio, ac tanta ſuperbia ortum habuerit noſcere

*Gen. cap.3.*

cu-

cupis; quid in primo ortu ſuo Lucifer dixerit, audi ſi libet. *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſsimo.* Iſa. c. 14. ergò omninò illa eadem ſuperbia, quæ Luciferum excęcauit, Euam etiam cœcã reddidit? ità prorſùs, imò penitùs eodẽ vitio laborauit vterque; nec mirum, quia ſi ſerpentis virus per afflatum effundi, ac propinquos inficere ſolet, dùm Euã alloquebatur ſerpens. *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi?* Gen. ibidem, tumidi pectoris venena fundens, mulierẽ venenauit. Facit aliqualitèr ad hoc, quod dixit Bernardus lib. 4. ad Eugenium. *Nè te dixeris ſanum, ne te dixeris bonum malis innitentem; nec tuta tibi tua bonitas obſeſſa malis, magis quàm ſanitas vicino ſerpente:* Sed ſatis clariùs rem confirmauit Chryſoſt. hom. 16. in Gen. *Erat autem ſerpens prudentiſsima omnium beſtiarum, quas fecit Dominus Deus: eo quaſi inſtrumento quodam vſus eſt, per quod mulierem vtpotè ſimplicius, & infirmius vas, illius familiaritate in errorem, & deceptionem prouocaret.* Aurea ſanè verba, & præſertim illa: *Vt illius familiaritate in errorem, & deceptionem prouocaret*, quid iniquorum familiaritas poſſit, oſtendunt, dùm in illam eandem ſuperbiæ cæcitatem, in quam diabolus inciderat, primam mulierem prolabi fecit.

*Iſa. cap. 14.*

*ibidem.*

*Bernard.*

*Chryſoſt.*

Vnde Eua Dei ſimilitudinem appetere didicerit, declaratur.

3 Iudęorum duritiem his verbis. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Ioan. 8. increpabat Saluator: Sed quò vadis ò Domine, ſi per eſſentiam, præſentiam, & potentiam vbique es? Quò vadis ſi iuxta Triſmegiſti ſẽtentiam ſphera es illa, cuius centrum eſt vbique, circumferẽtia nullibi? Et poſteà, quod magis intereſt (nam quantum ad hoc, tunc ab anima te diſcedere ſcio, cum ipſa à te per peccatum, ac per gratiæ amiſſionem elongatur) ſi non vnum, ſed multos redarguis, cur non dicis in peccatis veſtris moriemini, ſed potiùs in ſingulari loqueris, dùm dicis: *In peccato veſtro moriemini?* An omnium vnum erat peccatum? ita ſanè, ait Venerabilis Beda; nec mirum, quia quorum vna erat conſuetudo, vnum erat peccatum, cùm haud difficilè ab vno ad aliũ ſe effundat vitiũ. Citatus Beda. *Nota quòd peccato in ſingulari numero vtitur, ſed veſtro in plurali, vt idem omnium ſcelus oſtẽderet; æqualem enim omnium malitiam perdendi eum, ſciebat.*

*Ioan. 8.*

*Beda.*

Vnius vitiũ in omnibus ſocius vigere ſolet.

4 Aduerſùs Magdalenam pro vnguenti effuſione fremente Iuda, vt dicit Ioan. cap. 12. *Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: quare hoc vnguentum non veniit trecentum denarijs, et datum eſt egenis?* Saluatorem reſpondiſſe teſtatur idem: *Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſerues illud. Pauperes enim ſemper habetis vobiſcũ: me autem nõ ſemper habebitis.* Ex quo Domini reſponſo, non Iudam tantùm, ſed alios etiam vnguenti effuſionem ægrè tuliſſe colligo; nã ſi proditoris ſolũmodò murmurationem redarguere voluiſſet, non, *ſinite*, ſed, ſine, dici opus fuiſſet; igitur ſi in plurali loquitur, plures cõtra Magdalenam ora ſoluerãt: ità prorſùs, nam Matthæus cap. 26. ait. *Videntes autem diſcipuli indignati ſunt, dicentes: vt quid perditio hæc?* quod ſi verum, vt veriſſimũ eſt, cur de ſolius Iudæ murmuratione mentionem facit Ioannes: *Dixit ergo vnus ex diſcipulis?* Cui difficultati, vltra Victoris Antiocheni ſolutionẽ, dicentis: Propterea rem ab Euangeliſta ſic deſcriptam fuiſſe, quia tantùm Iudas ex malitia, reliqui ex ſimplicitate murmurauerunt: cuius verba ſunt. *Ioannes ſolius Iudæ traditoris mentionem facit, Matthæus diſcipulorum omnium, nouerat enim Ioannes diſcipulos ex quadam potiùs animi ſimplicitate, quàm ex malitia mulieris factum improbaſſe, ideò ſolùm Iudam perſtringit:* ob id etiam factum à Ioanne ſic enarratũ exiſtimo, quia ferè in quolibet hominũ cętu vix fieri poteſt, vt incipiente vno murmurationem, reliqui non ſequãtur; cùm veluti peſtis graſſetur vitium. Vndè Brugenſis ſuper citatum Matthæi locũ. *Quidam Apoſtolorum, re non ſatis conſiderata, indignati fuerant, moti Iudæ detractione, qui primus auctor fuit huius accuſationis: vt ferè fit, vt prima alicuius fraudolenti, & improbi oratione, ſimplices alij in eandem ſententiam ſubitò impellantur:* hæc ipſe: quorum illa præſertim, *Moti Iudæ detractione*, ſi attendes, quàm facilè ſerpãt vitia, percipies.

*Ioan. c. 12.*

*Matt. c. 26.*

*Victor. Antioch.*

*Brugenſ.*

vix vno murmurationem incipiente ſequi ſolent aſtantes.

5 Epu-

5 Epuloni nunc non eſt denegãdus locus, nec ſolicitudo, quam de fratrum ſalute habebat, eſt omittenda: nàm vt ſacer ait textus, in inſerno ſepultus, cum igne deuorante, & cum ardoribus ſempiternis habitans, vndique auerni circumuallatus monſtris, inter tot, tantaque ſupplicia fratrum minimè immemor pro ipſis voces ad Abraham tranſmiſit & preces, dicendo: *Rogo te pater Abraham vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Luc. cap. 16. Magna equidem fratrum cura; per quos ſi verè germanos intelligere voluerimus (nam Chryſoſt. per hos fratres exteriores ſenſus intelligendos exiſtimat, dùm dicit. *Quinque fratres habes, viſum habes, odoratum habes, ſaporem habes, auditum habes, tactū habes. His ſi atribus tu antè ſeruiſti: iſtos habes fratres; quando illos amabas fratres, Lazarum fratrem amare non poteras. Rectè nō amaſti Lazarum fratrem, quia illos amabas fratres, ill[i] fratres non amant paupertatem.* hom. 5. in Luc.) magna inſurgere poterit difficultas: quæ charitas erat in charitatis experte, quę pietas in impijſſimo corde? & quam alterius ſalutis ſolicitudinem habere poterat ille, qui dùm vixerat, penitùs proprię fuerat oblitus? Et poſtea ex quibus indicijs deducere, & ex quibus præmiſſis fratres fore damnandos inferre poterat, quòd dicebat; *Ne ipſi veniant in hunc locum tormentorum?* Quantum ſapio, quantum capio, non ab re de germanorum ſalute ambigebat Epulo, quia ſciebat, non ſinè contagii periculo ſecum fratres vitam duxiſſe; imò, vt clariùs dicam, quia proprio ſerpente vitio, illos criminum ſocios habuiſſe noſcebat, non ex charitate, ſed ex timore eos pęnæ conſortes habere nolebat, ne ex illorū conſortio ipſius ſuppliciū augeretur & dolor. Do tibi Brugenſem rem confirmantem ſequētibus verbis: *Ad cumulum temporariæ ſælicitatis fecerat, quòd fultus eſſet quinque dilectis fratribus, non minoribus quàm ipſe diuitijs, delicijs, pompiſque florentibus. Quinque fratres ergo, delicijs & voluptatibus carnis indulgentes, meo more, neglecta pauperum cura, ac proindè omnes periclitantes eadem cauſa, qua ego in hanc miſeriarum extremā ſortem deueni. Ne & ipſi, vt ego, ſi pergant meis veſtigijs, ingrediantur tormentorum locum, in huius calamitatis conſortium.* hæc ipſe. quorum illa præcipuè. *Meo more, neglecta pauperum cura.* Vndè fratrum periclitaretur ſalus, declarant, quia iàm mores ſuos in fratrum pectoribus vigere noſcebat.

*Luc. 16.*

*Chryſoſt.*

*Brugenſ.*

De fratrum ſalute ambigebat Epulo, & quare.

6 Quod optimè noſcētes iuſti, omni ſtudio, omniq́ue conatu ſemper peccatorum conſuetudinem vitare ſtuduerunt: vndè inter cęteros, Petrum contra Ananiam aſperrimum ſe oſtendiſſe ſacra teſtatur pagina, dùm ad eius obiurgationis rigorem. *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, et fraudare de pretio agri?* Actor. cap. 5. miſer Ananias expirauit: *Cecidit, & expirauit.* ibidem. Cur nō mitiùs erga Ananiam Petrus ſe geſſit? Cur fraternam nō præmiſit correctionem? Cur nō ſepties, nec iuxta præceptoris iuſſionē ſeptuagies ſepties dimittere, ſed potiùs ſtatim eum punire voluit? Explicat S. Maximus hom. 2. de auarit. *Tanta enim infectus erat auaritiæ peſtilentia, vt ſanctus eū Petrus non tàm emendare voluerit, quàm damnare: legerat enim Prouerb. 22. Eijce de concilio peſtilentem, & exibit cum eo omnis contentio: ſolus enim in cætu ſanctorum peſtilens fuit.* Proh periculoſa peſtis, quæ vnum inficiēs, omnes terrebat, dùm nec ipſam ſanctorum multitudinem (ſi ſic dicere licet) ſecuram reddebat!

*Act. 6. 5.*

*Maximus.*

Auaritia periculoſa peſtis.

7 Diſcipulos ad euangelizandum mittens Saluator, inter cætera ſic ipſum dixiſſe reperio. *Quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros; exeuntes foràs de domo, vel ciuitate excutite puluerem de pedibus veſtris.* Matth. cap. 10. quòd Domini præceptum multam ſpeculandi anſam Sacris ſcriptoribus præbuit, quid ſibi vult, quòd non tantùm egrediendum, verùm etiam puluerem excutiendum præceperit? Et Theophylactum inueni, dicentem: *Excutite puluerem, id eſt, monſtrantes quòd nihil ab illis acceperint, qui propter duritiā perſuaderi non poterant:* Quæ etiam aliorum fuit ſententia. Toſtatus poſtea q. 82. ſuper citat. Matth. locum, multas de re hac affert rationes: ſed ſecunda, quam adducit. *Excutite puluerem ad ſignificandum, quòd nihil habere volebant commune cum illa vrbe*: vlteriùs inquirendi occaſionem præbet: quid eis damni eſſe pote-

*Matt. c. 10.*

*Theoph.*

*Toſtat.*

terat ciuitatis puluis, quòd nec illum ſecum habere volebant, & quamuis idem Toſtatus difficultatem enucleet, addẽdo:

*idem.*

*Exiſtens enim in aliquo loco participat aliquid de bono, & malo illius*: attamen Emiſſeni ſententia admodùm ad rem noſtram facit; nam ideò puluerem de pedibus excutiendum exiſtimat, ne aliquali mundanæ labis inficerentur contagio. *Vt de illorum infidelitate, et impietate*, ait præfatus Euſebius hom. 1. in natali Apoſtol.

*Euſebius Emiſſenus.*

*de illorum ſordibus, & immunditia, de illorum iniqua conuerſatione, & terrena operatione, nihil vobis adhæreat, veſtroſque pedes, et ſancta itinera commaculet.* Quis igitur periculoſum contagiũ non vocabit peccatum, ſi criminoſę ciuitatis minutus puluis ſanctis veſtigijs inherendo timetur, ne ipſa aliqualiter polluat, & inficiat.

**Puluerem de pedibus excutere cur diſcipulis præcepit Saluator?**

8 Saluatoris nunc aduocetur dictum. *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Ioan. cap. 13. quod mirum quidem primo videtur intuitu, nam qui mundus eſt totus lotione non indiget: & qui hac opus habet, quonam pacto totus mundus dici poſſit, difficilè intelligeretur, niſi communitèr dicerent Patres, quòd, qui baptiſmatis vnda ablutus totus omninò mũdus ſit, eadem iterum ablui nequaquam poteſt; ſed ſi affectuum pedes aliquantulum inficiuntur, Saluatoris tergantur indulgentia: ſic præfatum ſcripturæ locum interpretrantur ſacræ ſcripturæ expoſitores. At allatus Emiſſenus loco citato; pedum nomine non tantùm affectus, ſed etiam ipſos pedes intelligi poſſe, non in congruum exiſtimat; iuxtà quam intelligentiam dicere oportet, quòd propterea mundus totus pedes abluere debet, quia terram peccatorum cõtagio pollutam, iuxtà illud. *Infecta eſt terra in ſanguinibus.* Pſal. 105. dùm tangit, ſemper ne pedes ex contactu inficiantur, pertimeſcere debet. Audi ipſum prioribus verbis. *De illorum iniqua conuerſatione, & terrena operatione nihil vobis adhæreat, ne veſtros pedes, & ſancta itinera commaculet*: immediatè addentem. *propter hoc enim dicitur, qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes tantùm lauet*: & fuſiùs venerabilis Beda. *Pedes namque, quibus incedẽtes terram tangimus, eos à cõtagio pulueris ſicut reliquum corpus immunes cuſtodire nequimus; propterea dicitur, qui mundus eſt totus non indiget, niſi vt pedes tantùm lauet.* tom. 2. homiliar. quadr. Magnum planè noſtri inſtituti argumentum, quo ſatis commodè huius contagij declaratur periculum.

*Ioan. c. 13.*

*Pſ. 105.*

*Euſebius.*

*Beda.*

**pedes terrã peccatorum cõtagio pollutam tangentes ablui præcepit Chriſtus, ne ex contactu contagium contrahant.**

9 Leproſos in veteri lege cum cæteris commorari, nedùm nefas exiſtimabatur, verùm etiam eorum ædium lapides erui, & extrà Ciuitatem in locũ immundũ proiici iubebãtur: ſacra dicẽte pagina Leuit. 14. *Reuerſuſque Sacerdos die ſeptimo, conſiderabit eam. Si inuenerit creuiſſe lepram, iubebit erui lapides in quibus lepra eſt, & proijci eos extrà Ciuitatem in locum immundum.* quod ideò fortè iniunctum erat, quia cùm contagioſus morbus ſit lepra, facilè in alios ſe effundere poterat. Ad ſenſum tamen myſticum rem reducendo, non ab re & leproſi, & leproſorũ res à populo elongabantur; quia ſi per lepram peccatum in ſacris paginis ſignificari ſolet, iure optimo à iuſtis ſegregantur iniqui, ne ex ipſorum conſuetudine, vel ex eorum rebus (ſi fas eſt dicere) attrahatur iniquitas. Theodoretum aduoco dicentẽ. *Domui leproſæ ſimilis eſt domus Iſrael de qua, qui peccauerant, tanquàm infecti lepra lapides ſublati ſunt, quandoque per Aſſyrios, aliquando per Babylonios, interdùm Macedonum opera. Et quia adhærenti lepra laborabant, illorum domum dirui funditùs iuſſit legiſlator.* q. 16. in Leuit. periculoſum ſanè contagium peccatum, dum non ſolum peccatores, ſed ipſorum res omni ſtudio cauere debemus.

*Leuit. c. 14.*

**Lepra in ſacris paginis quid ſignificet?**

*Theodoret.*

10 Multum nunc non immoror vt oſtendam, quam ob cauſam caſtiſſimus Ioſeph non è manibus adulteræ dominæ pallium euellere, ſed ipſo relicto aufugere voluerit. *Accidit autem quadam die, vt intraret Ioſeph domũ, et operis quippiam abſque arbitris faceret: & illa, apprehenſa lacinia veſtimenti eius, diceret: dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio fugit.* Gen. cap. 39. quia Ambroſium noui dicentem. *Contagium enim iudicauit, ſi diutiùs moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua tranſirent.* Sciebat equidem, ſciebat caſtiſſimus adoleſcens ex contactu contagio multos laborare ſolere; ideò, ne per pallium libidinis faces ad eum præteruolarent, relicto pallio, aufugere decreuit.

*Gen. 39.*

*Ambr.*

**Ioſeph relicto pallio fugit, ne per illud libidinis faces ad eum peruolaren.**

11 Ex hucuſque dictis alterius difficultatis pendet ſolutio, nempè, quid in Sodomis timere poterat Loth, quòd ei ſic iſtanter ab Angelo dicebatur, *Feſtina, & ſaluare*. Gen. cap. 19. Si iuſtus erat Loth, ſi gratiam coràm Deo inuenerat, ſi ſolus ipſe cum ſuis communis ciuitatis cladis expers eſſe debebat, ad quid tanta in exeundo celeritas? Qua in re omiſſa Cornelij à Lapide expoſitione, qui pro anima vitam tantùm tẽporalem intelligit, cùm dicit: *Salua animam tuam, ideſt, vitam tuam hoc incendio eripe, domum, ſupellectilem, & cætera omnia neglige, ne ſi moreris, et ea tecum ſaluare velis, cum ijs pereas, et conflagres*. Gomezij mihi non diſplicet expoſitio, qui ad quęſtionem à ſe motam. *Quam ob cauſam Angelus, vt refertur in Geneſi, tantam diligentiam adhibuit, vt Loth è Sodomis eyceret?* illicò reſpondet. *Ne ex tali etiam conſortio aliquod malum culpæ, vel pœna eidem prouenire*t, ſuper cap. Matth. 11. Vide quomodo ex malorum cõſuetudine, nedùm corporis, ſed animæ ſalus periclitari ſolet.

*Gen. c. 19.*

*Cornelius à Lapide.*

*Gomezius.*

Malorum conſuetudo corpori, & animæ noxia.

12 Mirabile igitur videri non debet, ſi Ioſeph ille Ægypti dominus morti propinquus oſſa ſua aſportari præcepetit. *Poſt mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere vos faciet de terra iſta ad terram, quam iurauit Abraham, Iſaac, & Iacob. Aſportate oſſa mea de loco iſto*. Gen. cap. 50. tum quia etiam poſt mortem oſſibus ſuis impendendum honorem fugiebat, vt adnotauit Auguſt. q. 25. ex veteri teſtam. cuius verba sũt: *Sciẽs ſe ab Ægyptijs coli cauſa adminiſtrationis, qua in magna egeſtate Ægyptũ gubernauit, poſt exitum ſuum errorem quæſiuit auferre, certus vanitatem vulgi magis mortuos venerari ut Deos, quàm viuos: ne ei deferretur debitus honor creatori; cineres ſuos transferri mandauit*: tum etiam, quod magis ad præſens facit inſtitutum, quia cùm ſceleſtorum oſſa vitijs plena eſſe agnoſceret, iuxtà illud. *Oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient*. Iob. cap. 20. ne oſſa ſua cum contagioſorum oſſibus morarentur, ea aſportari præcepit: vnde Oleaſter. *Audis hic quàm mala ſit coniunctio malorum, ut non ſolum viui, ſed nec etiam defuncti iuſti cum eis commorari velint*. Hæc ipſe. Nos autem qui malæ conſuetudinis damna iàm noſcimus, cum Dauide clamemus. *Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei*. Pſal. 115.

*Gen. cap. 50*

*Auguſt.*

Etiam poſt mortem iuſti humillimi.

*Iob cap. 20.*

*Oleaſter.*

Non tãtùm viui ſed defuncti etiam ſi, fas eſt dicere malorũ conſortium fugere vidẽtur iuſti.

*Pſ. 115.*

## Reſpondens autem Petrus dixit ei: ediſſere nobis parabolam iſtam. At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis. Matth.

### §. IV.

*Peccatores ſatis rationabiliter mentecaptos nuncupari, oſtenditur.*

1 Miſerandam peccatorum vecordiam ſanctiſſimum hebraici populi ductorẽ deplorantem, inter cætera dixiſſe reperio: *Vtinam ſaperent, et intelligerẽt, ac nouiſſima prouiderent*. Deuteron. cap. 32. à qua querimonia facilè ſe expedit Carthuſianus art. 35. ſuper idem, ipſam ſic explicando (*Vtinam ſaperent*) *ea quæ Dei sũt, atque ſalutis* (*& intelligerent*) *cauſam ſuæ captiuitatis, & afflictionum iam præfatarum* (*ac nouiſſima prouiderent*) *ideſt, futurum Dei iudicium, & ſuam damnationem æternam, quam poſt præſentem recipient tribulationem, quia non emẽdantur per eam*. Sic ipſe, quę aliorum etiã fuit expoſitio. At ego in verbis: *Vtinam ſaperent, & intelligerent*. aliquantulum ſiſtendo vlterius inquiro: ſi homo animal eſt rationale, quonam pacto nunc intellectu carere dicitur: *Vtinam ſaperent, & intelligerent*. An fortè hominem ſine intellectu concedemus? Sed vtinam verum non eſſet, homines intellectu, ac ſapientia præditos, multoties ſe rationis expertes oſtendere: & ſi quæres, quinam ſunt iſti, qui intellectu præditi abſque ratione viuunt? cum Saluiano reſpondeo: *Nemo malus niſi ſtultus; ſi enim ſaperet, bonus eſſe vellet*. lib. 5. de prouid. Ecce tibi qui nõ ſapit, qui peccat; nam ſi ſaperet, minimè peccaret. Et propterea vbi noſtra vulgata habet: *Dixi iniquis: nolite iniquè agere*. Pſal. 74. legunt alij. *Dixi ſtultis: nolite inſanire. Stolidis: ne agatis ſtolidè*. Nec mirum, quia vt in animam

*Deuter. 32.*

*Carthuſ.*

Verba illa: *vtinam ſaperent, & intelligerẽt, ac nouiſſima prouiderent*. Deuter. 32. explicantur.

*Saluianus.*

*Pſ. 74.*

pec-

peccatum ingreditur, ipſam omni ſapientia, & conſilio ſpoliat: cuius rei ſi nulla alia extaret probatio, ſatis eſſent aſſumpta pro themate verba, quia illa coniunctio, *Et, Adhuc & vos ſine intellectu eſtis.* Matth. cap. 15. alios ſinè intellectu eſſe declarat: nam Apoſtoli quantùm ad intelligentiam ſermonis Chriſti ſe ſolùmodò non intelligentes oſtendebant. Vndè Incertus: *Erant enim Apoſtoli ſinè intellectu, dùm ea non in parabolis, ſed plano Dominus dixerat. Vndè & illi meritò redarguuntur: quia ea, quæ ad literam intelligi debent, allegoricè exponere conantur.* Qui verò eſſent alii, qui ſine intellectu erant, inſinuat Chryſoſt. dùm de peccato hunc loquitur in modum: *Nihil peccato peius: ipſum enim vt introierit, non ſolū confundit, ſed etiam inſipientes facit eos, qui anteà intellectu, & ſapientia præditi erant.* hom. 17. in Gen. quod quàm verum ſit, ſequentia liquidò probabunt.

*Incertus.*

*Chryſoſt.*

**Peccatum cum ſit inſipientia inſipientes reddit peccatores.**

2 Ad mulierem illam, quæ nequiſſimi ſerpentis ſuggeſtioni aurem facillimè præbuit, ſermonem dirigo, quæſtionemque moueo. An mulier poſt vetiti pomi eſum deam ſe effectam iuxta ſerpentis promiſſionē: *Eritis ſicut dij.* Gen. cap. 3. exiſtimaret: ſi ſe non in aliud verſam, ſed in eodem ſtatu permanſiſſe, (vt rei probauerat euentus) intelligebat, cur viro vt comederet, ſuaſit? *Tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit:* Gen. cap. 3. quod, bone Deus, in viro experimentum quærebat, ſi ſe minimè deam effectam videbat? an quia culpa, quæ inſania vocari ſolet, ipſam inſanire fecerat? ita prorſùs; nam niſi à mente deſtituta fuiſſet, ſerpentis promiſſiones, quas in ſe falſas iam experta fuerat, iterum in viro experiri minimè tentaſſet. Do tibi Carthuſianum: *Ipſa quoque volens virum, quem valdè amauit, habere facti ſui ſocium, & conſortem, & quia ipſa iam delectata fuit in eſu fructus prohibiti, atque ex hoc putauit ſe adepturam, quæ ſerpens promiſit; voluit virum ſuum hæc eadem obtinere.* art. 24. ſuper idem. Sanè quid agat mulier, & vndè mota intelligis; nam niſi deſipuiſſet ſimilia minimè egiſſet.

*Gen. cap. 3.*

*Carthuſ.*

**Si ſua per pomi eſum minimè in Deam ſe cōuerſam videbat, cur viro, vt comederet, ſuaſit?**

3 Præterea poſtquam Adam etiam ne vxorem angeret, diuinum tranſgreſſus eſt præceptum; quid vterque egerit, expendamus: *Cū audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo ad aurā poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei:* Gen. cap. 3. numquid latebras quærentes ex illius oculo ſe ſubducere, qui cordium intuetur arcana, & illius manum à qua tàm qui in cęlum aſcēdit, quàm, qui in infernum deſcendit, tenetur, effugere poſſe putabāt? ita ſanè: nec mirum eos in tales, tantaſque dementias incidiſſe, quia vt diuinū transgreſſi ſunt præceptum, veluti multa ebrietate tenti huc illucque ſine conſilio currebant. Audi Chriſoſt. *Animaduerte obſecro, quàm inſipienter agit nunc, qui antea tanta pollebat ſapientia, qui re ipſa traditam ſibi ſapientiam nobis declarabat, qui talia prophetabat: audita voce Dei ambulantis in horto ad meridiem occultauit ſe, tàm ipſe, quàm vxor ipſius à facie Domini Dei in medio ligni Paradiſi. Quantæ hoc eſt inſipientiæ, quod à Deo, qui vbique præſens eſt, qui ex nihilo res vt eſſent produxit, qui abſcondita ſcit, qui finxit ſigillatim corda hominum, & nouit omnia opera eorum, qui ſcrutatur corda, & renes, qui etiā ipſos cordis motus cognoſcit, abſcondere ſe tentant?* Nec vbi delitēſcere ſtuduerint, prætermittēdum exiſtimo. *Abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradiſi;* nam non latebras quærendo, ſed in medio ſtantes ſe iam delituiſſe exiſtimabant: vndè præfatus Chryſoſt. loc. cit. *Conſidera autem, & vbi occultantur: in medio paradiſi.* ſic pòſt peccatum inſipientiæ ſimilia agebant, qui tanta priùs præditi fuerant ſapientia.

*Gen. cap. 3.*

*Chryſoſt.*

Peccator inſipiens.

*Idem.*

4 A dictis de Adam, & Eua parùm diſtāt, quę de Iona obſeruauit Chryſoſt. qui prophetā iſtū nauim conſcendētem, & à facie Domini fugiētem conſiderans. *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis à facie Domini, & deſcendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharſis: & deſcendit in eam vt iret cum eis in Tharſis a facie Domini.* c. 1. ipſum hunc in modum alloquitur. *Quò nam fugis, propheta? Non audiſti quod Dauid ait. Quò vadam à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? In terram? Sed Domini eſt terra, & plenitudo eius: Si ad infernum? ades: Si in cœlum? tu illic es: Si in mare? & illic, inquit, tenebit me dextera tua:* & tandem concludit: *Sed tale eſt peccatum, quòd ad ignorantiam mul-*

*Ionæ c. 1.*

*Chryſoſt.*

Sine conſilio operatur.

*tam redigit animam.* Hæc ipſe: hom.1.de peniten. quibus ipſos,ſapientes, quàm inſipientes efficiat peccatum, declarat.

5 In Sinai monte pluſquàm familiariter cum Deo verſabatur Moyſes,ac ab illo ad feliciorem populi gubetnationẽ,legis tabulas diuino digito ſcriptas acceperat, quãdò ingratiſſimus populus,tàm veri Dei,quàm beneficiorum ab illo acceptorũ immemor factus omninò,alios Deos ſibi fieri popoſcit;dicẽte ſcriptura. *Videns autem populus quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes,cõgregatus aduerſus Aaron,dixit: ſurge, fac nobis Deos,qui nos præcedãt,* Exod.cap. 32. qua petitione quid ſtultius excogitari poterit vnquam? nàm vltra Deorũ pluralitatem, quam etiam nonnulli fidei lumine carẽtes impoſſibilem agnouerunt,Deos poſcebant,& ipſos fieri iubebãt: *Fac nobis Deos.* Quis vnquam Deũ factum cenſebit? imò quis opus nondùm hominis manibus effectum,ſed ab ipſis efformandum Deum vocabit? ſi Deus, non factus, ſi factus, non Deus, Chryſoſtomi verba ſũt hæc,qui hom. 5. de penit.dicit: *Si dij, quare dicitis fac? quomodò dij fiunt?* Sed nil mirum;nam ſi ſemper inſanire facit peccatum, duræ ceruicis populus quid diceret, ignorabat. *Qui peccatis tenentur*: ait præfatus Chryſoſt. hom. 40.in primam Corinth. *Ebrij ſunt atq; deſipiũt.* Ecce tibi cur hebraicus populus in tãtas dementias deuenerit, quia nõ diuino cultui, ſed ventri et voluptatibus inſeruire ſtudebat.

Exod. 32.

Chryſoſt.

Peccatores ab ebriis parum diſtant.

6 Neque hic conſtitit eorum vecordia, ſed de inautibus aureis vxorũ, ac filiarum ſuarum efformato vitulo. *Fecit ex eis vitulum conflatilem*, ibidem: inſipiens populus dicere cæpit: *Hi ſunt dij tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Ex quibus verbis duæ mihi ſe obuiam faciunt difficultates: ſi vitulus vnus erat,cur in plurali non in ſingulari loquuntur,cur non dicunt: hic eſt Deus tuus Iſrael,quòd dicere malunt: *Hi ſunt dij tui Iſrael?* Et poſtea ſi tunc vitulum efformatum eſſe videbant,quomodò ſe ab illo liberatos aſſerebãt? numquid vitulus antequã fieret, ipſos ex Ægypto, & ex duriſſima Pharaonis ſeruitute eripere poterat? certè minimè: nam ſemper operari præſupponit eſſe: quonam pacto igitur ſe ab illo liberatos fuiſſe aſſerebant: *Hi ſunt dij tui Iſrael,qui eduxerunt te de terra Ægypti?* Sed proh dolor! ſic eos inſanire fecerant vitia, quod in verbis, & operibus nil prorſùs ipſos ab amẽtibus differre faciebãt, quapropter in multos errores, ac loquendi improprietates incidebant: cui meo cogitato aſtipulatur Lyranus ſup. præfat. ſcrip. locum. *Hi ſunt dij tui, ex quo patet magna inſania populi, qui mirabilia, & inaudita à Deo facta in exitu eorum de Ægypto attribuebãt idolo:et licèt eſſet vnũ idolum,tamen dixerunt: Hi ſunt dij tui.*

Exod. ibid.

Lyranus.

In multas loquendi improprietates incidere ſolent.

7 Sacrilegum Herodem tibi nunc in mentem reduco, qui,vt te minimè latere exiſtimo,noui Regis natalem audiens, expauit: *Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cũ illo.* Matth.c. 2.& ab accitis ſcribarũ, ac phariſæorum doctiſſimis, vbi nouus hic rex, expectatuſque Meſſias ſecundũ ſcripturas naſci debebat,popoſcit: *Et congregans omnes Principes Sacerdotũ, & ſcribas populi,ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur*: & tandem audito quòd iuxtà Prophetarum prædictionem ad ſui natiuitatem Bethlehem multò antè elegerat. *At illi dixerunt ei: in Bethlehem Iudæ: Sic enim ſcriptum eſt per prophetam: & tù Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux,qui regat populum meum Iſrael*: eò Magos ad nouum regem inquirendum, ac adorandum deſtinauit, *Mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligentèr de puero: & cùm inueneritis,renuntiate mihi, vt & ego veniẽs adorem eum.* Hucuſque prophetarum oraculis ſe fidem præſtare demonſtrabat; ſed quid indè? Audi quæſo: *Mittẽs occidit omnes pueros,qui erant in Bethlehẽ, & in omnibus finibus eius,à bimatu, & infrà ſecundùm tempus, quod exquiſierat à magis.* O ſtultitiam, ò vecordiã! ſi ſcripturis ueſane Rex credis, omnipotentis Dei voluntatem te præpedire non poſſe pro certo habere debes: ſi non credis, cur ad ſcripturas recurris,torquẽs innocentium ſangninẽ fundis? *At Herodes non credebat verbis magorum*: ait Chryſoſt.hom.9.in cap.2.Matth. *& ſic ſine cauſa ſæuiebat in pueros;aut credebat, & ſi credebat quomodò putabat ſe poſſe mutare conſilium Dei?* Et concludit, *Sed zelus ſapere neſcit, & ira non habet conſilium.* Mi-

Matt.c. 2.

Chryſoſt.

Ira rationis vſum impedit.

rum igitur non eſt, ſi ſtultitiæ ſimilia agebat Herodes, quia ipſum ſcelera cõſilio, & ratione ſpoliabant.

8 Simile prorſùs, notatuque digniſſimum eſt, quod de Ioſephi fratribus perpendit Diuus Zeno ſer. de liuore, & inuidia: dùm verba premens illa. *Melius eſt vt venundetur Iſmaelitis, & manus noſtræ non polluantur.* Gen. cap. 37. dicit. Aut pueri ſomnia oracula, certitudineſque diuinas exiſtimatis, aut non, ſi primum, fruſtra futuro Ioſephi imperio obſiſtere nitimini, cùm diuinæ voluntati non ſit, qui reſiſtere poſſit: ſi ſecundũ, quam ob cauſam illum in ſeruitutem redigitis, ſi eius imperium non formidatis: *Pertimeſcentes enim exitum ſomniorum:* ait præfatus Zeno: *fratrem ſubijciunt ſeruituti: quo ſcilicèt ſeruus effectus non poſſit à liberis adorari. Sed ſi vera ſunt ſomnia, quid proderit argumenti genus? Si impleri neceſſe eſt, quod prædictũ eſt, ſuperflua eſt obſiſtentis intentio. Si verò fallitur adoleſcens in ſomnijs, fruſtra inuidetis erranti, non inuidia, ſed miſeratione dignus eſt, qui illuditur.* Hęc ipſe. Sed audi Chryſoſt. hom. de patientia quid de ſimilibus dicat. *Quemadmodum enim, qui ebrietate tenentur; ſtultè feruntur, & quamuis præcipitium ſubſit, infra concidunt incautè; ſic qui corruunt in peccatum, veluti praua ebrietate actionis deſiderio detenti neſciunt quid faciunt:* & ità zelus qui (vt paulò ſuperiùs dictum eſt) Hærodem fatuari faciebat; hos quoque abſque conſilio & prudentia reddebat.

*Gen. c. 37.*

*Zeno.*

Peccatores in operibus ſuis, quid faciant, ignorant.

*Chryſoſt.*

9 In Iudæ proditione nunc aliquãtulum immorari non erit ab re; nam ipſum prorſus rationis expertem reperiemus, dùm magiſtrum, quem cordium ſcrutatorem iam nouerat, oſculi ſigno prodere ſtatuit: *Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè.* Marci cap. 14. ſtultum ſanè conſilium, nam ſi cogitata ſolũmodò proditio magiſtrum latere non potuit, vndè ipſum prædixiſſe refert Ioannes cap. 13. *Amen amen dico vobis: Quia vnus ex vobis tradet me.* Quonam pacto nunc eam abſcondere poterat. *Vide ſtuporem illius, quomodo putaret, poſſe Dominum latere, quòd pro amico habendus eſſet propter oſculum; nam ſi amicus erat, quare cum inimicis veniebat?* Ait Theoph. qui difficultatem illicò ſoluit: *reuera malitia ſemper ſtulta eſt.*

*Mar. c. 14.*

*Ioan. c. 13.*
*Theoph.*

Iudas proditionem ſuã, quam iam prædixerat Saluator, pacis ſigno tegere poſſe exiſtimabat.

10 Mirabar quo ire potuiſſet prodigus, quando à patre diſcedens in regionem lõginquam peregrè profectus eſt, de eo dicente Luca: *Non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam.* cap. 15. ſi per adoleſcentis patrem iuxtà communem expoſitorum opinionem ille ſignificabatur, qui proprio ore minimè dedignatus eſt dicere, *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim pater veſter, qui in Cœlis eſt.* Matth. 23. quonam pacto ab iſto, qui vbique eſt, elongare ſe poterat, quòd dicitur: *Abijt in regionem longinquam?* An fortè, ſic à patre diſceſſiſſe dicitur, quia peccati commiſſio, & gratię amiſſio à Deo elongatio vocari ſolet iuxta illud: *Qui elongant ſe à te, peribunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.* Pſal. 72. ita aſſerunt multi. Verùm ex difficultate me extraxit Ambroſius, qui non tàm à patre, quàm à ſe prodigum diſceſſiſſe exiſtimat, cùm dicitur: *Profectus eſt in regionem longinquam:* quia non ſine mẽtis deſtitutione incommutabile bonum pro vili, ac tranſitorio mutatur. Præfatus Amb. *Quid enim longinquius, quàm à ſe recedere, nec regionibus, ſed moribus ſeparari, ſtudijs diſcretum eſſe non terris, & quaſi interfuſo luxuriæ ſæcularis æſtu, diuortia habere ſanctorum? etenim qui ſe à Chriſto ſeparat, exul eſt patriæ, ciuis eſt mundi.* Hæc ipſe. quorum illa præſertim adnoto: *Quid enim longinquius quàm à ſe recedere?* quia per ipſa non tam à patre, qui vbique eſt, quàm à ſe prodigum diſceſſiſſe, oſtenditur.

*Luc. c. 15.*

*Matth. 23.*

*Pſal. 72.*

*Ambr.*

Peccator niſi demens incommutabile bonum pro vili, ac momẽtaneo nõ mutaret.

11 Aſtipulantur huic meo cogitato, quòd plus à ſe, quàm à patre diſceſſerat prodigus, quæ paulò poſt de eodẽ inhoneſto adoleſcente idem ſubdidit Euangeliſta, nempè quòd cùm in regione longinqua, cõſumptis omnibus, ſic fame angeretur, vt nec ſemel porcorum eſcis ſaturari valeret, paternæ domus pinguedinis, cuius antea immemor fuerat omninò, reminiſcens, patrem iterum adire decreuit, quod his verbis explicat Euangeliſta. *In ſe autem reuerſus, dixit: quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! ſurgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in Cœlũ, et coram te, etc.* nam niſi pius à ſe quàm à

*Lucæ ibid.*

pa-

patre receſſiſſet, in ſe minimè reuerſus

*Chryſol.*

deſcriberetur, quę Chryſologi fuit ſubtilitas, qui ſer. 2. de filio prodigo hunc fatur in modum. *In ſe antè redit, vt rediret ad patrem, qui à ſe antè receſſerat, cum receſſit à patre. A ſe migrat, & ab homine totus tranſit in beſtiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.* Hucuſquè Chryſologus, ſed fuſiùs Theoph. *Intemperatus tandem ad ſeipſum rediit. Quandiù malè agebat, extrà ſeipſum erat. Conſumpſerat enim (vt dicit) ſubſtantiam, & meritò propter hoc extrà ſeipſum erat. Nam qui non gubernatur ratione, ſed præter rationem viuit, & abſurda alia exorditur; extrà ſeipſum eſt, & non manet in ſua ſubſtantia, hoc eſt ratione. Quando autem quis cogitat in quantam venerit miſeriam, tunc redit ad ſeipſum, conſiderans, & in pœnitentiam veniens à ſua exteriori diuagatione.* Ecce tibi cur in ſe reuerſus deſcribitur, quia à ſe receſſerat, cum vitijs frena laxauerat; nam niſi à ſe receſſiſſet, nequaquàm incommutabile bonum pro vili, ac momentaneo mutaſſet.

Homo à ſe migrat, & totus tranſit in beſtiam, cum peccatum committit.

*Theoph.*

12 Ex dictis de prodigo lucem facio difficultati illi, quænam eſſet domus illa in quam paralyticum priſtinæ reſtitutum ſanitati ire iuſſit Saluator, vt habetur ex Matth. cap. 9. *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*, quia & ſi multi per domum hanc Cęlum intelligi velint, quod proprio ore domum vocauit Chriſtus, dùm ait: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Ioan. 14. tamen Aymo ad rem noſtram per domum hāc mentem intelligit, vt ſic ſenſus, vade in domum tuam, hoc eſt, in mētem tuam. Verba autem ipſius ſunt hæc. *Quia obtinuiſti remiſſionem peccatorum, vade in domum tuam, ideſt, redi ad internam cuſtodiā mētis tuæ, vide ne vlterius pecces.* Ergo niſi paralyticus iſte, qui peccatoris gerebat figuram, peccando à mente diſceſſiſſet, vt ad mentem rediret, minimè iniunctum fuiſſet, quod etiam confirmauit Ericius. *Domum quippè redire, eſt, vnumquemque errantem ad cuſtodiam ſui reuerti, & ſemetipſum in mandatis ſui creatoris conſtringere, vt totus homo interior videlicet & exterior Deo poſſit placere.* Hæc ipſe: ex quibus, quàm a ſe, vt prodigus, recedat peccator, & quàm ad ſe reuertatur, dùm lacrymis ſordium abluit maculas, declaratur.

*Matth. c. 9.*

*Ioan. c. 14.*

*Aymo.*

Peccatorem in domum ſuam redire quomodo intelligendum.

*Ericius.*

13 Nec penitùs abſque vlla diſcuſſione prętermittendum exiſtimo, quæ fuerit illa ſubſtantia, quam adoleſcens prefatus prodegit, dicente Euangeliſta: *Et non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè.* Lucæ ibidem. quia ſi per ſubſtantiam hęreditariæ intelligebātur opes, aptius fuiſſet dicere, hęreditatem conſumpſit paternam; & licèt huic difficultati reſponderi optimè noſcam, per ſubſtantiā in ſacris paginis diuitias multotiès nūcupari: nihilominùs philoſophicè loquendo, ſubſtātia compoſiti, ſeù, vt aptiùs loquar, de ſubſtantia compoſiti ſunt partes eſſentiales conſtitutiuæ ipſius, quarum aliqua ſi corrūpatur, partem ſubſtantialem compoſiti deperdi dici debet; quod ſi verum eſt, quia adoleſcens iſte, qui, metaphyſicè loquendo, ex animalitate conſtabat, & rationalitate, rationalitatem ſaltem in actu ſecundo perdiderat; dùm ratione conſtās ſine ratione viuebat, proptetea ſubſtantiam conſumpſiſſe dicitur. Fallor, niſi hòc aliqualitèr tetigit Titus Boſtren. ſequentibus verbis, *Conſumpſit ſubſtātiam, hoc eſt, inſitam animi lucem, temperantiam, veritatis notitiam, & Dei memoriam.*

*Lucæ ibid.*

*Titus Boſtr.*

Subſtantiam ſuam perdit peccator dū peccat, quia ratione prædictus ſine ratione viuit.

14 Quam rem, nempè, quòd ſubſtātiam, hoc eſt, inſitam animi lucem amiſerat prodigus, ac clariùs vt loquar, quòd ratione præditus abſque ratione viueret, ſi noſcere cupis, qua fame inter porcorum ſatietatem angeretur, expende ſi libet. *Miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.* Luc. ibidem: quæ Euangeliſtæ verba quoties percutto, toties dicere cogor: ſi porcos paſcis, cur te ipſum paſcere neſcis? Quis te porcorum paſturæ expertem reddidit? Quis denique, nè in longum ſermonem protraham, ſiliquas, quas abſque impedimento porci comedunt, nè comedas, vetat? proh ſtultitia! ait Chryſologus ſer. 1. de duobus filiis, adeò ob ſcelera adoleſcens inſaniebat iſte, quòd nec porcorum cibis famem expellere nouit, immò, quod illis pro libito conce-

*Ibidem.*

de-

debatur, ſibi negari putabat, dùm non
ſiliquas ſumere, ſed qui illas ei præbe-
*Chryſol.* ret, expectabat. *Quam crudele miniſteriũ*,
ait præfatus Chryſologus, *quia neque cõ-*
**Prodigi ſtultitia in eo maximè clarebat, quòd inter porcorum pinguedinem ſolus ipſe macrebat.** *uiuit porcis, qui viuit porcis. Miſer qui por-*
*corum deficit, & eſurit in ſagina.* Magna
equidèm cęcitas, magna dementia! At
nil mirum, nam ſi poſt peccatum inſi-
pientem ſe Dauid vocare non erubuit.
*Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices*
*meæ à facie inſipientiæ meæ.* Pſal. 37. quæ
verba explicans Chryſoſtomus homil.
*Chryſoſt.* 44. in cap. 16. in 1. Corinth. *Quid enim*
*erat Dauide ſapientius, qui dicebat, incerta,*
*& occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi?*
*Sed quando iniuſtis oculis vidit vxorem mi-*
*litis, tunc dicebat, omnis ſapientia mea eſt*
*abſorpta, & opus habebat alijs, qui corrige-*
*rent, & nec ſentiebat quidem in qualibus, et*
**peccatum error, & inſipientia.** *quantis intus verſaretur malis. Quamobrem*
*ſua deflens peccata, dicebat, ſicut onus gra-*
*ue grauatæ ſunt ſuper me. Putruerunt, &*
*corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſi-*
*pientiæ meæ. Non ſapit ergo, nec mentem*
*habet, qui peccat, eſt enim ebrius, & eius ca-*
*ligant oculi.* Multò rationabiliùs inſipiẽs
adoleſcens vocandus eſt iſte, qui cum
meretricibus luxurioſè viuendo, ſubſtã-
tiam ſuam conſumpſit.

15 Supra modũ poſtea, quàm ſtul-
ta ſit malitia, quàmque inſani ſint pec-
catores, ſuperbiſſimus ille Nabuchodo-
noſor declarauit, qui vltra quàm credi
poteſt elatus quandoque, ſtatuam au-
ream ſe figurantem ab omnibus ſibi ſu-
biectis adorari pręcepit, quod quia tres
Sancti adoleſcentes Sidrah, Miſach, &
Abdenago facere contempſerunt, in
furorem verſus ſuperbiſſimus Rex, ſic
ipſos fuiſſe alloquutus in ſacra narratur
*Daniel. 3.* pagina. *Verène Sidrach, Miſach, & Abde-*
*nago, Deos meos nõ colitis, et ſtatuam aureã,*
*quam conſtitui, non adoratis? nunc ergo ſi*
*eſtis parati, quacunque hora audieritis ſo-*
*nitum tubæ, fiſtulæ, citharæ, ſambucæ, &*
*pſalterij, & ſymphoniæ, omniſque generis*
*muſicorum, proſternite vos, & adorate ſta-*
*tuam quam feci: quòd ſi non adoraueritis,*
*eadem hora mittemini in fornacem ignis ar-*
*dentis: & quis eſt Deus, qui eripiat vos de*
*manu mea?* Danielis cap. 3. quæ verba,
qui benè perpendit, & præſertim illa:
*Quis eſt Deus, qui eripiat vos de manu mea?*
Regem hunc omninò mente deſtitutũ
vocabit, nam ſi Danielis Deum paulò
antè Deum deorum vocauerat, & ei
nullũ reſiſtere poſſe prædicauerat; quo-
modo nunc eum ſe imbecilliorẽ appel-
lat, dum è ſuis manibus Danielem cum
ſocijs liberare nõ poſſe exiſtimat? Hie-
ronymus ibidem: *Mira obliuio, ille poteſt* *Hieron.*
*eripere, cuius ſeruum paulò antè adoraſti,*
*quem Deum deorum, et dominum regum eſſe*
*prædicaſti*: verùm horũ omnium imme-
mor erat omninò, quia ſuperbia, quę, *Albinus.*
vt Albinus ait, ſtultos reddit. *Solet ſu-*
*perbiam ſtultitia ſequi*: ipſum ſtultum ef- **Superbis nullus ſtolidior,**
fecerat.

16 Nec in vita tantùm, ſed pòſt
mortem etiam, quin in ipſis gehennæ
cruciatibus, quando pœna oculos, quos
culpa clauſerat, aperire ſolet, tunc
quoque ſtultos ſe oſtendunt multo-
tiès peccatores: quod videre eſt in
Epulone, qui ex inferni profundo ocu-
los eleuans, Lazarumque in ſinu Abra-
hę videns, de fratrum ſalute ſolicitus, ad
pręfatum Abraham dicere cępit. *Rogo* *Lucæ c. 16.*
*te pater Abraham, vt mittas eum in domũ*
*patris mei.* Luc. 16. quæ verba conſiderãs
Chryſologus. ſer. 123. ſtupet, quòd ſimul
& ſemel Abraham patrem vocet, & al-
terius patris mentionem faciat; nam ſi
paternitas (vt Philoſophus ait) ſuper
genuiſſe fundatur, ſicuti filiatio ſuper
genitum eſſe, dùm filius bis generari
nequit, duos patres habere nullatenùs
poteſt: quonam pacto igitur infelix iſte
& Abraham patrem vocat, dùm dicit:
*Pater Abraham*, & alterius patris recor-
datur, dùm ſubdit, *Vt mittas in domum*
*patris mei.* At ò veſaniam! ſic eum deſi-
pere fecerant vitia, quòd nedùm in vi-
ta, ſed in inferno etiam, vt excors om-
ninò, quid diceret, ignorabat. Vndè
Chryſologus loc. cit. *Hic miſer in pœna* *Chryſol.*
*mentitur. Pater Abraham, mitte eum in*
*domum patris mei. Si verè hunc patrem vo-* **Nec in pœnis ſapiebat Epulo.**
*cat, cur domum patris alterius nunc requi-*
*rit?* claret itaquè, quàm verum ſit, etiam
pòſt mortem inſanire multotiès pecca-
tores; immò talitèr deſipere, quòd nec
pœna ipſa eos reſipiſcere faciat.

17 Confirmant etiam hanc Epulo-
nis ſtultitiam verba, quæ ipſemet ſub-
didit, dùm ait: *Habeo enim quinque fra-* *Ibidem.*
*tres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in*
*hunc locum tormentorum*: quia ſi vox Do-
mini cedros cõfringere, ceruos præpa-
rare, & deſertum concutere ſolet: Si

vox

voxDomini,quaſi fortis malleus peccatorum duriſſimos lapides conterere
Hierem.23. conſueuit;dicente Hieremia:*Verba mea ſunt, quaſi ignis ardens, dicit Dominus: & quaſi malleus conterens petras*.cap.23.quẽ Prophetę locum explicans Bernardi-
Bernardin. Senenſ. nus Senẽſis tom.2. Dom.1.Quad. ſer.9. ar.3. c.1.ait: T*anta enim eſt violentia, & virtus verbi Dei,ut non ſit cor petrinum:&*
Diuinæ vocationis vis. *durum, quod ſentiens vires illius, non confringatur & emolleſcat:* cur relicta dominicæ vocis virtute, tantùm Lazarũ fratrum corda emollire, atque confringere poſſe putabat, dùm dicente Abraha-
Idem. mo: *Moyſen habent, & prophetas: audiãt illos*: reſpõdit,ac dixit:*Non,Pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent?* Numquid mortui hominis verbum maioris vis, ac virtutis, erat, quàm verbum illud, quo cęli firmati ſunt, immò quo omnia facta ſunt, & ſine quo factũ eſt nihil? nequaquàm prorſùs. Vndè igitur, bone Deus,nulla habita verbi Dei ratione, ad verbum hominis confugit Epulo? B.Bonauentu-
ra ſuper cit. Luc. locum. *Erat autem hæc petitio, non ſolùm carnalis reſpectu ſui; verùm etiam fatua, quia credebat plùs valere verbum hominis mortui, quàm immortalis Dei*. Ecce quomodò nec in ipſis pęnis ſapiebat ille, qui in delicijs inſaniebat. Bonauent.
Epulo qui in delicijs inſaniebat, in ſupplicijs quid diceret, ignorabat.

DO:

Digitized by Google

# FERIA QVINTA
## POST
# DOMINICAM TERTIAM
## QVADRAGESIMAE.

**Surgens Ieſus de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. Luc. 4.**

### §. I.

*Neceſſitatibus vt conſulas proximorum, quàm ſolicita, ac præpropera Charitas.*

1 CHaritatis ſolicitudinem mirarer equidèm, cur in proximorũ neceſſitatibus ſubleuãdis tam ſit ſedula atq; ſolicita, profanum ſi ignorarem amorem alatum ab Antiquis deſcribi. Ità Plato in Phędr. Amorem dici à multis volatilem, & Cęlius libr. 23. tradidit alatum quidèm deſcribi propter volãdi neceſſitatem, cęteroſq; vt omittam, Propertius de eo ſic canit:

*Plato. Cęlius:*

*Propert.*

*Idem non fruſtrà ventoſas addidit alas,*
*Fecit & humano corde volare Deum.*

Si ergo ſecundùm hos talis eſt profani amoris vis atq; virtus, vt ad eius ſedulitatem, agilitatemq́; oſtendendam ſine alis deſcribi minimè potuerit: Quid de Diuino ſatebor amore? De charitate quid dicam, cùm hæc de profano ſcribantur amore? Meritò ei alas, & Aquilæ magnæ, ſacri tribuunt Scriptores, ſic in eius figura dicit Ioãnes Apocalypſ. cap. 12. *Datæ ſunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ.* Non quæcunque charitati, ac ſi diceret, vt profano amori, tribuantur alæ; ſed cùm ipſa morte ſit fortior, alæ ei & Aquilæ magnæ concedi debent, vt eius ſolicitudo, & diligentia, tàm ergà Deum, quàm proximum oſtendatur. Sic Philo Carpathiorum Epiſcopus in Catena. *Duæ .n. ſunt nobis maximè neceſſariæ huius charitatis partes, quas alas ignis idem ſponſus ignitus appellat: pars vna eſt erga Deum, altera verò in proximum, hæ ſunt alæ dilectionis ſponſæ in ſponſum, & genus humanum:* hoc amore Diſcipuli æſtuabant iſti, qui pro Simonis Socru alas (vt ità dicam) aſſumentes, vt cęleſtem medicũ ægrotantis domum adiiſſe viderunt, nulla prorsùs interpoſita mora, pro lãguentis vetulæ ſupplicauere curatione: nàm ſolicitudinem, quam per cõiunctionem illam, &, inſinuat Lucas, dùm dicit: *Introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerũt illum pro ea.* cap. 4. eam expreſſiùs declarat Marcus verbis illis: *Decumbebat autem Socrus Simonis febricitans: & ſtatim dicunt ei de illa.* cap. 1. Vndè Toletus annot. 69. *Marcus addidit ſtatim (ſtatim dicunt de ea) ideſt, certiorem faciunt Dominum de infirmitate Socrus, & pro ea rogauerunt.* hæc ipſe. Diligentiam tu nunc vide, & ſolicitudinem charitatis obſerua, an meritò alata cenſeri debeat, & cur de ea dixerit Ioannes. *Datæ ſunt ei duæ alæ Aquilæ magnæ?*

**Profanus Amor cur alatus deſcribitur?**

*Apoc. c. 12.*

*Philo Carpat.*

Charitas erga Deum. & proximum. quàm ſolicita.

*Luc. c. 4. Marc. c. 1.*

*Toletus:*

2 Hanc charitatis ſolicitudinem, & quàm ſedulò proximorum ſit conſulen-



Digitized by Google

ſulendum neceſſitati, oſtendit mulier illa ſoror Mariæ, quæ Saluatorem propriam excipiens in domum: cùm pro ipſo fatigaretur non parùm, de ſorore ſic fuiſſe conqueſta narratur Lucæ cap. 10. *Domine, non eſt tibi curæ quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, vt me adiuuet*: quàm Marthæ petitionem, ſeù, vt meliùs dicam, lamentationẽ miratur non parùm D. Vincentius Ferrer. ſerm. 1. de Aſſumpt. Cur Martha, quæ ſic ſolicita in miniſtrando erat, vt nedùm laborare, ſed ſatagere circà frequens miniſterium perhibeatur, alienum poſtulabat auxilium? cur de ſororis, vt putabat, otio conquerebatur illa, quæ nimiæ admonetur ſolicitudinis, cũ dicitur: *Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima*: ſuamne putabat ſedulitatem minimè ſufficere? Ità quidèm. Talis eſt charitatis ardor, vt quantuncunq; prò proximo laboret, quantuncunque deſudet, ſemper minus facere putãs, alienum quærat auxilium, & poſcat laborẽ, D. Vincentius loco ſupra citato. *Beata*, inquit, *Martha erat multum ſolicita de cõſortio Chriſti, videbatur enim ſibi, quòd omnes de domo ſua non eſſent ſufficientes; ergo ſolicitabat ancillas, famulos, & famulas*. O mira charitatis vis, & ſolicitudo, quæ nõ tantùm corpore laborare ſinit, ſed mente etiam: vndè Martha ſororẽ vocat, ſeruos, ſeruaſque ſolicitat, & minus certè dũ ſemper agere putat, alienum quærit auxilium & laborem!

*Luc. c. 10.*

*Ibidem.*

*D. Vincent. Ferrer.* Charitas nullos otioſos eſſe patitur,

3 Solicitam certè adeò video charitatem, vt idem ſimul & ſemel pluribus quodammodò in locis, quod naturaliter fieri nequit, conſiſtere faciat; immò (ſi fas eſt dicere) ipſa hominem vnum, millenum reddere ſoleat, quod philoſophia non nouit. Mea non eſt hæc aſſertio, ſed Chryſoſtomi hom. 51. de beneficentia, & charitate. *Vide charitatis*, inquit, *excellentiam, qualiter vnũ multiplicat, qualiter vnus multis in locis eſſe poteſt, idem, & in Perſide & Roma, & quod natura non poteſt, poteſt charitas, quæ cùm res ſit augmentatiua, hoc eſt mirabile, quòd vnum facit millenum*: hęc Chryſoſtomus. Nouerunt quidem nonnulli vnum & idem corpus, etiam modo naturali, per diuinam abſolutamque Dei potentiam pluribus ſimul in locis poſſe conſiſtere, vt tenet Scotus in 4. diſt. 10. q. 4. licèt hoc à Diuo Thoma negetur. 3. par. q. 35. art. 1. & quodlibet. 3. art. 3. & in 4. diſt. 10. q. 1. art. 1. à multiſque alijs, quos breuitatis cauſa omitto: nullus tamen noſcere potuit vnum & idem, millenum reddi: nouit hoc charitas, quæ pluribus nedùm in locis quodammodò conſiſtere facit; verùm etiam, vt citiùs proximorum conſulat neceſſitatibus, hominem vnũ, millenum quodammodò efficere ſolet.

*Chryſoſt.* Charitas vnum facit millenum.

4 Ad cuius nouæ philoſophiæ probationem non parùm facit, quod de Abraham ſacra narrat hiſtoria; quòd hic cæteras inter virtutes charitate feruens, pauperes, peregrinoſque tranſeuntes recipiebat, quo hoſpitalitatis fungens officio, tres etiã Angelos iuſtiſſimi Iudicis miniſtros, Sodomæ euerſores recepit: ſed quid in talium ſupernorum ciuium receptione egiſſet, narrat Scriptura Geneſ. 18. *Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitq; ei: Accelera, tria ſata ſimilę commiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit indè vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero: qui feſtinauit, & coxit illũ*: quia in re magnã Patriarchæ video celeritatẽ, feſtinauit ipſe in tabernaculum, vxorẽ panes accelerare non ſolùm iuſſit, ſed & ſeruos, ſeruaſque omnes excitabat: Sed cur tantùm feſtinaret? domeſticos cur tantùm vexaret, cùm hoſpites de celeritate nihil prorsùs loquerentur? cauſam eam eſſe puto, quia charitatis ſtimulis, vt Paulus de ſe aiebat: *Charitas Chriſti urget nos*. 2. Cor. cap. 3. ſic vrgebatur, vt etiam domeſticos ipſe vrgeret: non alitèr certè dicit Chryſoſtomus: quid enim otioſum, quid pigrum, quid tardum in charitatis domo eſſe poterat? alas iuſto, alas vxori, pueriſq; cunctis tribuebat charitas. Ipſum audi Chryſoſtomum homil. 41. in cap. Gen. 18. *Feſtinat, anhelat, & accurrit ſenio confectus in tabernaculum ad Saram: accelera, & miſce tres menſuras ſimilæ: etenim & illam incitat, ne officio ſuo negligenter fungatur, ſed accelerat: animaduerte quomodò omnia cum velocitate, & cum feruenti charitate faciat*. ſic Chryſoſtomus. Ex quibus charitatis velocitas,

*Gen. 18.* Nil vt Charitas pigritiæ contrarium,

*2. Ad Chor. c. 3.*

*Chryſoſt.* Charitas ad opus vrget.

quàm

quàm operoſa, quàm ſolicita, & quàm ſit præpropera, facilè dignoſci poteſt, nihil permittens pigrum, nihil tardum.

5 Quod etſi ad charitatis velocitatem pertineat, ad præſens tamen inſtitutū, quod magis facere videtur, eſt, Abraham ad armentum cucurriſſe, Angeliſq; comedẽtibus adſtitiſſe; cùm tamen nihil de ipſius regreſſu ad tabernaculum narret Scriptura:

*Geneſ. ibid.*

*Ipſe ad armentum cucurrit, & tulit indè vitulum tenerrimum, & optimum, deditq; puero, qui feſtinauit, & coxit illum, tulit quoq; butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & poſuit coràm eis, ipſe verò ſtabat coràm eis:* Sic Geneſ. loco cit. Vbi Chryſoſtomus loco proximè allato dicit: Nonne hic, qui Angelis adſtat, eſt ille, qui ad armẽtum cucurrit? cur adſtitiſſe deſcribitur, & ab armento rediſſe ſaltem explicitè non narratur? Num vtrobiq; ſimul pſiſtebat iuſtus? Certè minimè: de regreſſu ergo cur nihil loquitur Scriptura, ſed tantū concludit, *Ipſe verò ſtabat iuxtà eos?* Sed ò mira charitatis potentia, quę ſic iuſtū ſolicitum reddebat, ipſum omnia accelerare ſic faciebat, vt multis ſimul in locis quodammodò eſſe videretur, & cum Sara in tabernaculo, & cum paſtoribus in campis, & cum pueris in diuerſorijs, & cum Angelis ſub arbore! Vndè optimè concludit Chryſoſtomus, aſſerens, multiplicatum quodammodò Abrahā, dū: *O magnitudinem,* exclamat, *hoſpitalitatis: o humilitatis excellentiam: O mentem oppidò piam. Adſtabat centenarius, comedentibus illis!* Verba quæſo perpende illa. *Adſtabat centenarius,* & nouam videbis charitatis philoſophiam, quam nullus Philoſophorum agnouit.

*Chryſoſt.*
Charitas vnum hominem plures reddit.

6 Sed ſi hæc de diſcipulis dicere audemus, de charitatis Magiſtra, de Sanctiſſima, inquam, Virgine quid dicemus? Ipſam namq; non ſolùm alatā vocabimus, humanis vt conſulat neceſſitatibus; ſed ad hoc etiam quandoq; impoſſibilia tētaſſe. Omitto illud, quod D. Lucas cap. 1. narrat: quòd vix Diuino concepto Fœtu: *Abijt in montana cū feſtinatione:* quam conſiderans feſtinationem S. Bernardinus Sen. to. 3. ſer. 6. de ſeptem flammis amoris, charitati eam tribuit, quæ alas addens, iuſtos velociſſimos reddit: verba ipſius ſunt hęc: *Beata Maria poſtquam fuit obumbrata virtute Altiſſimi, pòſt annunciationem, plena amore diuino, ſubitò conſurgens, abijt in montana:* quod mirabili concluſit dicto Ambroſius, cùm ait: *Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Sed aliud certè mihi conſiderandum occurrit, & eſt illud idem, quod Diuus narrat Ioannes c. 2. quòd deficiente in nuptijs vino, acceſſit ad Filium, dicens: *Vinum non habent:* ex qua petitione duo mihi conſideranda occurrunt: Quorum primum eſt. *Deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eū.* An totalitèr vinū defecerat, an potiùs imminens deficiendi erat periculum, quādo pro miraculo fuit facta petitio, cùm dicat Euangeliſta: *Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habēt?* Secundū verò, an pro miraculoſa vini prouiſione fuerit Virgo rogata, an irrogata acceſſerit, dicens: *Vinum non habent?* Ad primam difficultatem reſpondet Lyranus, dicens: nequaquā totalitèr defeciſſe vinū, ſed ꝙ iàm iàm deficiendi imminebat periculum: *Quia Mater Ieſu voluit præuenire totalē defectū, ideò dixit illi Ieſus: quid mihi, & tibi eſt mulier? nondùm venit hora mea:* Ità ipſe ſuper idem: Quod ēt inſinuaſſe videtur Chryſoſtomus ab ipſo citatus, his verbis: *Beata Virgo ex pietate mota, voluit præoccupare tempus debitum faciendi miraculum.* Ad ſecundam autem difficultatem reſpondet Bernardin. Sen. irrequiſitam pro miraculo ſupplicaſſe: verba autem ipſius ex tom. 3. ſer. 9. art. 3. cap. 1. deſumpta, ſunt iſta. *Irrequiſita acceſſit ad Dei Filium, dicens: Vinum non habent.* Sed magna ex his duabus ſolutionibus inſurgit difficultas: cur totalē vini defectum non expectauit, vt maiori cognita indigentia, maius videretur miraculum? an neſciebat, in magnis neceſſitatibus diuina coruſcare miracula? Abſit de Spiritus Sancti diſcipula hoc fateri: Cur ergo vini defectum pręuenit, dicendo: *Vinum non habent?* & ſi iàm præuenire decreuerat, egentium cur non expectauit preces, ſed irrogata acceſſit? An fortè ignorabat dona ſpontè oblata vileſcere; magnis autem obtenta precibus æſtimari non parum? Nequaquàm certè: Cur ergo non rogata rogauit: *Vinum non habent?*

*Luc. c. 1.*

*Bernardi. Sen.*
Beata Virgo charitate vrgente feſtinat.

*Ambroſ.*

*Ioan. c. 2.*

*Lyranus.*
Noſtras prǫcurrit egeſtates.

*Chryſoſt.*

*Bernardin. Senenſis.*

At Mariæ charitati alitèr facere non expediebat; nàm ſi charitatis diſcipuli præſentibus proximorum neceſſitatibus conſulere ſtudent, charitatis Magiſtra futurarum præſcia egeſtatum ſuccurrendo præuenit, & præueniendo ſuccurrit, vt vbi alij non perfecta pollentes charitate, pòſt petitionem ſuccurrunt, ſola ipſa verę charitatis Magiſtra & egeſtates pueniat, & petitiones præcurrat; & ità etiam irrequiſita requirat. Bernardinum audi Senenſem ſuper dicta Ioannis verba vtrumq; mirabilitèr aſſerentem: : *Officium aduocationis, & piæ auxiliatricis aſſumpſit, eùm videret inopiam, ac ſi opus nō ſit, eam precibus excitare, quæ omnem oculum pietatis ſuæ in nos direxit, ac præſciens indigentiam noſtram, & ſe cunctorum hominum Matrem pietatis agnoſcens, ſolicita pro filijs, etiam irrequiſita acceſſit ad Dei filium, dicens: Vinum non habent.* Aduerte quæſo verba illa: *Præſciens indigentiā,* & illa, *irrequiſita acceſſit,* ac vid bis, tā indigētiā, quàm indigentium preces præueniſſe: & quidem talem decebat charitatem charitatis Magiſtram oſtendere.

*Idem.*

Charitas neceſſitates præuidet, & eis prouidet.

7 Sed vlteriùs procedo, & ipſam nimia charitate æſtuantem, eriam impoſſibilia quodammodò tentaſſe, demonſtro: Pro qua re verba reſponſionis conſidera, & filium acriter reſpondiſſe videbis: ſic ait Ioannes loco citato: *Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondùm venit hora mea*: nam Chriſtus hac reſponſione tempus patrandi miracula nondùm veniſſe declarabat: ſicut inter alios Auguſtinus ſerm. 41. de tempore. *Nondùm venit hora mea, vt ità ſint Dei mirabilia manifeſta*: ſed quid in tali miraculi negatione charitatis Magiſtra? Ipſam audi, miniſtris quid dicat: *Omnia quæcumq; dixerit vobis, ſeruate, & facite:* parate amphoras, diſponite hydrias, &, vt vnico dicam verbo, expectate miraculum. Mirantur nimis hanc rem Patres omnes, vndè miraculum cognouit Virgo iàm eſſe patrandum? vndè rei euentum præſcire potuit? Chriſtus negat, tempus non adeſt, & ipſa certa de miraculo, dicit: *Omnia quæcumq; dixerit vobis, ſeruate, & facite.* An quia charitatem etiam impoſſibilia quandoq; tētare iàm nouerat? Sic certè: Nā charitate feruens, immò inardeſcens multū, non tantū poſſibilia, vt charitati ſatisfaceret, ſed etiā quaſi impoſſibilia tentare conabatur. Sic Cyrill. alijq; Patres, qui & ſi rem poſſibilē, nō impoſſibilem petijſſe teſtentur, cū omnia ſint poſſibilia ei, qui tēporibus nō ſubiacet, vt pro libito miracula patrare nō poſſit, tamen ſaltèm pro tunc, vt impoſſibilis proponebatur, & nihilominùs miraculum ſperabat, dicens: *Omnia quæcumq; dixerit vobis, ſeruate, & facite.* Ipſum audi Cyrillum: *Vino autem deficiente, mater eius, quæ vniuerſa illi poſſibilia eſſe non ignorabat, hortatur, vt ſolita ſua bonitate, atq; miſericordia vteretur, dicēs: vinum non habent, & ſtatim ad actum propter eam acceſſit, quem, quantum in eo erat, parumper diſtuliſſet:* verba nunc obſerua illa: *Ad actum acceſſit, quem, quantum in eo erat, parumper diſtuliſſet*: & clarè perſpicies, rem difficilem & penè impoſſibilem, ſaltem ſpectato tempore, poſtulaſſe. O verè charitatis Magiſtra! Nunc ſe iure amoris matrem vocare poteſt, dicendo: *Ego mater pulchræ dilectionis, & amoris.* Et vt charitatis Magiſtra nobis diſcipulis proponere poteſt lectionem illam ab Auguſtino recitatam ſuper Pſ. 30. cùm dicit: *Charitas, fratres, ſitienti potus eſt, eſurienti cibus, in amaritudine poſitis, dulcedo: in triſtitia conſtitutis, chara, & grata conſolatio: fluctuantibus portus: errantium via, peregrinantibus patria: hāc ergo fratres tenete, hanc tota auiditate diligite.*

*Auguſt.*

*Cyrillus Alex.*

Charitas etiā impoſſibilia tentat.

*Eccl. c. 24.*

*Auguſtin.*

Charitas omnibus omnia eſt.

Cùm

# Cùm autem Sol occidiſſet: omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad Ieſum. Luc. 4.

## §. II.

*Deuium in directum adducunt ærumna, & à dæmone ad Dominum currere facit afflictio.*

1 NEc atræ noctis horrore adeò animo cõſternari potuerunt miſeri, vt Theodoretus in catena relatus ſuper verba illa, *Cùm autem Sol occidiſſet.* Lucæ 4. ait: *Non à tempore impediti, adducunt ad eum infirmos*, vt fontem miſericordiæ non adirent, nec Iudaici liuoris furore adeò perterreri potuerunt creaturæ, ſicuti Origenes dicit: *Ideò quidem circa Solis occaſum, ideſt, elapſa die, illos adducebant, quia timebant Phariſæos*, vt ad Creatorem non currerent, dicente Euangeliſta. *Omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad Ieſum.* Sed quid eſt, quòd nec temporis, nec Phariſæorum habita ratione, ad Dominum famuli, & ad medicum currunt ægroti, niſi quia ſpiritualiter ægrotantes, vt afflictionis punguntur ſtimulis, relicto mundo, ac deliciis ad Deum, à quo receſſerant, reuertuntur? Vndè Gregorius. *Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* Quod fortè prophetico ſpiritu præuidit Dauid, cùm ait: *Clamauerunt ad Dominum, cùm tribularẽtur.* Pſalm. 106. et in Prodigo completum videmus, qui multis preſſus ærumnis, ad Patrem cõfugit: & tandem Gentiles ipſi id agnouerunt, qui maiores inter anguſtias ad illos, quos Deos cęca putabat Gentilitas, oculos, palmas, & vocem leuare ſolebant. Quod Ouid. lib. 3. Faſt. his expoſuit carminibus.

Luc. c. 4.

Ad bonum mala currere faciunt.

Gregor. Papa pſ. 106.

*Vincitur ars vento, nec iam moderatur habenis*
*Vtitur, at votis his quoque poſcit opem.*

Ouidius.

Et primo de Triſt.

*Ipſe gubernator, tollens ad ſidera palmas,*
*Expoſuit votis immemor artis opem.*

Idem.

In quorum confirmationem dicere conſueuit Chryſoſtomus homil. 38. in cap. Geneſeos 17. Tribulationes nos Deo appropinquare faciunt. Quod licèt neminem latere exiſtimem, ad vberiorem tamen cognitionem, quæ ſequuntur percurre, ſi libet.

Ærumnarũ vtilitas.

Chryſoſt.

2 Quòd mala ad bonum, ærumnæ ad cœlum, & preſſuræ peccatorem ad Deum ire compellant, ex ijs, quæ in Adulterę figura de mundanis per Oſeã Dominus dignatus eſt dicere: *Vadam pòſt amatores meos, qui dant panes mihi & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum & potum meum: propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis: & dicet: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem: quia benè mihi erat tunc magis quàm nunc.* c. 2. liquidò conſtat: nam per Adulteram, iuxtà communem Sanctorum Patrum expoſitionem, anima peccatrix figuratur, quæ dùm, laxatis, nè ruptis dicam, vitiorum habenis, pòſt mundi cupiditates currit, verus, piiſſimuſque ſponſus, vt effrenem hanc ſponſam ad ſe reducat, tribulationum ſpinis ei intercludit itinera: *Propterea ſepiam viam tuam ſpinis*; vt ſic punctionibus ſaltem illam pòſt ſe currere faciat, quæ antea amoris vinculis trahi minimè patiebatur: Quod in Dauide cõpletum videmus, qui pòſt peccatum inter maiores ærumnas ad Dominum ſic dicere ſolebat: *Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea, dũm configitur ſpina.* pſal. 31. clariùs ac ſi diceret: nunquam pòſt te ſic velocitèr currere didici, quàm cùm facta eſt ſuper me manus tua, ideſt, quùm me tribulationibus examinaſti, quùm ærumnarum aculeis me transfixiſti, quùm ſpinis vias meas ſepiuiſti, tunc conuerſus ſum in ęrumna mea, tunc meam culpam agnoui, & tunc pòſt verum animę ſponſum tota auiditate cucurri. Gregorium hom. 36. in Euangelia adduco, verba illa conſiderantem: *Reuertar ad virum meum priorem. De aduerſitate quanta vtilitas naſcatur, adiũgit, cùm ſubditur. Et dicet: vadam, et reuertar ad virum meum priorem, quia benè*

Oſeæ c. 2.

Ad Deum ire compellit afflictio.

Pſal. 31.

Oſeæ c. 2.

Gregor. Magn.

Tribulationum vtilitas maxima.

Digitized by Google

*benè erat mihi tunc, magis quàm nũc. Poſtquam ergo uias ſuas ſpinis ſeptas inuenit, poſtquam amatores ſuos apprehendere non ualet, ad amorẽ viri prioris redit: quia plerumq; poſtquã in terrenis deſiderijs de impoſſibilitate laſſamur, tũc ad Deũ reducimur.* Ecce quomodo ad currẽdum pòſt verũ animarum ſpõſum, tribulationum punctiones incitamenta ſunt et aculei.

3 Clariùs tamen id videre ſi cupis, mulieris maledictionem conſidera, et videbis, quòd vbi noſtra Vulgata habet: *Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore paries filios, et ſub uiri poteſtate eris, et ipſe dominabitur tui.* Gen. c. 3. Septuaginta interpretes legunt: *Multiplicãs multiplicabo triſtitias tuas, et gemitũ tuum, in triſtitijs paries filios, ad virum tuum conuerſio tua:* cuius verſionis vltima, cùm de muliere intelligi nequeant, certum cùm ſit ipſam nunquàm ab Adam diſceſſiſſe, ad myſticum ſenſum proculdubio reduci debent, & dici, per inobedientem mulierem animam peccatricem ſignificari, quæ per peccatum à Deo viro ſuo diſcedit, cùm peccatum aliud non ſit, niſi auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturas. Sed quibus modis, bone Deus, adulteram hanc ſponſam trahere poteris, vt ad te virum ſuum ſit reuerſio ſua? Fortè verbis allicies, ſponſionibus inuitabis, donis capies, & aſſiduis promiſſis titillabis? Nequaquam ſanè: ſed multiplicatis ærumnis, congeminatis doloribus, & coaceruatis, ſi dicere licet, ſuper eam preſſuris, ad te virum ſuum erit conuerſio ſua; quia tunc mortuos peccatorum fœtus, quos in delicijs parere renuit, tribulationibus, atquè doloribus preſſa, quò citiùs poterit, redere ſtudebit: Quã allegoriam proſecutus eſt D. Anaſtaſius lib. 11. in Dei perſona ad Adulteram ſponſam, ſic dicentis: *Ego autem ſalutem tuam quærens, & conuerſionem, multiplicans multiplicabo dolores tuos, & afflictiones tuas, & gemitus tuos, nunc conferens diluuium, deinde peſtem, ac famem, terrẽmotum, & pluuiam, in his doloribus paries malos filios, peccata, impudicitias, & iniquitates: ſed bono eſto animo, poſt illas tribulationes annuncio tibi gaudium magnum, quia poſtquam tibi fuerit adempta omnis ſpes humani auxilij, ad Chriſtum erit conuerſio tua, & ipſe dominabitur tibi:* sic ipſe. Cui nunc noſcere non licebit, cur Adultera amatores fallaces relinquat? cur verum ſponſum quærat? & cur ad priſtinum virum redeat? quia ſpinis eius viæ ſepiebantur, quia multiplicabantur ærumnę, & augebantur dolores, propterea ad virum fuit conuerſio eius.

*Geneſ. c. 3.*

*Anaſtaſ. Sinayta.*

Ad virum ſuum reuertitur anima peccatrix, cùm creaturis terga vertens, ad Deum conuertitur.

4 Angelici Doctoris difficultatem liceat nunc afferre, cur ad Cœlum victor rediturus Saluator, ab Olíueti mõte diſcedere potius voluit, quàm ab alio? cur non à Thabor, vbi glorioſus apparuit? cur non à Sina, in quo legem dedit? cur non ab illis Armeniæ, in quibus poſt diluuium requieuit Arca? & tandem cur non ab alio quopiam Cœlum verſus perrexit, quòd ab Oliuarum monte ad Cœlum iter arripere voluit? Vndè Actorum primo habetur. *Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum: tunc reuerſi ſunt Ieroſolymam à monte, qui dicitur Oliueti:* Cuius difficultatis facilè hauritur ſolutio, ſi ubi comprehenſus ſit, oculos vertemus: nam vt D. teſtatur Marcus c. 14. in Monte Oliuarum comprehenſus eſt Dominus: *Et hymno dicto exierunt in Montem Oliuarum:* Quod confirmauit etiam Lucas c. 22. qui dixit: *Et egreſſus ibat ſecundùm conſuetudinem in Montem Oliuarum:* Ecce magnum myſterium nunc diſcooperitur; à Monte Oliuarũ, vbi pauores, vbi agonias, vbi ſudores, vbi comprehenſiones, & vbi dolores pati non dedignatus eſt impaſſibilis, ab eo ad Cœlum viam capere voluit, vt intelligat mundus, à tribulationibus ad Cœlum, à doloribus ad gloriam, & à preſſuris ad pręmium iter capi. Explicauit rem iſtam D. Thomas in catena, verbis tamen ex Hieronymo deſumptis, quùm ait: *In Monte Oliueti Ieſus tenetur, vnde ad cælos aſcendit, vt nos ſciamus, quia inde aſcendimus ad Cælos, vnde vigilamus, & oramus, & ligamur, nec repugnamus in terra.* Optimũ planè noſtri inſtituti argumentum, quo ſatis clarè oſtenditur verum eſſe Gregorij dictũ, quòd *Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.*

*Act. c. 1.*

Cur Chriſtus non aliundè, niſi à Monte Oliueti ad Cœlũ iter arripere voluit?

*Marc. c. 14*

*Luc. c. 22.*

*D. Tho. ex Hieronym.*

Per tribulationes in Cœlũ aſcẽdimus.

*Greg. Papa*

5 Nec iniquos tantùm, qui deuius diſciplinæ eſt, vt recto itinere gradiatur, tribulationibus premitur, & compellitur; ſed ipſe iuſtus, qui iam in via

exer-

exercetur virtutis,ſi in ea quandoque paulíſper dormitare contigerit, tribulationum ſtimulis ad currendum vrgetur, & premitur: in cuius rei figura de Petro me legiſſe non latet; quòd cùm ab Herode in vinculis detineretur,vicinã mortem non timens, inedia Act. c. 12. confectus, ferroque onuſtus, ſuper nudam humum veluti in molli culcitra dulciter dormiebat. *Cùm autem producturus eum eſſet Herodes,in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.* Act. 12. quo ſopore dùm detineretur, percuſſionibus excitatur ab Angelo: *Percuſſoque latere Petri, excitauit eum:* Et ad currendum eum compulit, dicens: *Surge velociter:* Sed quid eſt hoc,quòd dormiens Petrus, nõ verbis,nec ſtrepitu,ſed pugnis ad curſum excitatur, niſi quia,cùm iuſtus, qui per Petrum figuratur, ſi in virtutis itinere, negligentię torpore, & pigritię ſomno quandoque deprimitur, percuſſionibus,& preſſuris, veluti acutis ſtimulis, vt cœptã virtutis viam currat, excitatur,& pellitur? Pro qua re audiẽdus eſt D. Bernardinus Senenſis, qui tom. 1. Sabbato poſt Cineres ſerm. 8. art. 1. c. 3. ait: *Iuſtus quandoque pigritiæ ſomno torpeſcens, Dominus tribulationis pugno in latere percutiens,dicit: Surge,qui dormis: in huius myſterio. Act. 2. dum dormiret in carcere Petrus, Angelus Domini adſtitit etc. Sic percutitur iuſtus laboribus et ærumnis, vt abijciat vincula negligentiæ, relinquat carcerem pigritiæ, et torporis.* Dici ergo pluſquam veraciter poteſt, non tantùm peccatoribus prodeſſe ærumnas, quæ ipſum in directum adducunt, ſed iuſtis etiam non parum proficuę ſunt atque vtiles, cùm eos à pigritię ſomno excitent, & ad currendam mandatorum viam vrgeant, & compellant.

*Preſſuræ aculei, qui ad currendũ impellunt.*

*Bernard. Senenſ.*

*Per ærumnas excitamur à Domino.*

6 Veritatem hãc confiteatur Spõſa illa, quæ Sponſum quærens,à Ciuitatis cuſtodibus percuſſa, & vulnerata, immò pòſt hæc, etiam expoliata fuit. Cant. c. 5. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt Ciuitatem,percuſſerunt me, et vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Cant. 1. in qua re quod mihi conſiderandum occurrit, eſt; ſi per cuſtodes Sancti Angeli figurabantur, qua de cauſa animas vulnerant, & expoliant? ſi cuſtodes erant,cuſtodire, non ferire debebant, ſi ad tutelam deſtinati erant,tueri potiùs,quàm percutere decebat, & quod magis mirum mihi videtur,ſi ſuperni Regis erant miniſtri,& ſerui illius, Sponſam cur in uicis expoliant & plateis? hæccine Spõſi eſt reuerentia,in plateis Spõſam expoliare? At nil ſanè mirum; nam per ſponſam hãc, iuſti anima figurabatur, quæ pigritiæ ſomno aliquando tabeſcens, vt ſponſa iſta, quæ pluries à celeſti Sponſo vocata, vt paulò ante habetur, reſpondere conſueuerat: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa,laui pedes meos, quomodo inquinabo illos:* à ſanctis Angelis percutitur, & vulneratur,vt quã trahere non poterat amor, compellat afflictio: & ſicuti equus acutis ſtimulis nedùm pungitur, verùm vulneratur etiã quandoque,vt velociùs currat,ſic ſpõſa iſta, vt poſt ſponſum velociùs curreret, vulnerabatur. Nec myſterio vacat,quòd ſpoliatam ſe dicat, quia exonerata ad currendum aptior reddebatur. Meum non eſt hoc, quod dico, ſed Bernardi ſer. 15. in pſal. *Qui habitat,* ſic dicentis: Bernard. *Vt quid ita? Ni fallor,vrgebat vt pertranſiret proinde in ventura dilectum. Denique etiam tulerunt pallium meum(inquit) haud dubium, quin vt curreret ita expedita:* hactenus ipſe.

*Tribulationes expeditius currere faciunt.*

7 Ego autem Sanctiſſimum Iacob in mediũ ſtatuo, qui cùm à Meſopotamia regrederetur, nocte quadã ab Angelo prouocatus ad pugnam, cum eo vſque ad ortum diei fortiter, viriliterque luctari non deſtitit: *Et vir luctabatur cum eo vſque mane.* Gen. 32. Quid tãdem ex lucta,atque victoria reportauerit, Sacra narrat hiſtoria, quæ dicit: Gen. c. 32. *Cùm videret; quòd eum ſuperare non poſſet,tetigit neruum fœmoris eius, & ſtatim emarcuit:* quam rem conſiderans Bernardus,obſtupuit,quòd in itinere, tunc maximè eùm ambulare debebat, claudus efficeretur: tandem pòſt pauca,ipſemet difficultatis ſolutionem affert, dicẽdo, iure optimo ad patriam redeuntem, Iacobum claudicare coactum fuiſſe, quia nunquã ſic alacriter ad cœlum currit viator, quàm cùm laboribus examinatur, flagellis affligitur & ærumnis: tunc ægritudine conualeſcit,infirmitate & ærumnis fortior reddi-

ditur, & tibiis claudicando, internis amoris charitatiſque greſſibus in patriā omni feſtinatione properat: Vndè Bernardus loquens de gradibus humilitatis, de re hac in hunc modum dixit: *Vtinam meum neruum Angelus tangat, & marceſcat, ſi fortè ex hac infirmitate incipiam proficere, qui ex mea infirmitate non poſſum, niſi deficere*: ſanè vides quàm alacriter claudi in Cœlum properent; & quàm velociter debiles currant; quia quiſquis exteriùs infirmatur, interiùs fortior redditur, & quiſquis integra valetudine ſpiritu claudicat, diſtortis poſtea per ægritudinem tibiis, ſupra quã imaginari poteſt, Cœlum verſus feſtinat, & properat.

*Bernard.*

Claudus effectus Iacob velociùs Cœlum verſus cucurrit.

8 Tandem preſſuras, & ærumnas ad Deum currere facere explanauit regius Vates, quando de ſe ait: *In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis*. pſal. 76. ac ſi diceret: ideò Deum exquiſiui; quia doloris inſtabat dies, & tribulationum pungebar aculeis; aliàs enim ad Deum nõ ſic velociter eucurriſſem. Vndè Idiota lib. 2. de vera pœnitentia: *Tribulatio elationem deprimit, ceruicem ſubmittit, deprimit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, iram ſedat, linguam frænat, & dirigit in viam pacis*: Mirum igitur non eſt, quòd relictis medicis ad Dominum currant ægroti iſti, de quibus hic loquitur Euangeliſta; quia ſi iuxtà Carthuſiani expoſitionem, peccatorum figuram ipſi geſtabant, quæ hic eos premebant, ad Deum ire compellebant.

*Pſal. 76.*

*Idiota.*

Preſſurarũ fructus quot, ac quanti?

*Carthuſ.*

## At ille ſingulis manus imponens, curabat eos. Luc. 4.

### §. III.

*Quia publicis mortalium indigentiis non conſulere verecundatur (ſi fas eſt dicere) Deus, propterea non violentèr eſt expetenda gratia, ſed tantùm proponenda occaſio.*

1 HVic ſimilem quis vnquàm vidit pietatem, audiuit beneuolentiam, & excogitare potuit miſericordiam, quam erga languidos iſtos omnium miſericordiarum Pater oſtendit? Quòd celeris debeat eſſe liberalitas, veloxque benignitas docuit Seneca lib. de beneficiis, vbi hunc ait in modum. *Omnis benignitas properat, & proprium eſt liberaliter facientis citò facere*: et rationem ipſemet aſſignat lib. 4. de iiſdem, cùm dicit: *Gratiſſima autem ſunt beneficia facilè occurrentia, vbi nulla mora fuit, niſi in accipientis verecundia*: quod et confirmauit Lucianus, quùm ait.

properat benignitas & propriũ eſt liberalis citò dare.

*Celeres gratiæ dulciores, ſi autem tardauerit,*
*Omnis gratia vana, neque dicetur gratia.*

*Lucianus.*

Clariùſque Auſonius.

*Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt, gratia nanque*
*Cùm fieri properat gratia grata magis,*
*Si benè quid facies, facies citò, nam citò factum*
*Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.*

*Auſonius.*

Vndè cũctis dicere cõſueuit Democritus: *ſi benè mereri de aliquo voles, citiſsimè aliquid in illum beneficii conferas; mora enim ingratum redditur, & parum amabile quicquid dederis*: Verùm quòd nõ rogatus cæleſtis hic medicus curaret, et quòd omnibus vniuerſaliter abſque vlla petitione ſanitatem impertiretur; dicẽte Euangeliſta: *At ille ſingulis manus imponens, curabat eos*. Luc. 4. licèt id à Saluatore propterea factũ fuiſſe dici poſſet, quia gratiores ſunt gratiæ, vt mòx tetigimus, quæ antè preces veniunt. Quod præcitato loco ſignificauit Seneca ſequentibus verbis. *Pulchrum ſanè beneficium nulla dilatione ſuſpenſum, nullis precibus redemptum, nullis meritis comparatum; gratius eſt enim donum, quod venit ante preces*: nihilominùs aliam ob rationem hoc factum exiſtimo; quia videlicèt ex concurrentium multitudine iàm nota erat egeſtas, et infirmorum infirmitas, quod cùm etiam corporeis oculis vidiſſet ille, qui profunda cordis ſcrutatur arcana, etiam non rogatus, illicò gratiam omnibus præſtitit et ſalutem, quia verecundabatur (ſi ſic dicere licet) manifeſtis neceſsitatibus non con-

*Democrit.*

*Luc. c. 4.*

*Seneca.*

Beneficia nullis precibus redẽpta gratiora ſunt.

cōſulere, quod & indicare videtur Euā-gelista verbis illis: *At ille ſingulis manus imponens*, quæ ſecundùm aliquos nil aliud ſignificare vidētur, niſi, ſtatim, vt ſit ſenſus, ſtatim ac aliorum oculis notum vidit iſtorum languorem, manus ſuper eos imponendo, curauit: &(ni fallor) aliquo modo confirmauit Beda, quum ait. *Modò enim Saluator rogatus, modò vltrò curat ægrotos, oſtendens precibus ſemper annuere fidelium, & ea nōnunquam, quæ ipſi minimè intelligunt, vel intelligenda dare, vel piè petentibus, etiam non intellecta dimittere*: hæc ipſe. clariùs ac ſi diceret: quia verecundatur quodammodò Deus publicas egeſtates ſine remedio præterire, propterea, vt illas in publicum prodijſſe agnouit, ſiue rogatus, ſiue non, medelas obtulit, & opportuna remedia præbuit: quod videre eſt ex dicendis.

*Beda in cat.*

Publicis neceſſitatibus, non conſulere, verecundatur (ſi fas eſt dicere) Deus.

2 Alcuinus interrogatione 4. in Geneſim diligenter inquirit: Cùr Angelicū peccatum à Moyſe non reperiatur deſcriptum, præcipuè ſi tàm diſtinctè deſcribenda erat hominis inobedientia. *Quare Angelicum peccatum ſilentio in Geneſi abſconditum eſt, & hominis patefactum*? Si magnum erat, ſi ex malitia ſaltem in aliquibus, non ex ſuggeſtione proceſſerat, ſi tantorum malorum cauſa fuit, & denique, ſi propter illud tanta ruit ſublimium ſpirituum multitudo, à Moyſe cur non ſcribitur, nec narratur; ſed ac ſi non fuiſſet, reticetur? Hominis autem inferioris ſpeciei, carne amicti, non cœli, ſed terræ incolæ, & non tàm ex malitia, quàm ex ſuggeſtione procedens, ſic diſtinctè declarat, omnibuſque legendum relinquit? hoc myſterio minimè vacare, reſpondet idem Alcuinus. *Quia Angelicum vulnus Deus non prædeſtinauit curare, hominis autem ſanare prædeſtinauit.* Quia Angeli peccato decreuerat non conſulere, hominis verò quia prouidere diſpoſuerat, propterea hoc ſcribi permiſit, illud autem nequaquam, ne verecundari quodammodò, ſi fas eſt dicere, cogeretur, ſi abſque medela, atque remedio Angelorum caſus in publicum prodijſſet.

Humanum non Angelicum peccatum in ſcriptura patefactum, & quare?

*Alcuinus.*

3 Ianuam cuidam difficultati hinc aperio: Cur ille idem Dominus, qui per Matthæum virtutis opera corām hominibus exerceri præcepit, dicens. *Sic luceat lux veſtra coràm hominibus, vt videant opera veſtra bona*, cap. 5. paulò poſt omni ſtudio omniq; conatu orationem nos abſcondere, iuſſit: *Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum.* cap. 6. ſi ad eius gloriā virtutes notas facere debemus, cur oratio, quæ virtutum omnium fons eſt & origo abſcondi debet, ne videatur? & ex alia parte, ſi ob inanis gloriæ timorem humanos oculos fugere debet oratio, virtutes cur ſic in propatulo ſunt exponendæ? numquid ex ipſis iactantiæ tinea oriri non pōt? nequaquā ſanè quòd oriri nō poſſet; cur ergo palā opera, & clàm oratio fieri debet? quantū capio, abſque dubio ad ſui gloriam ſic publicè nos orare, ſicut operari ininnuiſſet, ſi ſemper animæ vtilia, nobis proficua, alijs cōgruētia, & rationi cōſentanea poſceremus; verùm quia, vt paruuli rationis vſu carentes, neſcimus, quæ poſtulamus; vndè ſit, vt irrationabilia multoties poſcamus, quæ à Deo ſi concederentur, noxia eſſent: propterea, nedùm in cubiculo, ſed etiam clauſo oſtio nos orare præcepit, nè verecundus hìc animæ ſponſus niſi optatis annueret, atq; petita concederet, erubeſcere quodammodò cogeretur. Fallor, ſi hoc non tetigit Paulus de Palatio ſuper cap. 6. Matthæi, quando ſub ſponſi, & ſponſæ figura de Deo, & anima hunc dixit in modum. *Dominus non ſolùm orari in cubiculo vult, ſed clauſo oſtio, quia ſponſus verecundus eſt, non in aperto, ſed in occulto ſuas delicias vult; ne ob importunas preces ſi quid negare contigerit, ab aliquo videatur.*

*Matth. c. 6.*

*Paulus de Palatio.*

4 Quam ob cauſam matri intercedenti pro vini defectu, filius tàm inclementer reſpondere voluerit, dicens. *Quid mihi, & tibi eſt mulier, non dùm venit hora mea.* Ioan. 2. perpendi, & non ſemel, nam ſi ſedulitas in petendo huius indignationis origo fuit & cauſa, quia videlicèt, antè totalem vini defectum (vt Auguſtinus, Lyranus, nonnulliq; alij ſenſerunt, & me alibi dixiſſe non latet) fuit facta petitio, quod ex verbis illis colligitur. *Non dùm venit hora mea*: quæ iuxtà multorum Patrum expoſitionem idem ſonant, ac non dum totaliter vinum defecit, ſine indigeant, & poſt indigentiam, quod facturus ſum, clariùs apparebit; negari tamen non poteſt, quòd ſi

Matri pro vini defectu petenti cur acriter reſpondit filius?

*Ioan. 2.*

Vu

*M.T. Cicer.* Prouidentiæ diffinitio.

ſi prouidentiæ proprium eſt futuris conſulere, vt in Rhetor ait Tullius: *Prouidentia eſt, per quam futurum aliquid videtur, antequàm factum ſit*: & Auguſtinus de ſpiritu, & anima: *Prouidentia eſt notio futurum pertractans euentum, cuius officium eſt, ex præſentibus futura perpendere, aduerſus aduenientem calamitatum ſe conſilio præmunire.* Vndè vulgare illud emanauit adagium. Sapientis eſt præuidere futura: magnæ ſapientiæ, pietatis, & prouidentiæ indicium erat, egeſtatem præcurrere, & vini defectum præuenire totalem: quod ſi verum eſt, mitiori reſpōſo digna videbatur; verùm quia Virgo Beata ſecretam, & nondùm præſentem, ſed imminentem egeſtatem aperuit, ſe cohibere (vt ita dicam) nō potuit filius, qui prouidentiæ ſemper eſt intētus, quin ſeuerè reſponderet, horamq; nondùm adueniſſe declararet, ne indigentiam ſine remedio reliquiſſe videretur: quod dicere voluit Diuus Cyrillus his verbis.

*Cyrill. Alex.*

Homines bonorum carentia deprimi. Deus nō patitur.

*Deus autem gratiarum largitor, non patitur bonorum carentia naturā hominum deprimi, ſed multò meliùs nobis, quàm priùs vinum producit.* inter quæ verba, præcipuè noto illa: *Non patitur bonorum carentia naturam hominum deprimi*: quæ vltrà propenſionem ad concedendum, & ſedulitatem ad prouidendum, cur tàm ſeuerè reſpondere voluerit, oſtendunt; quia magis quàm Matri erat ſibi cura de nobis.

5 Porrò, quia locum iſtum tetigimus, quomodo poſt filii reſponſionem ſe gereret Virgo, expēdamus, ſi libet, & videbimus, poſt acre filii reſponſum, illicò, vt ſubdit præfatus Euangeliſta, eā aquam parari iuſſiſſe.

*Ioan. cap. 2.*

*Dicit Mater eius miniſtris, quodcunque dixerit vobis, facite.* ibidem. Quod Virginis conſilium Diuum Bonauenturam, inter cæteros, in ſtuporem adduxit; vndè hæc conſequentia inferri potuerit, quòd aqua in vinum eſſet conuertenda, ſi Chriſtus ſeuerè reſponderat, ſi horam nondùm aduenisse dicebat: ſi aliud miraculum patratum non fuerat, vndè tanta ſecuritas? *Qualiter hoc attentauit, ex quo dixerat Chriſtus, quòd nondùm venerat hora faciendi miracula?* Si petitioni leniter reſpondiſſet, miraculumq; ſe facturum promiſiſſet, quid firmius ſperari, & tutius expectari potuiſſet, quàm hoc, quod miniſtris Virgo Beata prædixit dicēdo. *Quodcunque dixerit vobis, facite?* At quid ignorare poterat illa, quæ ſapientiæ auctorem pepererat? ſciebat ſiquidē, quòd vt neceſſitas innoteſcere incipit, ſine remedio à Deo non relinquitur; & quia in aperto erat vini defectus, expectari aliud non poterat, quàm miraculum: quod aliqualiter expreſſit Aymo dicēs.

*D. Bonauen.*

*Aymo.*

*Maria prophetiſſa erat, ſciebat enim, quòd Dominus ad hoc venerat, vt miracuculum ibi faceret, conuertendo aquam in vinum, & ideo dixit. Vinum non habent, ac ſi diceret: ſi ad hoc veniſti, vt miraculum facias, quod facturus es, fac citiùs.* ſic ipſe: quibus in perſona Virginis fortè ad filium dicere intendebat: ſi iam egeſtas innoteſcere cœpit, ſi iam vini defectus in publicum venit, miraculum differre non debes, ſi ad hoc veniſti, vt publicæ egeſtati conſuleres.

Prophetico ſpiritū prædita Virgo Beata ſuorū indigentias præueniebat & vota.

6 Id ipſum ex facto illius languidi per tegulas ſummiſſi, obſeruauit Diuus Bonauentura, qui perpendens verba illa. *Summiſerunt per tegulas in medium ante Ieſum.* Luc. 5. non ab re hoc factum afferit, nam vt à Domino videretur, hoc efficere voluerunt: ſic ipſe. *Præſentauerunt eum in conſpectu Domini, vt eum videret*: immò non tantum Chriſti conſpectui cum offerre, ſed per hoc omnium oculis, eum obiicere voluerunt; vndè verba illa Euangeliſtæ. *Poſuerunt eum in medio.* explicans Carthuſianus, dicit. *In medio hominum, qui aderāt*: Rationem autem cur in conſpectu Domini, & coràm omnibus illum ſtatuere voluerint, paulò poſt aſſignat præfatus Bonauentura, quùm dicit: *Præmiſſa eſt miraculi faciendi opportunitas, hic verò ſubiungitur ipſius in faciendo integritas.* hoc eſt, quòd in medio coràm omnibus, quòd ante Ieſum vt etiam corporeis oculis ipſum videret, portitores ſtatuere voluerint, ne quæſo miremini, quia benè ſciebant euidentiam morbi, opportunitatem eſſe faciēdi miraculum, vt poſtea rei probauit euentus; nam & vt portantium innotuit fides, & vt infirmi viſa eſt egeſtas, præmiſſa tali diſpoſitione, à Saluatore, qui publicas indigentias, ſine medela non derelinquit, illicò curatus eſt æger.

*Luc. cap. 5.*

*D. Bonau.*

*Carthuſ.*

Optimus apud Deum petendi modus non petere, ſed petenda propalare.

7 Hinc dicere ſoleo, nullum tàm perfectè petere, quàm, qui nihil omninò quærit, ſed neceſſitates ſolūmodò coràm

ho-

Digitized by Google

hominibus Deo proponit, quia tũc mortalibus innoteſcente neceſſitate, à Deo negari nõ poterit leuamentũ, quẽ petẽdi modum ſapientiſſimum Cẽturionem ſeruaſſe reperio, qui, vt habet D. Matthæus, pueri ſanitatem obtinere cupiẽs, dicere nil aliud voluit, niſi: *Domine puer meus, iacet in domo paralyticus, & male torquetur, &c.* quæ Centurionis verba, ſolito ingenij acumine, conſiderans Chryſologus ſerm. 15. clamare cæpit, & dicere: *Videtis Centurionem, antequam diſcipulatus ſubiret officium, locum magiſterij fuiſſe ſortitum; præbet enim petendi formam, dat normam credendi: rogans eum, & dicens puer meus, &c.* Sed quæ, bone Deus, petendi forma eſt iſta; ſi vltra pueri languorem, ac languentis periculum, quod exponit, nihil petit, nihil quærit, efflagitat nihil? verùm, vt cõcludit idem Chryſologus: *Hoc eſt ſapere non rogare.* Melior forma, meliorque petendi norma minimè inuenitur, quàm à Deo nihil petere, ſed tantùm cunctis ſpectantibus indigentias proponere, neceſſitateſque exponere; quia dum hæc mortalibus innoteſcunt, ſine remedio relinqui nullatenus ſolent. Vnde D. Thomas in Catena de hoc Centurionis petendi modo, ſic dixit. *Infirmitatem tantùm expoſuit, remedium autem ſanitatis in poteſtate miſericordiæ eius dimiſit, dicens: malè torquetur.* Magnus planè magiſter, qui vt præſentes doceret, ac poſteros erudiret, petitionibus non incumbit: ſed quo languoris genere, & quo langueus periculo laboraret, exponit.

*D. Thomas*

Chananææ filiæ exponẽdo ægritudinem, ſatis pro ipſa ſe rogaſſe exiſtimauit.

8. Ad vini defectum, de quo paulò ſuperius fari iam cæpimus, regredior, quæſtionemq; moueo, cuius ſolutionem libenter audirem, an miraculum optaret, clariuſq; vt dicam, an vini inopiam, per verba illa ad filium directa: *Vinum non habent:* Ioan. 2. leuare intenderet Virgo Beata, & licèt affirmatiuè ab omnibus reſponderi optimè noſcam, vt etiam ex Chriſti reſponſione: *Quid mihi, & tibi eſt mulier, non dum venit hora mea:* & ex Virginis præcepto miniſtris tradito: *Quodcumque dixerit vobis, facite:* ſatis indubitanter colligitur, tamen cur hoc expreſsè non petijt, & explicitè non quæſiuit, ſed neceſſitatem ſolummodò propoſuit, & egeſtatem aperuit? Difficultati ſatisfacit D. Bernardus, qui ſerm. 46. in Cant. nimis ſapienter in hoc Virginem ſe geſſiſſe, affimat: quia, vt innoteſcere inopiæ, & palàm fieri incipiũt egeſtates, illicò diuina prouidentia apparet, & videtur auxilium. Audi Bernardum. *Non precatur Dominum, non imperat filio, defectum vini tantùm nunciaſſe contenta: nam cum beneficis, & ad liberalitatem propenſis ita eſt agendum: nõ enim gratia violenter exprimenda, ſed eſt proponenda occaſio.*

*Ioan. cap. 2.*

*Bernardus.*

Ad liberalitatem propenſus petitiones præuenit, nõ expectat.

9 Quam petendi normam Mariam & Martham ſeruaſſe notat Auguſtinus, quæ Domino Lazari ægritudinem retulerunt quidem. *Miſerunt ergo ſorores ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur:* Io. 11. Pro illius autem ſanitate ipſum minimè rogauerũt, quia publicis neceſſitatibus, etiam nulla intercedente petitione, ſubueniri pro certò habebant: *Non dixerunt, veni:* ait Auguſtinus, in Catena relatus, *& ſana, ſed tantummodò: ecce quem amas, infirmatur, quia ſufficit vt noueris.* Quo etiam petendi modo Chananæã vſam fuiſſe, inter cæteros obſeruat D. Thomas in Catena, explicans verba illa. *Filia mea malè à Dæmonio vexatur:* Matth. 15. quùm dicit: *Nihil ex merito poſtulat, ſed ſolam miſericordiam efflagitat:* quod præterea non paucos ſeruaſſe, ſcripturas percurrẽtem non latet.

*Io. cap. 11.*

*Auguſt.*

*Matth. c. 15*

*D. Thom.*

10 Verùm, vt rem iſtam concludam, neminẽ à Deo efficacius petere, quàm qui nihil quærit, ſed tantùm coràm alijs benefaciendi occaſiones proponit. Languidum illum, qui triginta & octo annos in infirmitate habebat, in medium ſtatuo, hic à cæleſti medico, an ſanari vellet interrogatus: *Vis ſanus fieri?* Ioan. 5. deſiderium non expoſuit, voluntatem ſaltem expreſsè non declarauit, nec prorupit in preces; ſed ſolũmodò morbi diuturnitatem, hominumque deſtitutionem demonſtrauit, dicens: *Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam:* Vnde Chryſoſtomus hom. 36. in Ioan. *Nec quicquam poſtulat; vt qui medicum rogat, ſed tantùm morbũ ſuum narrare cõtentus eſt,* quia ſciebat Deo ſatis eſſe neceſſitates offerre, qui nos inopia laborare non ſinit, præcipuè apparere ſi cæperit, ne ſine remedio aliquid præterire velle exiſtimetur

*Ioan. cap. 5.*

*Chryſoſt.*

Egeſtatem pandere, & pro ipſa orare apud Deũ idem cenſetur.

**Exibant autem Dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans non ſenebat ea loqui, Luc. 4.**

### §. IV.

*Acriter flagellatur in mente, dum in facie laudatur humilis.*

1 Ille, qui iniurias libêter pertulit, dolores, ac ſi minimè ſenſiſſet, amauit, & mortem ipſam pro hominibus pluſquam auidè cõcupiuit; præconia (vt ita dicam) ferre non valens, obſtrui iuſſit os illud, à quo iam laudes manare videbat. *Increpans non ſinebat ea loqui*. Luc. 4. omitto, quòd cum non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris, nec Dei iuſtitias enarrare, nec eius teſtamentum per os ſuum aſſumere debebat Diabolus. Relinquo, quòd mendacij pater, qui in ipſo creationis exordio vera falſis permiſcere cæpit, veritatis teſtis non erat idoneus: Sed propterea indignans ipſum obmuteſcere iuſſit, quia dolorem, quem ei tormenta dare non poterant, præconia afferebãt. Sic D. Epiphanius tractatu de malo linguæ. *Se ipſum ſponte morti obtulit Saluator, & ſermonibus mendacij aurem nequaquam præbuit; os ſuum aperiens acetum cum felle guſtauit, qui verba auribus percipere recuſauit*: nec mirum, quia humili laudes tormenta ſunt, non oblectamenta. Vnde Gregorius lib. 20. Moralium cap. 5. dicere conſueuerat. *Si cor veraciter humile eſt, bona quæ de ſe audit, aut minimè recognoſcit, & quia falſa dicuntur, metuit: aut certè ſi adeſſe ea ſibi veraciter ſcit, eo ipſo formidat, ne ab æterna Dei retributione ſint perdita: pauet enim vehementer, ne ſpes futuri muneris, in mercedem permutetur tranſitorij fauoris: Quæ ex re agitur, vt electorum animus magno laudum ſuarum igne crucietur*. Non ſecus ac tigris, quæ muſicum concentum audiens (qui aures delinit) turbatur, & infremit: verus humilis ad laudum ſuarum ſonum turbari ſolet & angi. Vnde præfatus Gregorius libro 26. moralium cap. 24. *laus quippe ſua iuſtos cruciat, iniquos exaltat. Sed iuſtos dum cruciat, purgat: iniquos dum lætificat, reprobos monſtrat.* Quod benè noſcens humilitatis magiſter, quæ ad nominis gloriam faciunt, laudemque humilibus apud homines pariunt, cùm quanta turbatione (quæ ex humilitatis ſinu procedit) reiici debeant, dum Diabolum ſilere imperat, inſinuat.

Luc. 4.

S. Epiph. Ægrius adulatione, quã conuicia ferebat Saluator.

S. Greg.

Idem.

Laus humana iuſtos cruciat, iniquos lætificat.

2 Probationibus viam facit humillimus Petrus, qui Dominicam illam petitionem. *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Ioan. 21. ſic ægrè tulit quòd ſacra dicit pagina. *Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò amas me?* ibidem. Quam turbationem ex ſtatus incertitudine originem ducere, ſentiunt Auguſt. Bernardus, Lyranus, Lucas Brugenſis, Vgo Cardinalis, Carthuſ. Alijque non paucis quorum Theophylactum tãtùm breuitatis cauſa adduco. *Turbatus eſt, ne fortè ipſe exiſtimaret quidem ſe diligere, non diligeret tamen: nam, & prius cum multa ſe poſſe arbitraretur, atque aſſeueraret, conuictus eſt. Illud itaque etiam nunc metuebat, & propterea verecundè reſpondit, dicens: Domine tu noſti, tum præſentia, tum futura: tu ſcis quòd nunc te amem, & mihi quidem videtur. Cæterùm an etiam in poſterum permanſurus ſit amor, & hoc quoque tu noſti: ego de me non affirmo*: hactenus Theophylactus. Humilium tamen ſi ſpectetur natura, alia ſanè huius Petri turbationis reperietur origo, quam paucis verbis declarat S. Bernardus de ordine vitæ, & morum inſtitutione, dũ dicit: *Boni enim viri timentes Deum, id ipſum quod eſſe meruerunt, refugiunt. Sanè laus humana bonos cruciat, malos lætificat*: & quia non parum laudabatur Petrus, dum, an ſupra cæteros Chriſtum amaret, interrogabatur, ideò vt verus humilis minimè potuit nõ triſtari, cum pluſquam verum ſit, quòd iuſtus dùm laudatur in facie, flagellatur in mente.

Ioan. 21.

Theophyl. Iuſtus mortali hoc circumſeptus corpore ſemper pauet.

D. Bernar. Petrus an ſupra cæteros Chriſtum amaret, interrogatus turbatur, & quare?

3 De Petro tamen quia fari iam cæpimus, vlterius inquirere non erit incõgruum, quam ob cauſam, verbis illis. *Et tu cum illo eras* Luc. 22. illicò reſpondere voluerit. *Homo non ſum*: ſi iuxta Philoſophi aſſertionem, viuere viuentibus eſt eſſe, dum vitam ducebat, habebat eſſe, cur ergo ſe non eſſe aſſerebat, dicẽdo: *Homo non ſum?* Cuius difficultatis, & ſi duæ poſſent afferri ſolutiones: Qua-

Luc. 22.

rum

rum prior eſt, quia homo dum peccati fœdatur turpitudine, non homo, ſed bellua vocari debet, vt Chryſoſt. hom. 13. in c. Geneſ. 6. verba illa premẽs. *Noe vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis.* his verbis expreſſit. *Vidiſti admirandam Genealogiam, Noe, inquit, homo: commune nomen pro laude iuſti vſurpat, cæteri ob carnales voluptates quibus immerſi erãt, amiſerant eſſe homines, iſte, inquit, in tanto populo hominis imaginem ſeruauit, tũc enim homo eſt, cum virtutem colit. Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis:* & quia paulò ante, vt idem teſtatur Euãgeliſta, Chriſtum negauerat Petrus dicendo. *Non noui illum*: propterea ſe hominis nomine indignum aſſerebat. Altera verò, quia ſi per peccatum ad nihilum quodammodò redigitur homo, dicente Dauide. *Ad nihilum redactus ſum, & neſciui*; Pſal. 72. non hominem, vel (vt clarius loquar) nihil ſe eſſe exiſtimare debebat ille, qui ſic turpiter Chriſtum negauerat. Vnde Cyrillus Hieroſolymitanus *Verè Petrus non erat, quia per peccatum nihil euaſerat*: Ambroſii tamen non paruum mihi arridet opinio, qui dicit, propterea ſe non hominem appellaſſe Petrum, quia quæ non homini, ſed Deo tantùm conueniunt, ſibi aſcribi videbat. *Interrogatus Petrus* (ait præfatus Ambroſius) *Verbum æternitatis refugit, non enim erant, qui eſſe cæperunt, hoc eſt dicere: ille ſolus erat, qui in principio erat, denique ait. Non ſum, illius eſt enim eſſe, qui ſemper eſt; Vn... ait, qui eſt miſit me*: ſic Ambroſ. lib. 10. in cap. Luc. 22. & quidem inconſultè ſibi aſcripta, nec aliter reijcere debebat, quàm dicendo, homo non ſum.

*S. Chryſoſt.*

Hominis nomen amittit, qui peccatũ committit.

*Pſal. 72.*

*Cyrillus Hieroſ.*

Ad nihilum per peccatũ redigitur peccator.

*S. Ambroſ.*

Petri humilitas magna.

4 Preterea eundem Petrum: *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine*, Luc. 5. quoties dicentem conſidero, toties dicere cogor: immò ſi peccator es, à te Dominũ exire ne petas, ſed ipsũ adire tu ſtude, quia ſi per peccatum à Deo ſe elongant peccatores, iuxta illud: *Ecce, qui elongant ſe à te, peribunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.* Pſal. 72. ad ipſum per pœnitentiam recurre, & cum prodigo peccatoris figuram geſtante, dic: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in Cælum, & coram te*, Luc. 15. Cur igitur non ad illum accedis, ſed ipſum à te diſcedere poſcis? an fortè humilitas illa, quę honoris magnitudinem ferre non valet, te ſic loqui cogebat? Prorsùs itа: nam quò magis te honore affectum videbas, eò magis humilitatis vi torquebaris. Pro qua re audiendus eſt, Ambr. *Vir ſapiens & grauis, in quo eſſet Eccleſiæ firmamentũ, & magiſterium diſciplinæ; nil vtilius ſibi eſſe proſpexit, quàm ne ſecundantis operis extolleretur euentu. Et ideò: exi, inquit, à me, Domine.* lib. 3. de Virginib. Sanè vides, non ſolum laudibus, & honoribus iuſtos torqueri; ſed etiam ipſos citò ad propriam vilitatem recurrere, dùm ſe indignos, ac peccatores appellant. Quod etiam de Dauide obſeruauit Chryſoſtomus, qui verba conſiderans illa. *Quis ego ſum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me huc uſque? Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo Domine Deus, niſi loquereris etiã de domo ſerui tui in longinquum*, 2. Reg. cap. 7. dicit: *Non erubuit, quod erat, vt eſſet, quod non erat, ſed tunc erubuit, cum magna compoſuit ſibi paruulo, & ſe contulit cum magnis Dei beneficijs, quod veræ humilitatis ingenium eſt, & modeſtiæ, ac verecundiæ.* Ecce tibi quomodo rubore afficitur humilis, dùm extollitur, & laudatur.

*Luc. 5.*

*Pſ. 72.*

*Luc. 15.*

Cur Petrus Chriſti præſentiã recuſabat, dicens Exi à me,

*Ambr.*

Inter honores ſemper verecundus apparet humilis.

*2. Reg. 7.*

*Chryſoſt.*

5 Verùm, quia Petrum dicentem: *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine*: conſiderauimus, Saluatoris trutinemus reſponſum: *Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens*; et quidem quid timere poſſet Petrus, inquirendi non deerit occaſio; nam ſi caſtra nõ metuit, nec exurgens aduerſum ſe prelium formidat ille, cui Dominus refugium, & liberator eſt; nil timere debebat Petrus, qui Chriſtum ſecum habebat; & quamuis multi propterea ipſum timuiſſe, aſſerant; quia indignus homo digniſſimum ſuſceperat hoſpitem. Ego nihilominus pro pręſentis difficultatis ſolutione, alium adduco ſcripturę locum, illum nempè: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis Regnum.* Luc. 12. nam ex huius puſilli gregis timore, quid Petrus timeret, deduci facilè poteſt: & ſi quid grex iſte formidaret, inquiris, omiſſo aliquorum reſponſo, quòd fortè cum pro vitę neceſſariis eſſet ſolicitus, eorum defectum timebat. Vnde Burgenſis: *Ne timeas puſillus grex, quòd ſcilicet hæc omnia adijciantur vobis, ne vitæ iſtius neceſſaria aliquandò vobis deſint.* & ſubdit: *Conatur enim immodicæ ſolicitudinis radicem*

*Luc. 5.*

Petrus hominũ piſcator mox efficiendus timet, & quare?

*Luc. 12.*

cuel-

*euellere*, dico quòd fortè timebat, quia regnū ſibi datū audiebat: *Cōplacuit Patri ueſtro dare uobis Regnum:* cùm enim pusillus, hoc eſt, humilis eſſet, regalē audiēs magnitudinem expauit. Meum nō eſt hoc ꝙ dico, ſed Chryſologi. *Seruorum mentes*, ait præfatus Chryſol. *tali uoce confirmat, nè eos repentinus promiſſi regni proſternat auditus. Regnum uelle ſeruū, ideſt humilem, crimen eſt, audire periculum, temeritas nō timere.* hęc ipſe, ſer. 23. ex quibus timere quid poſſet Petrus haud difficilè colligere potes; quia ſi ob humilitatem Regni nomen expauebat grex, propter eandem ſe hominum piſcatorem: *Ex hoc enim eris homines capiens:* intelligens Petrus, fieri minimè potuit, quin timeret.

*Chryſol.*

Verus humilis propriā audiēs exaltationē formidat.

6 Supra modū autem, quàm proprias laudes, propriaque præconia ægrè ferant humiles, patefecit illa virtutum omnium, ſed præcipuè humilitatis magiſtra, quæ cum ab Angelo audiret. *Concipies in vtero, & paries filium. hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur*, Luc. 1. ſatis ſe turbatam oſtendit, dicente Euāgeliſta. *Turbata eſt in ſermone eius*; quam turbationem conſiderans Petrus Chriſologus ſerm. 144. ſolito ingenij acumine hunc fatur in modum. *Quid timet, quæ ſecuritatem rerum omniū concipit, parit gaudia ſęculorum? Timor nō eſt, vbi diuinū eſt negotiū nō humanū. Quid timet, quę ſuſcipit eum, quem timent omnia, quæ timentur? Quid timet, cui iudex cauſa eſt aſſertor, integritas teſtis, innocentia?* Nec totaliter difficultati ſatisfacit, qui dicit, non Angeli aſpectum, ſed verba, non perſonam, ſed ſermonem timuiſſe Mariam, quod & Euangeliſta indicare videtur, dum dicit: *Turbata eſt in ſermone eius*: & expreſsè declarat prefatus Chryſologus ſerm. 1. de Annunc. qui ſtupore plenus ſic ait. *Quid eſt, quòd perſonam videt, & de ſermone turbatur?* & paulò infrà. *Virginem, quā leniter viſus ſolicitauerat, nimium turbauit auditus:* nam adhuc inquirendi reſtat occaſio. Cur non Angeli perſona, ſed verba Virginem contremiſcere faciunt? At nil ſanè mirum, verba timuiſſe Mariam, quia per illa ſe, ſuaſque virtutes nō parum extolli audiebat. Audiendus eſt Bernardinus Seneſis dicens. *Turbata fuit, quia ſicut ſuperbus turbatur audiendo ſibi*

*Luc. 1.*

*Petr. Chryſolog.*

Maria nequaquam Angelum, ſed Angeli verba timuit.

*Petr. Chryſolog.*

S. Bernardinus Seneſ.

*dici turpia, & opprobria, & in ſubitam proſilit turbinis iram, & inflatur, & exaltatur cum laudatur. Ita humilis Virgo minimè fuit exaltata, nec ſuperba propter celſitudinem tantæ ſalutationis & laudis: immò tota verecunda turbata eſt.* tom. 3. ſer. 37. ter. part. Principali.

Mira Marię humilitas, nunquā tàm fulſit, quàm cum ab Angelo ſalutaretur.

7 Nec Titi Boſtrorū Epiſcopi prætermittenda eſt obſeruatio, qui dicit quòd propterea Angelus in ſalutationis exordio, antequam aliquid explanaret, dicere voluit. *Ne timeas Maria*: ibidem, quia ob laudum pręconia tàm eam turbatam videbat, quòd vix fieri poterat, vt ad ea quæ erant dicenda accuratè attenderet; ideò non prius myſterium declarare, quàm timorem adimere ſtudit. *Quia verò fieri vix poterat*, ait prefatus Titus, *vt conturbata accuratè ad ea, quæ Angelus dicturus erat, attenderet; quo ab omni animi commotione iam libera diuinum reſponſum ſedatè exigat; propterea Gabriel in ipſo ſtatim orationis veſtibulo omnem illi metum ademit, dicens, ne timeas Maria.*

*Titus Boſtren.*

In Angelica ſalutatione adeò ob laudū pręconia turbabatur Virgo Beata, vt ei metū adimere, ſtuduerit Angelus.

8 At à quo, bone Deus, talē humilitatem accepit Virgo Beata, cui pręceptori adhęſit, quam lectionem audiuit, humanam forte? nequaquam ſanè, ſed ab illo fuit edocta, qui ad erudiendum venerat, & docendum, quod vt facilius percipias Ioannem lege, & in cap. 12. Saluatorem dixiſſe reperies. *Nunc anima mea turbata eſt valdè:* qua in re ſubtilis fui ſcrutator, ad quid illud aduerbium *Nunc*, referatur. *Nunc anima mea turbata eſt.* Nec facilè difficultatis nodum ſoluere poſſem, niſi immediatè ante clarificationis horam tunc aduenisſe reperirem. *Venit hora, vt clarificetur filius hominis:* quia ſi proprijs laudibus cruciantur humiles, cum Saluatore nullus reperiri poſſet humilior, nullus vt ipſe in clarificationis hora turbari debebat; ex quo pluſquā veraciter dicere poterat, nūc, in hac ſcilicet hora, in qua foris laudari incipio, intus ob humilitatem angor, & crucior: quod ſi verum vt veriſſimum eſt, mirabile videri minimè debet, quòd adueniente virtutum, ac laudum hora turbetur Virgo Beata: quia ſi filij nunquam extitit ſurda diſcipula, dū ipſum ob humilitatem inter laudes turbatum vidit; Angelico ore ſe laudatam ſentiēs

*Ioan. 12.*

Chriſti humilitas inter honorum culmina fulſit.

itre

*Riccard. de S. Laurent.*

iure turbatā oſtendit. Peracutè Riccar. de Sancto Laurentio lib. 4. de laud. Virg. *Turbata eſt, quia audiuit ſe laudari, quod magnæ fuit virtutis: qui enim verè humilis eſt de ſuis laudibus erubeſcit, & cùm omnes ſoleant indè lætari, ipſa turbata eſt, non exhilarata, vel elata, exemplo filij, quem cùm quærerent videre gentiles Ioan 12. reſpondit. Venit hora vt clarificetur filius hominis, & paulò poſt. Nunc anima mea turbata eſt valdè.*

Optima filij diſcipula Maria ab eo humilitatis normam accepit.
*Ioan. 12.*

9 Preterea, non in vita, nec in morte tantùm, ſed poſt mortem etiam, immò in ipſa cœleſti beatitudine quando iure optimo iuſtorum, non clàm, ſed palàm predicabuntur virtutes, tunc etiam humiles, fieri ſi poſſet (quod quidē dicere non audeo) proprias audientes laudes, pudore affecti illas longè abdicarent. ad cuius dicti probationem locū illum Matt. adduco, in quo habetur, quòd in finali iudicio, vt electi iuſtum iudicem dicentem audierint. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare; ſitiui & dediſtis mihi bibere, &c.* cap. 25. illicò reſpōdebunt. *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum?* quo reſponſo, ſi benè aduertis, etiam in finali iudicio, in Chriſti dextera conſtituti, etiam tunc quando cunctorum opera in lucem ſunt producenda, debitam laudem repellere ſtudebunt, vt acutè obſeruauit Chryſoſtomus qui hom. 54. in Matth. Iuſtorum humilitatem ſequentibus verbis expreſſit *Homo enim malus etiam falſis laudibus delectatur, vir autem bonus etiam debitam ſibi laudem fugit. Ecce ſi per errorem perſonæ veniens aliquis, pro altero alteri vano homini gratias agit pro beneficio quodam, quamuis in conſcientia ſua cognoſcat ſe nihil tale feciſſe, tamen tacet, & gaudet audiens quæ non ſunt ſua: ſi verò bono alicui gratias agit, quamuis bonus ille intelligat verū eſſe, quod de ſe dicitur, tamen refugit, et repellit audire etiā ea, quæ ſibi debentur. Sic & ſācti & debitā ſibi laudē tūc repellentes, dicent quādo te vidimus eſurientē?* ecce tibi quomodo in ipſa cęleſti beatitudine ob virtutum præconia, fieri ſi poſſet, pudore afficerentur iuſti, dùm debitā laudem repellentes, nihil ſe feciſſe aſſerent.

*Matth. 25.*

*Chryſoſt.*

Iuſti etiam poſt mortē humillimi.

10 Imò, vt benè obſeruauit Origenes hom. 34. in Math. quàm diſtinctè & fusè reſpondebunt iuſti in vno quoque verbo immorando. *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?* tàm perfunctoriè, & confuſè reſpondebunt iniqui dicentes, *Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere; & non miniſtrauimus tibi?* quia non minùs iuſti ob humilitatem virtutes, quàm iniuſti vitia minuere ſtudebunt. *Conſidera*, ait allatus Origenes, *quòd iuſti immorantur in vnoquoque verbo: Iniuſti autem non ità per ſingula, ſed curſim dicunt: quando te vidimus eſurientem? quoniam proprium eſt iuſtorum benefacta ſua relata in facie diligenter, & per ſingula refutare, cauſa humilitatis; malorum autem hominum eſt culpas ſuas, excuſationis cauſa, aut nullas eſſe oſtendere, aut leues, & paucas.* Ex quibus omnibus, quàm in mundo proprijs laudibus crucientur iuſti, ſatis facilè deducere potes.

*Matth. 25.*

*Origenes*

Sanctorum humilitas ſuperborum ſuperbiam ſuperat.

11 Cęterū vt pręſentem tractationem concludam, ſanctos omnes ſuas virtutes Deo aſcripſiſſe nō miror, tùm quia non à ſe, ſed ab ipſo ipſas oriri videbant, tùm etiam, quia ſi virtutum laude torquentur humiles, vt tales torſiones effugerent, Deo, non ſibi laudes aſciſcere ſatagebant: fortè propter hoc Petrus ſtupentem populum ob claudi curationem videns, dicere cœpit. *Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra uirtute fecerimus hūc ambulare? Deus Abraham, & Deus Iſaac, et Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum glorificauit filium ſuū Ieſū, &c. c. 4. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni hic aſtat coram uobis ſanus.* Actor. cap. 3. vbi Carthuſianus art. 3. *Petrus non arguit eos quòd de tanto miraculo mirabantur, ſed quia eorum admiratio non fuit ordinata, aſpiciebant enim ad ſeruos, & ad inſtrumentum magis, quàm ad Dominum, ac principalem agentem, ideò Petrus erigit eos ad principalis opificis contemplationem.* Hac etiā (ni fallor) de cauſa, vt benè notauit Lorinus in Act. Apoſtol. Gregorius Turonenſis ſuſpenſas ad collum Sāctorum gerebat reliquias, vt quoties miraculum eueniſſet, nō ſibi, ſed illis aſcriberetur. Pręfatus Lorinus *Ideo Gregorius Turonenſis appenſas ad col-*

Non ſibi, ſed Deo ſuas laudes aſcribunt ſancti.

*Actor. 3.*
*Carthuſian.*

*Lorinus.*

Gregorij Turonenſis humilitas.

lum

*lum gerebat reliquias, ut quoties miraculum accidiſſet, opera eius non ipſi, ſed Sanctorum meritis tribuerentur*: & ſubdit: *ſimiliter Eligius cæco ſibi manus imponi poſtulante, manum ipſius apprehendens, eaque illi ſignum crucis imprimens, quaſi per ſe id formare nequiſſet, miraculum editum aſcripſit eidem ſigno*. Tandem, vt hanc rem, de qua alibi, ſed præcipuè feria 3. Dom. 1. §. 3. fusè diſſeruimus cōcludā. Quis ſcit ſi ob id etiam Raphael Angelus Tobię dixit: *Benedicite Deū cœli, et coràm omnibus uiuentibus confitemini ei, quia fecit uobiſcum miſericordiam ſuam* Tob. c. 12. Vbi ſeptuaginta Interpetres: *Benedicite Deum, & ei confitemini, & magnificentiam date ei, & confitemini ei coràm omnibus uiuentibus pro ijs quæ fecit uobiſcum: Bonum enim eſt benedicere Deum, & exaltare nomen eius, ne pigri ſitis confiteri ei*. Cui nos etiam cum Angelis, & Sanctis nunc, & in perpetuum gloriam, honorem, & laudē tribuamus.

*Tobiæ 12. Septuaginta.*

SS, Angeli Deum sē. per laudare, & laudari exoptant.

# FINIS

# INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

## QVI PECVLIARITER IN HOC OPERE DILVCIDANTVR.

P. paginam, §. paragraphum. N. numerum ſignificat.

## Ex Veteri Teſtamento.

### Ex Geneſ.


Cap. 1. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* p.153.§.3.num.4.

*Fiat lux.* pag.92.§.4.n.7.

*Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* p. 37.§.2.num.2.

Cap. 2. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis, in quo poſuit hominem, quem formauerat, ut operaretur, et cuſtodiret illum.* pag.6.§.2.num.2.

*Tulit ergo Dominus Deus hominem, et poſuit eum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* p. 188.§.3.num. 5.& pag.59.§.3.num.6.

Cap. 3. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi, etc. Nequaquã morte moriemini.* p.262.§.3.num.10.

*Eritis ſicut dij ſcientes bonum, & malum.* p.185.§.2.num.9.

*Tulit de fructu illius, et comedit: deditque viro ſuo, qui comedit.* p.56.§. 2.num.8.& 325.§.4.num.2.

*Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut dij.* p.32.§.3.num.2.

*Vocem tuam audiui in Paradiſo, & timui: eo quod nudus eſſem, & abſcondi me.* pag. 239.§.3.num.2.& p.292.§.1.num.2.

*Quid feciſti? quis indicauit tibi quòd nudus eſſes.* p.295.§.1.num.7.

*Super pectus tuum gradieris.* p. 223. §.3. num.7.

*Ipſa conteret caput tuum.* p. 223. §. 3. num.8.

*Tu inſidiaberis calcaneo eius.* p.267.§.4. num.8.

*Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* p.224.§.3. num.9.& pag.20.§.1. num.7.et pag.24.§.2.num.8.

*Maledicta terra in opere tuo.* p. 119. §.2. num.8.

*Puluis es, & in puluerem reuerteris.* pag. 161.§.1.num.2.

*Fecit Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* p.99.§. 2.num.2.

Cap. 4. *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* p.240.§.3.num.5.

*Nunc igitur maledictus eris ſuper terram.* p.241.§.3.num.6.

*Omnis qui inuenerit me, occidet me.* pag. 195.§.1.num.3.

Cap. 5. *Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit: quia tulit illum Deus.* p. 12.§.3.num. 9.& pag.142.§.4.num.6.

Cap. 6. *Noe vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, coram Deo ambulauit. Corrupta eſt autem terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate.* p.299.§. 2.n.3.& pag. 133.§.2.num.4.

*Finis vniuerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate.* p. 299.§.2.num.3.

Cap. 7. *Ingredere tu, & omnis domus tua, in arcam: te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac.* p.125. §.4.num. 6.& pag. 133.§.2.num.5.

